Supplementum sive auctuarium Solesmense. Tome I fasc. 1, Solesmes, 1900

LIBER
SACRAMENTORUM &

CAPITULARIA LECTIONUM
EPISTOLARUM ET
EVANGELIORUM

edidit

P. CAGIN, O.S.B.

1900

Supplementum, sive
Auctuarium Solesmense
tomus 1 Fasciculus 1

LIBER SACRAMENTORUM

(E Codice Bergomensi, S. Alexandri in Columna.)

I

XI DIE MENSIS NOVEMBRIS.

DEPOSITIO SANCTI MARTINI EPISCOPI

ORATIONES AD VESPERUM VEL AD VIGILIAS.

Omnipotens sempiterne Deus. sollemnitatem diei huius propitius intuere· Et ecclesiam tuam intercessione beati Martini pontificis atque confessoris tui. continua fac celebritate gaudere. omniumque in te credentium vota perfice· per. 1

Alia.

Deus qui conspicis quia ex nulla nostra virtute subsistimus. concede propitius. ut intercessione beati Martini confessoris tui. contra omnia adversa muniamur· per. 2

Alia.

Deum cuius cultu deputatur quicquid sanctis eius honoris inpenditur. intenta oratione poscimus. ut hunc diem. quem sancti & præcipui viri Martini episcopi illustrat excessio. celebrem nobis & posteris indulgeat· Tribuatque ut cuius veneratores sumus. & imitatores esse mereamur· per Dominum nostrum Jesum Christum filium suum cum quo beatus viv. 3

MANE AD MISSAM.

Oratio super populum.

Exaudi Domine populum tuum tota tibi mente subiectum & beati Martini sacerdotis tui atque pontificis supplicatione custodi· Ut corpore & corde protectus. quod pie credidit **38** appetat. & quod iuste sperat obtineat· per. 4

Ad Timotheum. I.

Karissime· Magnum est pietatis sacramentum. quod manifestatum est in carne. iustificatum est in spiritu. apparuit angelis. prædicatum est gentibus. creditum est in hoc mundo. assumptum est in gloria· Spiritus autem manifeste dicit. quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris. & doctrinis dæmoniorum. in hypocrisi loquentium mendatium. & cauteriatam habentium suam conscientiam· Prohibentium nubere. abstinere a cibis. quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus. & his qui cognoverunt veritatem· Quia omnis creatura Dei bona. & nihil abiciendum. quod cum gratiarum actione percipitur· Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem· Hæc proponens fratribus. bonus eris minister Christi Jesu enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ. quam assecutus es· Ineptas autem & inanes fabulas devita. exerce teipsum ad pietatem· Nam corporalis exercitatio ad modicum est utilis· Pietas autem ad omnia utilis est. promissionem habens vitæ præsentis & futuræ.

Secundum Joannem. **39**

In illo tempore dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Ego sum pastor bonus· Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis· Mercenarius autem & qui non est pastor. cuius non sunt oves propriæ. videt lupum venientem. & dimittit oves & fugit· Et lupus rapit. & dispergit oves· Mercenarius autem fugit. quia mercenarius est. & non pertinet ad eum de ovibus· Ego sum pastor bonus· Et cognosco meas. & cognoscunt me meæ· Sicut novit me Pater. & ego agnosco Patrem. & animam meam pono pro ovibus· Et alias oves habeo. quæ non sunt ex hoc ovili. & illas oportet me adducere. & vocem meam audient. & fiet unum ovile. & unus pastor· Propterea me Pater diligit. quia ego pono animam meam. ut iterum sumam eam· Nemo tollit eam a me. sed ego pono eam a meipso· Potestatem habeo ponendi eam. & potestatem habeo iterum sumendi eam. hoc mandatum accepi a Patre meo.

Super Sindonem.

Adesto quæsumus. Domine. plebi tuæ· Et intercessione beati sacerdotis & confessoris tui Martini confidenter tribue consequi. quod sperare donasti· per. 5

Super Oblata.

Beati sacerdotis & confessoris tui Martini quæsumus. Domine. nobis pia non desit intercessio· Quæ & munera nostra conciliet. & tuam. nobis indul- **40** gentiam semper obtineat· per. 6

Prefatio.

Vere dignum. æquum & salutare. nos te omnipotens Domine in beati sacerdotis & confessoris tui Martini laudibus honorare qui Sancti Spiritus tui dono repletus. ita in ipso tyrocinio fidei perfectus inventus est. ut Christum texisset in paupere. & veste quam egenus acceperat. mundi Dominum induisset· O felix largitas. quam divinitas operatur. o clamidis gloriosa divisio. quæ militem texit & regem· Inæstimabile donum est quod vestire meruit deitatem· Digne huic confessionis tuæ prœmia contulisti. digne ei arrianorum subiacuit feritas. digne tanto amore martyrii persecutoris tormenta non timuit securus· Quanto putamus erit glorificatio passionis. quando pars clamidis· sic extitit pretiosa· Et quid erit pro oblatione integri corporis recepturus. qui pro quantitate vestis exiguæ. & vestire Deum meruit : & videre· O animi imitanda benignitas. o virtutum veneranda potentia· Sic egit suscepti pontificatus officium. ut per formam probabilis vitæ observantiam exigeret disciplinæ· Sic apostolica virtute sperantibus contulit medicinam. ut alios supplicationibus **41** alios visu salvaret· Hæc tua est Domine virtus & gloria· per Christum Dominum nostrum. 7

Post Comm.

Sumentes Domine gaudia sempiterna de participatione sacramenti. & de festivitate beati Martini confessoris tui. suppliciter deprecamur. ut quæ sedula servitute te donante gerimus. dignis sensibus tua munera tractemus· per. 8

II

DIE XVIII. MENSIS NOVEMBRIS.

NATALE SANCTI ROMANI.

Plebs tua Domine beati sacerdotis & martyris tui Romani te glorificatione magnificet. & eodem semper precante. te mereamur habere rectorem· per. 9

Ad Corinthios. I.

Fratres. sectamini caritatem. æmulamini spiritualia : magis autem ut prophetetis· Qui enim loquitur lingua. non hominibus loquitur. sed Deo· Nemo enim audit. spiritu autem loquitur mysteria· Nam qui prophetat. hominibus loquitur ædificationem. & exhortationem. & consolationem· Qui loquitur lingua semetipsum ædificat· Qui autem prophetat. ecclesiam ædificat· Volo autem omnes vos loqui linguis nisi forte interpretetur [ut] æcclesia ædificationem accipiat· Nunc autem fratres si venero ad vos **42** linguis loquens. quid vobis prodero. nisi vobis loquar aut in revelatione. aut in scientia. aut prophetia. aut in doctrina· Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia. sive tybia. sive cythara. nisi distinctionem sonitus dederint. quomodo scietur id quod canitur. aut quod cytharizatur? Etenim si incertam vocem det tuba. quis præparabit se ad bellum? Ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis. quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aere loquentes· Tam multa ut puta genera linguarum sunt in mundo. & nihil horum sine voce est· Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor barbarus. & qui loquitur mihi barbarus· Sic & vos qui æmulatores estis spirituum ad edificationem ecclesiæ querite ut habundetis, Propterea qui loquitur lingua. oret ut interpretetur· Nam si oravero lingua spiritus meus orat. mens autem mea sine fructu est· Quid ergo est orabo spiritu. orabo & mente. psallam spiritu. psallam & mente? Ceterum si benedixeris spiritu. qui supplet locum idiotæ. quomodo dicet amen. super tuam benedictionem? quoniam quid dicas. nescit· Nam tu quidem bene gratias agis. sed alter non ædificatur. gratias ago Deo. quod omnium vestrum lingua loquor· Sed in ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui. ut & alios instruam quam decem millia **43** verborum in lingua.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Ponite vos in cordibus vestris sermones istos· Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum· At illi ignorabant verbum istud. & erat velatum ante eos. ut non sentirent illud· Et timebant eum interrogare de verbo hoc· Intravit autem cogitatio in eos. quis eorum maior esset· At Ihesus videns cogitationes cordis illorum. apprehendens puerum statuit eum secus se. & ait illis· Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo. me recipit· Et quicumque me recipit. recipit eum qui me misit· Nam qui minor est inter vos omnes. hic maior est· Respondens autem Iohannes dixit· Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eicientem dæmonia & prohibuimus eum. quia non sequitur nobiscum· Et ait ad illum Ihesus· Sinite eum. & nolite prohibere. qui enim non est adversum vos pro vobis est· Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo. & poterit male loqui de me.

Super Sindonem.

Preces populi tui quæsumus Domine clementer exaudi. ut beati sacerdotis & martyris tui Romani meritis adiuvemur. cuius passione lætamur. 10

Super Oblata.

Præsentia munera quæsumus Domine ita serena pietate intuere. **44** ut sancti Spiritus perfundantur benedictione. & in nostris cordibus eam dilectionem validam operentur. per quam pontifex sanctus & martyr tuus Romanus. omnia corporis tormenta devicit· per. 11

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus & in hoc præcipue die triumphalem hostiam offerre. in quo beatissimus antistes & martyr tuus Romanus. fideli pro plebe immolandus extitit· Qui sanctam salutis dum non permittit inimico adire domum. ipse templum

tibi dicatur et victima· O felix hostia gemino illustrata decore. in quo pastor immolatur & agnus. sacerdos & innocens· O beata prælia. quæ tanto non cessere terrori· O felix lingua Christi nobilitata præconio. interpres animi. cordis ministra. quæ te Deo loquente numquam defuit· Sed hoc mirabile donum munus tuum est Domine. ut mutis loquelam percitum claudis gradum surdis [fruendam reddas] audientiam· per eundem. 12

Post Comm.

Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris. eius quæsumus semper intercessione nos refove. cuius sollemnia celebramus· per. 13

III

KALENDAS DECEMBRIS

NATALE SANCTÆ CECILIÆ.

Deus cui beata Cecilia ita devotione placuit castitatis. ut coniugem suum Valerianum. affinemque Tiburtium. tibi fecerit consecrari. nam & angelo **45** deferente micantium odoriferas florum coronas. palmamque martyrii perceperunt. tribue quæsumus ut ea intercedente pro nobis. beneficia tui muneris percipere mereamur· per. 14

Alia.

Beatæ Ceciliæ martyris tuæ nos quæsumus Domine festivitas sancta commendet· Quæ ita ad palmam martyrii venire voluit. ut & de societate qua Valerianum & Tyburtium consecrationibus per angelum suum tua misericordia coronavit· per. 15

Alia.

Deus qui nos famulos tuos in beatæ martyris tuæ Ceciliæ victoria. Valeriani simul & Tyburtii gaudere fecisti triumphis. tribue quæsumus maiestatis tuæ misericordiam· Ut sicut eos tyrannorum superata feritate lætari fecisti. ita & populus tuus tua semper exultet bonitate· per. 16

Alia.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut hac festivitate beatæ martyris tuæ Ceciliæ. qua ad cœlestia meruit evocari præmia. coniunctis sibi Tyburtio & Valeriano sicut credimus & speramus. eorum suffragiis adiuvemur· per. 17

Ad Timotheum. I.

Fratres. si quis uxorem habet infidelem. & hæc consentit habitare cum illo. non dimittat illam· Et si qua mulier habet virum infidelem & hic consentit habitare cum illa. non dimittat virum· **46** Sanctificatus est enim vir infidelis in muliere fideli. & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem· Alioquin filii vestri inmundi essent. nunc autem sancti sunt· Quod si infidelis discedit discedat· Non est enim servituti subiectus frater. aut soror in eiusmodi· In pace autem vocavit nos Deus· Unde enim scis mulier si virum salvum facias. aut unde scis vir si mulierem salvam facias· Nisi unicuique sicut divisit Dominus? Unumquemque sicut vocavit Deus ita ambulet. sicut in omnibus ecclesiis doceo in Christo Ihesu Domino nostro.

Evangelium require in Sanctæ Agnes festo. Simile est regnum cælorum.

Super Sindonem.

Sanctæ martyris tuæ Ceciliæ Domine supplicationibus tribue nobis foveri· Ut cuius venerabilem sollemnitatem prævenimus obsequio eius intercessionibus commendemur. & meritis· per. 18

Super Oblata.

Tribue quæsumus virtutum cælestium Deus. ut sacrificia pro sanctæ Ceciliæ sollemnitate delata. desiderium nos temporale doceant habere contemptum & ambire dona faciant cælestium gaudiorum· per. 19

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. per quem sancta Cecilia dono repleta. ut martyrii palmam assumeret. ipsum mundum est cum thalamis execrata· Testis est quapropter Valeriani coniugis & Tybur- **47** tii provocata confessio. quos angelica manu odoriferis floribus coronasti· Viros virgo duxit ad gloriam. mundus agnovit quantum valeat devotio castitatis· Quæ ita promeruit ut martyres efficerentur. & iter regis gloriæ cum angelis graderentur· Huius te Domine largiente gaudia celebramus. & ea fide qua mundi caligo detersa est. ad æternitatis tuæ deprecamur præmia pervenire· Et ideo cum angelis. 20

Post Comm.

Hæc nos Domine gratia tua quæsumus semper exerceat ut & divinis instauret nostra corda mysteriis. & sanctæ Ceciliæ martyris tuæ commemoratione lætificet· per. 21

IV

VIII. KALENDAS DECEMBRIS.

NATALE SANCTI CLEMENTIS.

Pontificis & martyris tui Clementis quæsumus Domine in conspectum divinæ maiestatis tuæ. pro nobis ascendat oratio. cui beatam societatem cum tuis donare iussisti apostolis. & martyribus· per. 22

Alia.

Beati sacerdotis & martyris tui Clementis natalitia veneranda quæsumus Domine ecclesia tua devota suscipiat. & magnæ glorificationis efficiatur amore devotior· per. 23

Alia.

Præsta. quæsumus omnipotens Deus. ut beati sacerdotis & martyris tui Clementis adiuvemur auxilio. cui in deserto populus ut crederet. admirabilem contulisti **48** potentiam· Ut sitientibus ex tumulis. quos eis terra negabat. natura fontium liquores produceret· per. 24

Epistola ad Philippenses.

Fratres Imitatores mei estote. & observate eos qui ita ambulant. sicut habetis formam nostram· Multi enim ambulant. quos sepe dicebam vobis· Nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi· Quorum finis interitus quorum Deus venter & gloria in confusione ipsorum. qui terrena sapiunt· Nostra autem conversatio in cælis est· Unde etiam salvatorem expectamus Dominum Ihesum Christum. qui reformavit corpus humilitatis nostræ. configuratum corpori claritatis suæ. secundum operationem qua possit etiam subicere sibi omnia· Itaque fratres mei karissimi & desiderantissimi. gaudium & corona mea sic state in Domino karissimi· Evohodiam rogo & Synthicen deprecor id ipsum sapere in Domino· Rogo etiam & te germane compar. adiuva illas quæ mecum laboraverunt in evangelio cum Clemente. & ceteris adiutoribus meis quorum nomina sunt in libro vitæ.

Secundum Matthæum.

In illo tempore· Iussit Dominus Ihesus discipulos suos ascendere in naviculam & præcedere eum trans fretum. donec dimitteret turbas· Et dimissa **49** turba ascendit in montem solus orare· Vespere autem facto solus erat ibi· Navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus· Erat enim contrarius ventus· Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare· Et videntes eum supra mare ambulantem. turbati sunt dicentes. quia phantasma est· Et præ timore clamaverunt· Statimque Ihesus locutus est eis dicens· Habete fiduciam· Ego sum nolite timere· Respondens autem Petrus dixit· Domine si tu es. iube me venire ad te super aquas· At ipse ait· Veni· Et descendens Petrus de navicula. ambulabat super aquam. ut veniret ad Ihesum· Videns vero ventum validum timuit· Et cum cœpisset mergi. clamavit dicens· Domine salvum me fac· Et continuo Ihesus extendens manum apprehendit eum· Et ait illi· Modicæ fidei quare dubitasti? Et cum ascendisset in naviculam cessavit ventus· Qui autem in navicula erant venerunt. & adoraverunt eum dicentes· Vere filius Dei es.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus qui in omnium sanctorum tuorum es virtute mirabilis. da nobis in beati Clementis annua sollemnitate lætari. qui filii tui **50** martyr & pontifex. quod mysterio gessit testimonio comprobavit. & quod ore predicavit. confirmavit exemplo· per eundem Dominum. 25

Super Oblata.

Intercessio sancti Clementis. misericordiæ tuæ Domine munera nostra conciliet· Ut quod merita nostra non valent. eius deprecatio nobis indulgentiam obtineat· per. 26.

Prefatio.

Vere dignum æterne Deus qui sanctis tuis ad tyrannorum superandas feritates. admirabilem te credimus donare constantiam· Nam cum iniquissimus persecutor. beatum Clementem pœnis afficere a diabolo cogeretur. non ei tormentum intulit. sed triumphum· Iactatur ergo martyr tuus in fluctibus. ut mergeretur iniquissima sententia· Ex hoc ergo pervenit ad premium. unde Petrus magister ejus pervenit ad regnum· Amborum Christus in fluctibus approbat mentes· Clementem ad palmam victoriæ de profundo revocat. Petrum ad cælestia regna. in eodem elemento ne mergeretur elevavit idem Christus Dominus noster· per quem maiestatem tuam. 27

Post Comm.

Purificet nos Domine quæsumus & divini perceptio sacramenti. & gloriosa confessionis oratio· per. 28

V

II. KALENDAS DECEMBRIS.

NATALE SANCTI ANDREÆ **51** APOSTOLI

MISSA IN VIGILIIS.

Apostolicis Domine nos quæsumus attolle presidiis. Ut quorum sollemnia prævenimus. eorum precibus adiuvemur· per. 29

Epistola. require in vigiliis sancti Petri· Benedictus Deus & pater Domini nostri Ihesu Christi.

Evangelium secundum Matthæum require in natali Apostolorum· Convocatis Dominus Ihesus duodecim.

Super Sindonem.

Da nobis quæsumus Dominus Deus noster beati apostoli tui Andreæ intercessionibus sublevari· Ut per quos ecclesiæ tuæ superni muneris rudimenta donasti. per eos subsidia perpetuæ salutis impendat· per. 30

Super Oblata.

Præsta quæsumus Domine. ut per intercessionem beati apostoli tui Andreæ. hæc nobis prosit oblatio. quam immolando. totius mundi tribuisti relaxare delicta· per Dominum. 31

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Per quem beatus apostolus Andreas. tantum cælesti gratia eminet præcipuus. quantum etiam beati Petri Apostoli germanitate demonstratur esse præclarus· Ut quos una genitrix edidit mundo. una generatione. per crucis patibulum collocarentur in cælo· Et ideo cum angelis. 32

Post Comm.

Beati Andreæ apostoli supplicatione. quæsumus Domine plebs tua benedictionem percipiat **52** ut & de eius meritis fideliter glorietur. & sempiternis valeat consortiis sociata lætari· per. 33

V BIS

MANE AD MISSAM

Oratio super populum.

Deus qui hunc diem beati apostoli Andreæ martyrio consecrasti. da nobis de eius festivitate

lætari· Ut apud misericordiam tuam & exemplis eius & meritis adiuvemur· per. 34

Ad Galatas.

Fratres· Gratia nobis & pax a Deo patre nostro & Domino Ihesu Christo. qui dedit semetipsum pro peccatis nostris. ut eriperet nos de presenti sæculo malo. secundum voluntatem Dei & patris nostri. cui est gloria in sæcula sæculorum· Miror quod sic tam cito transferimini ab eo. qui vos vocavit in gratiam Christi. in aliud evangelium. quod non est aliud. nisi sunt aliqui qui vos conturbant. & volunt convertere evangelium Christi· Sed licet si nos. aut angelus de cælo evangelizaverit vobis. præter quam quod evangelizavimus vobis. anathema sit· Sicut prædiximus. & nunc iterum dico. si quis vobis evangelizaverit. preter id quod accepistis. anathema sit· Modo enim hominibus suadeo an Deo? Aut quero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem· Notum autem vobis facio **53** fratres evangelium. quod evangelizatum est a me. quia non est secundum hominem. neque enim ego ab homine accepi illud. neque didici. sed per revelationem Christi Ihesu.

Evangelium secundum Matthæum.

In illo tempore Ambulans Ihesus iuxta mare Galileæ. vidit duos fratres. Symonem qui vocatur Petrus. & Andream fratrem ejus. mittentes retes in mare· Erant enim piscatores· Et ait illis· Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum· At ille continuo relictis retibus secuti sunt eum· Et procedens inde. vidit alios duos fratres· Iacobum Zebedei & Iohoannem fratrem eius in navi. cum Zebedeo patre eorum. reficientes retia sua. & vocavit eos· Illi autem statim relictis retibus & patre secuti sunt eum· Et circuibat Ihesus totam Galileam. docens in sinagogis eorum. & prædicans evangelium regni. & sanans omnem languorem. & omnem infirmitatem in populo· Et abiit opinio eius in totam Syriam· Et optulerunt ei omnes male habentes. variis languoribus & tormentis comprehensos. & dæmonia habebant & lunaticos & paralyticos. & curavit eos· Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilea. & Decapoli. & de Ierosolimis. & de Iudæa. & trans **54** Iordanem.

Super Sindonem.

Da tuorum quæsumus Domine. habitator æterne sanctorum ut beati apostoli tui Andreæ pretiosa natalitia. non solum minysterio corporali. sed etiam & mentis veneremur affectui· per. 35

Super Oblata.

Sacrificium nostrum tibi Domine beati Andreæ apostoli precatio sancta conciliet. Ut in cuius honore sollemniter exibetur. eius meritis efficiatur acceptum· per. 36

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus· Adest enim nobis dies magnifici votiva mysterii. qua venerandus Andreas germanum se beati Petri Apostoli tam prædicatione Christi tui. quam confessione monstravit· Et apostolicæ numerum dignitatis. simul passione supplevit. & gloria· Ut id quod libera prædicaverat voce. nec pendens taceret in cruce· Auctoremque vitæ perennis tam in hac vita sequi. quam in mortis genere meruit imitari· Ut cuius præcepto terrena in semetipso crucifixerat desideria. eius exemplo ipse patibulo figeretur· Utrique igitur germani piscatores. ambo cruce elevantur ad cælum· Ut quos in huius vitæ cursu tua gratia tot vinculis pietatis constrinxerat. similis in regno cælorum necteret & corona· Et quibus erat una causa **55** certaminis. una retributio esset & præmii : per Christum.

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut quos divina tribuis participatione gaudere. intercedente beato apostolo tuo Andrea. humanis non sinas subiacere periculis· per. 37

VI

EODEM DIE.

BAPTISMUM BEATI AMBROSII.

Deus qui per sanctum baptismum. beatum Ambrosium tui nominis confessorem esse signasti. præsta quæsumus ut eius meritis protegamur. in cuius festivitate annua devotione lætamur· per. 38

Deus qui per undas regenerationis. beatum confessorem tuum Ambrosium a contagione vetusti criminis diluisti. ablutumque purificationis lavacro. doctorem precipuum. atque catholicæ fidei propugnatorem efficere dignatus es. præsta quæsumus ut ipso pro nobis intercedente vitiorum possimus abluere maculas. & tibi Domino sinceris mentibus deservire· per. 39

VII

VII IDUS DECEMBRIS.

ORDINATIO BEATI AMBROSII.

MISSA IN VIGILIIS.

Deus qui beatum Ambrosium pontificem sanctorum meritis coæquasti· Concede propitius. ut qui ordinationis eius festa percolimus. vitæ quoque imitemur exempla· per. 40

Epistola ad Hebræos.

56 Fratres : Omnis pontifex ex hominibus assumptus. pro hominibus constituetur in his quæ sunt ad Deum. ut offerat dona & sacrificia pro peccatis. qui condolere possit his qui ignorant & errant· Quoniam & ipse circumdatus est infirmitate. & propterea debet quemadmodum pro populo. ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis· Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatus est a Deo. tamquam Aaron· Sic & Christus non semetipsum clarificavit. ut pontifex fieret. sed qui locutus est ad eum. Filius meus es tu.

ego hodie genui te. quemadmodum & in alio loco dicit· Tu es sacerdos in æternum. secundum ordinem Melchisedech.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore· Cum vidissent turbæ signum quod fecerat Dominus Ihesus dicebant· Quia hic est vere propheta. qui venturus est in mundum· Ihesus ergo cum cognovisset. quia venturi essent ut raperent & facerent eum regem. fugit iterum in montem ipse solus· Ut autem sero factum est. descenderunt discipuli eius ad mare· Et cum ascendissent navem. venerunt trans mare in Capharnaum· Et tenebræ iam factæ erant. & non venerat ad eos Ihesus· Mare autem vento magno flante **57** exurgebat· Cum remigassent quasi stadia vigenti quinque aut treginta. vident Ihesum ambulantem supra mare. & proximum navi fieri. & timuerunt· Ille autem dicit eis· Ego sum. nolite timere· Voluerunt ergo in navi accipere eum· Et statim fuit navis ad terram. in quam ibant.

Super Sindonem.

Exaudi Domine preces nostras & intercessione beati sacerdotis & confessoris tui Ambrosii. nos tuere ubique præsidiis· per. 41

Super Oblata.

Hæc hostia quæsumus Domine. quam in sollemnitate beati confessoris tui Ambrosii deferimus. & vincula nostræ pravitatis absolvat. & tuæ nobis misericordiæ dona conciliet· per. 42

Prefatio.

Vere dignum· Æterne Deus. sancti confessoris tui Ambrosii merita venerantes. tuamque misericordiam deprecantes. ut qui donis tuis hic extitit gloriosus. apud te noster existat idoneus interventor· per Christum Dominum nostrum. 43

Post Comm.

Per huius Domine operationem mysterii. & vitia nostra purgentur & intercedente beato confessore tuo Ambrosio. iusta desideria compleantur· per. 44

ORATIO AD VESPERUM ET AD VIGILIA.

Omnipotens sempiterne Deus qui ecclesiam tuam beati sacerdotis & confessoris tui Ambrosii & pontificatus officio. & fidei munere sublimasti. tribue **58** supplicibus tuis. ut quicquid peccati contagione contractum est. ipso pro nobis summo antistite intercedente solvantur· per. 45

Alia.

Æterne omnipotens Deus. qui beatum Ambrosium tui nominis confessorem. non solum huic ecclesiæ. sed omnibus per mundum diffusis ecclesiis doctorem dedisti. præsta ut quod ille divino affatus spiritu docuit. nostris iugiter stabiliatur in cordibus· Et quem patronum te donante amplectimur. eum apud tuam misericordiam defensorem habeamus· per. 46

VII BIS

MANE AD MISSAM.

Or. sup. populum.

Deus mundi auctor & conditur. qui hodiernæ festivitatis diem. beati Ambrosii sacerdotii electione consecrasti. præsta populo tuo. ut cuius annua celebritatis devotis resultat obsequiis. eius suffragiis. tuæ pietatis consequatur auxilium· per Dominum. 47

Epistola ad Ephesios.

Fratres· Audistis dispensationem gratiæ Dei. quæ data est mihi in vobis. quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum. sicut supra scripsi in brevi. prout potestis legentes intellegere prudentiam meam in mysterio Christi· Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum. sicuti nunc revelatum est **59** sanctis apostolis. & prophetis. in spiritu esse gentes coheredes. & concorporales. & conparticipes promissionis in Christo Ihesu· Per evangelium cuius factus sum minister. secundum donum gratiæ Dei quæ data est mihi. secundum operationem virtutis eius· Mihi omnium sanctorum minimo data gratia hæc in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi & inluminare omnes. quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo. qui omnia creavit : Ut innotescat principibus & potestatibus in cælestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei. secundum præfinitionem sæculorum. quam fecit in Christo Ihesu Domino nostro.

Evangelium secundum Iohannem : require in dep. sancti Martini· Ego sum pastor bonus.

Super Sindonem.

Creator & conditor omnium Deus. qui per summum sacerdotem atque pontificem Filium tuum Dominum nostrum Ihesum Christum. sacerdotale culmen & pontificale sceptrum super servum tuum beatum Ambrosium hodierno die & tempore consecrasti. consecrationis nostræ initia. eo intercedente sanctifica. & plebem tuam benedicere dignare de cælesti tuæ gloriæ regno· per eundem. 48

Super Oblata.

Interventu precis. & obtentu orationis beati Ambrosii sacerdotis & confessoris tui Domine. **60** his muneribus tibi oblatis benedictionem effunde de cælis· quo ex eis sumentes. & omnibus careamus culpis. & celestibus repleamur eduliis· per. 49

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui in ecclesia tua sancta catholica. ita sacerdotes disponis & ordinas. ut efficias tibi ecclesiam non habentem maculam. neque rugam· Qui olim diei huius solemnitate alumni tui Ambrosii confessoris & sacerdotis sublimare dignatus es cathedram. ut fasce sæculari deposito. & publico honore abiecto. doctorem & iudicem gregis tui efficeres. & pastorem ecclesiæ

præfirmares· Pro quo precamur subiecti. ut qui eum extemplo ovibus tuis sublimasti pontificem. & ex voce plebis. gregi tuo præelegisti pastorem. nos. eius precibus. explosis piaculis efficias sanctiores. & plebem tuam huius diei sollemnia celebrantem. efficias iustiorem· Ut pastor cum ovibus eius sequendo vestigia. simul mereamur pervenire ad cælestia regna· per Christum Dominum nostrum. 50

Post Comm.

Repleti sumus Domine muneribus tuis. quæ de festivitate beati sacerdotis tui Ambrosii percepimus· Tribue quæsumus ut eorum & mundemur effectu. & muniamur auxilio· per Dominum nostrum. 51

VIII

DOM. PRIMA DE ADVENTU.

61 Deus qui in Unigenito tuo novam creaturam nos esse fecisti. respice propitius in opera misericordiæ tuæ Et in adventu Filii tui. ab omnibus nos maculis vetustatis emunda· per eundem Dominum. 52

Epistola beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses. II.

Fratres· Rogamus vos per adventum Domini nostri Ihesu Christi & nostræ congregationis in ipsum. ut non cito moveamini vestro sensu. neque terreamini. neque per spiritum neque per sermonem. neque per epistolam tamquam per nos missam quasi instet dies Domini· Ne quis vos seducat ullo modo. quia nisi venerit discessio primum. & revelatus fuerit homo peccati Filius perditionis. qui adversatur & extollitur super omne quod dicitur Deus. aut quod colitur. ita ut in templo Dei sedeat. ostendens se tamquam sit Deus· Non retinetis. quod cum adhuc essem apud vos. hæc dicebam vobis? Et nunc quid detineat scitis. ut reveletur in suo tempore· Nam mysterium iam operatur iniquitatis. tantum ut qui tenet nunc teneat. donec de medio fiat· Et tunc revelabitur ille iniquus. quem Dominus Ihesus interficiet spiritu oris tui. & destruet illustratione adventus sui. eum cuius est adventus. secundum operationem satanæ. in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus. & in omni seductione **62** iniquitatis. his qui pereunt. eo quod caritatem veritatis non receperunt ut salvi fierent· Ideo mittit illis Deus operationem erroris. ut credant mendacio. ut iudicentur omnes qui non crediderunt veritati. sed consenserunt iniquitati· Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis fratres dilecti a Deo quod elegerit nos Deus primitias in salutem. in sanctificatione spiritus. & fide veritatis· In qua & vocavit vos per evangelium nostrum. in adquisitionem gloriæ Domini nostri Ihesu Christi.

Evangelium secundum Matthæum.

In illo tempore· Egressus Dominus Ihesus de templo ibat· Et accesserunt discipuli eius ut ostenderent ædificationes templi· Ipse autem respondens dixit eis· Videtis hæc omnia? Amen dico vobis. non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur· Sedente autem eo super montem Oliveti. accesserunt ad eum discipuli secreto dicentes· Dic nobis. quando hæc erunt. & quod signum adventus tui. & consummationis sæculi. Et respondens Ihesus dixit eis· Videte ne quis vos seducat· Multi enim venient in nomine meo. dicentes· Ego sum Christus. & multos seducent. audituri autem estis prælia. & opiniones præliorum. videte ne turbemini· Opor- **63** tet enim hæc fieri. sed nondum est finis· Consurget enim gens in gentem. & regnum. in regnum. & erunt pestilentiæ & fames. & terremotus per loca· Hæc autem omnia initia sunt dolorum· Tunc tradent vos in tribulationem. & occident vos. & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum· Et tunc scandalizabuntur multi. & invicem tradent. & odio habebunt invicem· Et multi pseudoprophetæ surgent. & seducent multos· Quoniam habundavit iniquitas. refrigescet caritas multorum· Qui autem perseveraverit usque in finem. hic salvus erit· Et predicabitur hoc evangelium regni in universo orbe. in testimonium omnibus gentibus. & tunc veniet consummatio· Cum ergo videritis abominationem desolationis. quæ dicta est in Danihelo propheta. stantem in loco sancto. qui legit intelligat· Tunc qui in Iudea sunt fugiant ad montem· Et qui in tecto. non descendat tollere aliquid. de domo sua· Et qui in agro non revertatur tollere tunicam suam· Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus· Orate autem ut non fiat fuga vestra hyeme. vel sabbato· Erit enim tunc tribulatio magna. qualis non fuit ab initio mundi usque modo. **64** neque fiet· Et nisi breviati fuissent dies illi. non fieret salva omnis caro· Sed propter electos breviabuntur dies illi· Tunc si quis vobis dixerit. ecce hic est Christus. aut illic. nolite credere· Surgent enim pseudochristi. & pseudoprophetæ. & dabunt signa magna & prodigia. ita ut in errorem inducantur. si fieri potest. etiam electi· Ecce prædixi vobis· Si ergo dixerint vobis. ecce in deserto est. nolite exire. ecce in penetrabilibus. nolite credere· Sicut enim fulgur exit ab oriente. & paret usque in occidentem. ita erit & adventus Filii hominis· Ubicumque fuerit corpus. illuc congregabuntur aquilæ· Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur. & luna non dabit lumen suum. & stellæ cadent de cælo. & virtutes cælorum commovebuntur. & tunc parebit signum Filii hominis de cælo· Et tunc plangent omnes tribus terræ. & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli. cum virtute multa & maiestate· Et mittet angelos cum tuba & voce magna. & congregabunt electos eius a quatuor ventis. & a summis cælorum usque ad terminos eorum· Ab arbore autem fici discite parabolam· Cum iam **65** ramus eius tener fuerit. & folia nata. scitis quia prope est æstas· Ita &

vos cum videritis hæc omnia. scitote quoniam prope est in ianuis· Amen dico vobis. quia non preteribit hæc generatio. donec omnia fiant· Cælum & terra transibunt. verba autem mea non preteribunt· De die autem illa & hora nemo scit. neque angeli cælorum. nisi Pater solus· Sicut autem fuit in diebus Noe. ita erit & adventus Filii hominis· Sicut enim erant in diebus ante diluvium commedentes & bibentes. nubentes & nuptum tradentes. usque ad eum diem quo introivit in arcam Noe. & non cognoverunt donec venit diluvium & tulit omnes. ita erit & adventus Filii hominis· Tunc duo erunt in agro· Unus assumetur. & alter relinquetur· Duæ molentes in mola· Una assumetur. & una relinquetur· Duo in lecto· Unus assumetur & unus relinquetur· Vigilate ergo. quia nescitis. qua hora Dominus vester venturus est.

Super Sindonem.

Excita potentiam tuam Deus & veni· Ut hi qui in tua pietate confidunt. ab omni citius adversitate liberentur· Qui cum Patre & Spiritu. 53

Super Oblata.

Sacrificiis præsentibus Domine quæsumus intende placatus. ut & devotioni nostræ proficiant. & saluti· per. 54

Præfatio.

66 Vere dignum. æterne Deus· Cui proprium ac singulare est quod bonus es. & nulla umquam a te es commutatione diversus· Propitiare supplicibus & ecclesiæ tuæ misericordiam quam confitetur ostende. manifestans plebi tuæ Unigeniti tui mirabile sacramentum· Ut in universitate nationum. perficiatur quod per Verbi tui evangelium promisisti. Et habeat plenitudo adoptionis. quod prætulit testificatio veritatis. per eundem Christum Dominum nostrum. 55

Post Comm.

Sumptis muneribus. Domine quæsumus ut cum frequentatione mysterii. crescat nostræ salutis effectus· per Dominum. 56

IX

DOM. II. DE ADVENTU.

Or. Sup. Populum.

Dona quæsumus omnipotens Deus cunctæ familiæ tuæ hanc voluntatem. Christo Filio tuo Domino nostro venienti. in operibus iustis apte occurrere· Ut eius dexteræ sociati. regnum mereantur possidere cæleste· per eundem Dominum. 57

Epistola ad Romanos.

Fratres· Debemus nos firmiores. inbecillitates infirmorum sustinere. & non nobis placere· Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum. ad ædificationem· Etenim Christus non sibi placuit. sed sicut scriptum est· Improperia improperantium tibi ceciderunt super me· quæcumque enim scripta sunt. ad nostram doctrinam scripta. ut per pa- **67** tientiam & consolationem scripturarum spem habeamus· Deus autem patientiæ & solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Ihesum Christum. ut unanimes. uno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Ihesu Christi· Propter quod suscipite invicem. sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei· Dico enim Christum Ihesum ministrum fuisse circumcisionis. propter veritatem Dei. ad confirmandas promissiones patrum. gentes autem super misericordiam honorare Deum sicut scriptum est· Propter hoc confitebor tibi in gentibus. & in nomine tuo cantabo· Et iterum dicit· Lætamini gentes cum plebe eius· Et iterum. laudate Dominum omnes gentes. & magnificate eum omnes populi. Et rursus Esaias dicit. Erit radix Iesse. & qui exurget regere gentes in eo gentes sperabunt Deus autem spei repleat vobis omni gaudio & pace in credendo. ut abundetis in spe. & virtute Spiritus Sancti.

Secundum Lucam.

Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris. procurante Pontio Pilato Iudæam. tetrarcha autem Galileæ Herode. Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræae & Traconitidis regionis. & Lisania. Abilinæ tetrarcha. sub principibus sacerdotum Anna & Caipha· **68** Factum est verbum Domini super Iohannem Zachariæ filium in deserto· Et venit in omnem regionem Iordanis. prædicans baptismum penitentiæ in remissionem peccatorum. sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophetæ. Vox clamantis in deserto. parate viam Domini. rectas facite semitas eius· Omnis vallis implebitur. & omnis mons & collis humiliabitur· Et erunt prava in directa. & aspera in vias planas. & videbit omnis caro salutare Dei· Dicebat ergo ad turbas. quæ exiebant. ut baptizarentur ab ipso· Genimina viperarum quis ostendet vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. & ne cœperitis dicere. patrem habemus Abraham· Dico enim vobis. quia potest Deus de lapidibus istis. suscitare filios Abrahæ· Iam enim securis ad radicem arboris posita est· Omnis enim arbor non faciens fructum bonum excidetur. & in ignem mittetur· Et interrogabant eum turbæ dicentes· Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis· Qui habet duas tunicas det non habenti. & qui habet escas similiter faciat· Venerunt autem & publicani ut baptizarentur & dixerunt ad illum· Magister **69** quid faciemus? At ille dixit ad eos· Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis· Interrogabant autem illum & milites dicentes· Quid faciemus & nos Et ait ad illos· Neminem concutiatis neque calumniam faciatis & contenti estote stipendiis vestris· Existimante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Iohanne. ne forte ipse esset Christus. respondit Iohannes dicens

omnibus· Ego quidem aqua baptizo vos. veniet autem fortior me. cuius non sum dignus solvere corrigiam calciamentorum eius· Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni· Cuius ventilabrum in manu eius. & purgabit aream suam. & congregabit triticum in horreum suum. paleas autem comburet igni inextinguibili· Multa quidem & alia exortans evangelizabat populo.

Super Sindonem.

Tribue quæsumus Domine sperantibus fidei caritatisque augmentum· Ut quod veritatis tuæ dono promittitur. tua gratia compleatur· per. 58

Super Oblata.

Concede nobis omnipotens Deus. ut sacramenti dominici nobis operante virtute. ipsius æternitatis mereamur esse consortes. qui mortalitatis nostræ dignatus est fieri particeps· Qui tecum vivit. 59

Prefatio.

Vere dignum· per Christum Dominum nostrum· Cuius incarnatione salus **70** facta est mundi. & passione redemptio procurata est hominis procreati. Ipse nos quæsumus ad æternum perducat præmium. qui redemit de tenebris infernorum· Iustificetque in adventu secundo. qui nos redemit in primo. quatenus illius nos a malis omnibus defendat sublimitas cuius nos ad vitam erexit humilitas· per quem. 60

Post Comm.

Prosint nobis Domine frequentata mysteria. quæ nos a cupiditatibus terrenis expediant. & instituant amare cælestia· per. 61

X

DOM. III. DE ADVENTU.

Or. sup. populum.

Omnipotens Christe Filius Dei. in die nativitatis tuæ propitius ad salvandum in te populum veni· Ut benignitate solita. ab omni dubietate & metu temporis nos iubeas liberari. qui cum Patre & Spiritu. 62

Ad Romanos.

Fratres. Nolo vos ignorare mysterium hoc. ut non sitis vobis ipsi sapientes. quia cecitas ex parte contigit in Israel. donec plenitudo gentium intraret. & sic omnis Israel salvus fieret. sicut scriptum est· Veniet ex Sion qui eripiat. & avertat impietatem ab Iacob· Et hoc illis a me testamentum. cum abstulero peccata eorum dicit Dominus. Secundum evangelium quidem inimici propter vos. secundum electionem autem karissimi propter patres· Sine pœnitentia **71** enim sunt dona. & vocatio Dei· Sicut enim aliquando & vos non credidistis Deo. nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem. ita & isti nunc non crediderunt in vestra misericordia ut & ipsi misericordiam consequantur· Conclusit enim Deus omnia in incredulitate ut omnium misereatur· O altitudo divitiarum sapientiæ. & scientiæ Dei· Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. & investigabiles viæ eius· quis enim cognovit sensum Domini. aut quis consiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi. & retribruetur ei? Quoniam ex ipso & per ipsum. & in ipso sunt omnia. ipsi gloria in sæcula sæculorum.

Secundum Matthæum.

In illo tempore Iohannes cum audisset in vinculis opera Christi. mittens duos de discipulis suis ait illi· Tu es qui venturus es. an alium expectamus? Et respondens Ihesus ait illis· Euntes renuntiate Iohanni quæ vidistis. & audistis· Cæci vident. claudi ambulant. leprosi mundantur. surdi audiunt. mortui resurgunt. pauperes evangelizantur. & beatus est qui non fuerit scandalizatus. in me· Illis autem abeuntibus. cœpit Ihesus dicere ad turbas de Iohanne· Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui **72** mollibus vestiuntur in domibus regum sunt· Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & plus quam prophetam· Hic est enim de quo scriptum est· Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam. qui præparabit viam tuam ante te· Amen dico vobis. non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista· Qui autem minor est in regno cælorum. maior est illo· A diebus autem Iohannis Baptistæ usque nunc. regnum cælorum vim patitur. & violenti rapiunt illud· Omnes enim prophetæ & lex usque ad Iohannem prophetaverunt. & si vultis recipere. ipse est Helias qui venturus est· Qui habet aures audiendi audiat.

Super Sindonem.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus creator humanæ substantiæ. qui verbum tuum in virginis uterum venire voluisti. supplicantium tibi preces benignus intende· per eundem. 63

Super Oblata.

Sacrificium tibi Domine celebrandum. placatus intende· quod & nos a vitiis nostræ conditionis emundet. & tuo nomini reddat acceptos· per. 64

Prefatio.

Vere dignum· per Christum Dominum nostrum. cuius præstolamur adventum· Qui causa salutis humanæ sic est dignatus uterum virginis introire. ut & nobis viam salutis tribueret. & a tuæ maiestate deitatis numquam deesset. **73** idem Ihesus Christus Dominus noster· Quem una tecum. 65

Post Comm.

Misericordiam tuam supplices exoramus omnipotens Deus. ut hoc tuum Domine sacramentum. non sit nobis reatus ad pœnam. sed fiat intercessio salutaris ad veniam· per. 66

XI

DOM. IIII. DE ADVENTU.

Or. super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut adventus gloriosissimi Filii tui. & peccata nostra abluat. & populo tuo pacem conferat & salutem· Qui tecum. 67

Epistola ad Hebræos.

Fratres. nolite amittere confidentiam vestram. quæ magnam habet remunerationem· Patientia enim vobis necessaria est. ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem· Adhuc enim modicum quantulum. qui venturus est veniet. & non tardabit· Iustus autem meus ex fide vivit· Quod si subtraxerit se. non placebit animæ meæ· Nos autem non sumus subtractionis in perditionem. sed fidei in adquisitionem animæ.

Evangelium secundum Matthæum.

In illo tempore. cum appropinquasset Dominus Ihesus Ierosolimis. & venisset Bethfage ad montem Oliveti. tunc misit duos discipulos dicens eis· Ite in castellum quod contra vos est. & statim invenietis asinam alligatam. & pullum cum ea. solvite & adducite mihi· Et si quis vobis aliquid dixerit. dicete quia Dominus his opus habet. & confestim dimettet eos· **74** Hoc autem factum est. ut impleretur quod dictum est· per prophetam dicentem. dicite filiæ Sion. ecce rex tuus veniet tibi mansuetus. sedens super asinam & pullum filium subiugalis· Euntes autem discipuli fecerunt. sicut præcepit illis Ihesus· Et adduxerunt asinam & pullum. & posuerunt super eos vestimenta sua. & eum desuper sedere fecerunt· Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via· Alii autem cedebant ramos de arboribus. & sternebant in via· Turbæ autem quæ præcedebant & quæ sequebantur. clamabant dicentes· Osanna Filio David. benedictus qui venit in nomine Domini osanna in altissimis.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus. qui per adventum Unigeniti Filii tui Domini nostri Ihesu Christi. nova luce radiare dignatus es. concede nobis ut sicut eum per virginis partum. in forma nostri corporis meruimus habere participem. ita & in regno gratiæ eius mereamur esse consortes· Qui tecum vivit. 68

Super Oblata.

Devotionis nostræ tibi Domine quæsumus hostia iugiter immoletur. quæ & sacris peragat instituta mysteriis. & salutare tuum nobis mirabiliter operetur· per. 69

Prefatio.

Vere dignum· Æterne Deus· Cui proprium est veniam delictis impendere. quam pœnaliter imminere· Qui fabricam **75** tui operis. per eumdem rursus lapidem es dignatus erigere· Ne imago quæ ad similitudinem tui facta fuerat. vivens dissimilis haberetur ex morte. munus venerabilis indulgentiæ præstitisti· Ut unde mortem peccatum contraxerat. inde vitam pietas repararet inmensa per Christum Dominum nostrum. 70

Post Comm.

Animæ nostræ quæsumus omnipotens Deus hoc potiantur desiderio ut a tuo Spiritu inflammentur· Et divino munere satiati. ante conspectum venientis Christi Filii tui. velut clara luminaria fulgeamus· per eundem. 71

XII

DOM. V. DE ADVENTU.

Or. super populum.

Preces populi tui quæsumus Domine clementer exaudi. Ut qui de adventu Unigeniti Filii tui secundum carnem lætantur. in secundo cum venerit in maiestate sua. prœmium capiant vitæ æternæ· per eundem. 72

Ad Galatas.

Fratres· Scriptum est. quoniam Abraham duos filios habuit. unum de ancilla & de libera· Sed qui de ancilla. secundum carnem natus est. qui autem de libera. per repromissionem· Quæ autem sunt per allegoriam dicta. hæc enim sunt duo testamenta· Unum quidem a monte Sina in servitutem generans. quæ est Agar· Sina enim mons est in Arabia. qui coniunctus est ei. quæ nunc est Ierusalem. & servit cum liberis suis· Illa autem quæ sursum est Ierusalem. libera est quæ est **76** mater nostra· Scriptum est enim· Lætare sterilis quæ non paris. erumpe & clama quæ non parturis· quia multi filii desertæ magis quam eius quæ habet virum· Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filii sumus· Sed quomodo tunc qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum. qui secundum spiritum. ita & nunc· Sed quid dicit scriptura ? Eice ancillam & filium eius· Non enim eres erit filius ancillæ. cum filio liberæ· Itaque fratres non sumus ancillæ filii. sed liberæ. qua libertate nos Christus liberavit.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore Iohannes Baptista testimonium perhibet de Domino Ihesu & clamat dicens· Hic erat quem dixi vobis. qui post me venturus est ante me factus est. quia prior me erat· Et de plenitudine eius non omnes accepimus. & gratiam pro gratia. quia lex per Moysen data est. gratia autem & veritas per Ihesum Christum facta est· Deum nemo vidit unquam. nisi Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit· Et hoc est testimonium Iohannis. quando miserunt Iudæi ab Ierosolimis sacerdotes & levitas. ut interrogarent eum. tu quis es· Et confessus est & non negavit. & confessus est. quia non sum ego Christus· Et interrogaverunt eum· Quid ergo ? Helias es tu ? **77** Qui dicit. non sum. quid ergo ?

propheta es tu? Et respondit· Non· Dixerunt ergo ei. quis es ut responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? Ait. ego vox clamantis in deserto. dirigere viam Domini. sicut dixit Esaias propheta· Et qui missi fuerant. erant ex pharisæis· Et interrogaverunt eum & dixerunt ei· Quid ergo baptizas. si tu non es Christus. neque Helias. neque propheta? Respondit eis Iohannes dicens· Ego baptizo in aqua. medius autem vestrum quem vos nescitis· Ipse est qui post me venturus est. qui ante me factus est. cuius ego non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius· Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanen. ubi erat Iohannes baptizans.

Super Sindonem.

Deus qui hominem delapsum in mortem conspiciens. Unigeniti tui adventu redimere voluisti præsta quæsumus ut qui eius gloriosam incarnationem fatentur. ipsius etiam Redemptoris consortia mereantur· Qui tecum. 73

Super Oblata.

Propitius intuere Domine quæsumus munera quæ tuis altaribus exibemus· Et quod a nostra fragilitate defertur. tua virtute sacretur· per. 74

Prefatio.

Vere dignum· per Christum Dominum nostrum. Cuius divinæ nativitatis potentiam. ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo· quem semper Filium. & ante tempora æterna generatum. quia tibi pleno atque perfecto æterni Patris **78** nomen non defuit. predicamus verum etiam honore. maiestate. atque virtute æqualem tibi cum Sancto Spiritu confitemur dum in trino vocabulo. unicam credimus maiestatem· Quam laudant angeli. 75

Post Comm.

Repleti cibo spiritualis alimoniæ te Domine supplices deprecamur. ut huius participationis mysterii. doceas nos terrena despicere. & amare cælestia. atque omni nexu mortiferæ cupiditatis exutos regni perpetuæ libertatis consortes efficias· per. 76

XIII

DOM. VI. DE ADVENTU.

MISSA IN ECCLESIA [HYEMALI].

Or. super populum.

Aspice de cælo Deus & veni. & multiplica fidem populi tui. ut per te sequatur augmentum per quem sumpsit initium· qui cum Patre. 77

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. exurgens Maria. abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda. & intravit in domum Zachariæ. & salutavit Elisabeth· Et factum est ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth. exultavit infans in utero eius. Et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth. & exclamavit voce magna. & dixit· Benedicta tu inter mulieres & benedictus fructus ventris tui· Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me· Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis. exultavit in gaudio infans in utero meo· Et beata quæ credidisti. quoniam **79** perficientur ea quæ dicta sunt tibi a Domino.

Super Sindonem.

Conscientias nostras quæsumus omnipotens Deus cotidie visitando purifica· Ut veniens Filius tuus Dominus noster. paratam sibi in nobis inveniat mansionem· qui tecum & cum. 78

Super Oblata.

Hæc hostia Domine quæsumus emundet nostra delicta· Ut sicut adoranda Filii tui natalitia prevenimus. sic eius munera capiamus sempiterna gaudentes· qui tecum. 79

Præfatio.

Vere dignum. æquum & salutare nos beatæ semper virginis Mariæ sollemnia celebrare. quæ parvo utero. Dominum cæli portavit. & Redemptorem mundi angelo prænuntiante Verbum carne mortali edidit Salvatorem. quem castis concepit visceribus. clausa ingrediens & clausa relinquens· Quem una tecum. 80

Post Comm.

Læti Domine frequentamus salutis humanæ principia. quæ trina celebratio beatæ complectitur mysterio Trinitatis· per. 81

XIV

ITEM AD SANCTAM MARIAM.

Oratio super populum.

Excita Domine corda nostra. ad preparandas Unigeniti tui vias· Ut per eius adventum. purificatis tibi mentibus servire mereamur· per eundem. 82

Ad Philippenses.

Fratres. Gaudete in Domino semper. iterum dico gaudete· Modestia vestra nota sit omnibus hominibus· Dominus prope est. nihil solliciti sitis· Sed in omni oratione. & obsecratione. cum gratiarum actione **80** petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum. custodiat corda vestra. & intelligentias vestras in Christo Ihesu· De cetero quæcumque sunt vera. quæcumque pudica. quæcumque iusta. quæcumque sancta. quæcumque amabilia. quæcumque bonæ famæ. si qua virtus. si qua laus· Hæc cogitate quæ & didicistis. & accepistis. & audistis. & vidistis in me. hæc agite. & Deus pacis erit vobiscum.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galileæ. cui nomen Nazareth. ad virginem desponsatam viro. cui nomen erat Ioseph. de domo David. & nomen virginis Maria·

Et ingressus angelus ad eam dixit· Ave gratia plena. Dominus tecum. benedicta tu inter mulieres· Quæ cum audisset. turbata est in sermone eius. & cogitabat qualis esset ista salutatio· Et ait ei angelus Domini. ne timeas Maria. invenisti enim gratiam apud Deum· ecce concipies in utero & paries Filium. & vocabis nomen eius Ihesum· Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur· Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius. & regnabit in domo Iacob in æternum. & regni eius non erit finis· Dixit autem Maria ad angelum· **81** quomodo fiet istud ? quoniam virum non cognosco· Et respondens angelus dixit ei. Spiritus Sanctus superveniet in te. & virtus Altissimi obumbrabit tibi· Ideoque & quod nascetur sanctum. vocabitur Filius Dei· Et ecce Elisabeth cognata tua. & ipsa concepit filium in senectute sua· Et hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis. quia non erit impossibile apud Deum omne verbum· Dixit autem Maria· Ecce ancilla Domini. fiat mihi secundum verbum tuum.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut redemptionis nostræ ventura sollemnitas. & præsentis nobis vitæ subsidia conferat. & æterne beatitudinis præmia largiatur· per. 83

Super Oblata.

Altari tuo Domine superposita munera Spiritus Sanctus assumat. qui beatæ Mariæ viscera. sui splendoris veritate replevit· per Dominum nostrum. in unitate. 84

Præfatio.

Vere dignum æquum & salutare. nos tibi Domine Deus omnipotens gratias agere. & cum tuæ invocatione virtutis. beatæ Mariæ virginis festa celebrare· De cuius ventre fructus effloruit. qui panis angelici munere nos replevit· Quod Eva voravit in crimine. Maria restituit in salute· Distat opus serpentis. & virginis· Inde fusa sunt venena discriminis. hinc egressa mysteria Salvatoris· **82** Inde se præbuit temptantis iniquitas. hinc Redemptoris opitulata maiestas· Inde partus occubuit. hinc conditor resurrexit· A quo humana natura non tam captiva. sed libera restituitur· quod Adam perdidit in parente. Christo recepit auctore· quem una tecum. 85

Post Comm.

Adesto nobis omnipotens Deus ut quæ fideliter sumpsimus mente & corpore. beatæ Mariæ piæ matris & perpetuæ virginis intercessione custodiamus· per. 86

XV

Item Or. de Adventu.

Festina quæsumus Domine ne tardaveris. ut & peccata nostra deleas. & quæ nobis sunt adversa depellas· Qui vivis & regnas cum Deo Patre. 87

Alia.

Redemptor noster aspice Deus. & veni ad liberandum nos de profundo iniquitatis. & dona ecclesiæ tuæ perpetuam tranquillitatem & pacem· Qui vivis. 88

Alia.

Excita potentiam tuam Deus. & veni· Et quod ecclesiæ tuæ usque in finem sæculi promisisti. benignus operare· Qui vivis & regnas. 89

Alia.

Verbi tui nos quæsumus Domine adventus inluminet. & a sordibus peccatorum clementer emundet· Qui tecum. 90

Alia.

Adiuva quæsumus Domine plebem tuam. & ad nativitatem Unigeniti Filii tui tribue nos pariter pervenire gaudentes· per. 91

Alia.

83 Excita Domine potentiam tuam. & magna nobis virtute succurre. Ut per auxilium gratiæ tuæ quod nostra peccata prepediunt. indulgentia tuæ propitiationis acceleret· Qui vivis. 92

Alia.

Præveniat nos quæsumus omnipotens Deus tua semper gratia & subsequatur· Ut per adventum Unigeniti Filii tui. quem summo cordis desiderio sustinemus. & præsentis vitæ subsidia. & futuræ consequi mereamur· Qui vivit. 93

Alia.

Respice nos misericors Deus. & mentibus clementer humanis nascente Christo summæ veritatis lumen ostende· per eundem. 94

Alia.

Largire quæsumus Domine famulis tuis. fidei & securitatis augmentum· Ut qui nativitate Filii tui Domini nostri gloriantur. & adversa mundi te gubernante non sentiant. & quæ temporaliter celebrare desiderant. sine fine percipiant· per eundem. 95

Alia.

Deus qui beatæ Mariæ virginis partum sine humana concupiscentia procreatum. in Filii tui membra venientis. paternis fecisti præiudiciis non teneri. præsta quæsumus ut huius creaturæ novitate suscepta. vetustatis antiquæ contagiis exuamur· Per eundem. 96

Alia.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut quia sub peccati iugo. ex vetusta servitute deprimimur. expectata **84** Unigeniti Filii tui nativitate liberemur· Per eumdem. 97

Alia.

Indignos nos quæsumus Domine famulos tuos. quos actionis propriæ culpa contristat. Unigeniti Filii tui adventu lætifica· per eundem. 98

Alia.

Preces populi tui quæsumus Domine clementer exaudi· Ut qui iuste pro peccatis nostris affligimur. pietatis tuæ visitatione consolemur· per. 99

Alia.

Prope esto Domine omnibus expectantibus te veritate. ut in adventu Filii tui Domini nostri placitis tibi actibus præsentemur· per eundem. 100

Alia.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut magnæ festivitatis ventura sollemnia prospero celebremus affectu. pariterque reddamur & intenti cælestibus disciplinis. & de nostris temporibus lætiores· per. 101

Alia.

Mentes nostras quæsumus Domine lumine tuæ visitationis inlustra· Ut esse te largiente mereamur & inter prospera humiles. & inter adversa securi· per. 102

XVI

MISSA IN VIGILIA NATALIS DOMINI.

Oratio super populum.

Deus qui hunc diem sacratissimum. per incarnationem verbi tui. & partum Mariæ virginis consecrasti. da populis tuis in hac celebritate consortium· Ut qui tua gratia sunt redempti. tua sint protectione securi· per eundem. 103

Epistola ad Hebræos.

Fratres. qui venturus est veniet. & non tardabit· **85** Iustus autem meus ex fide vivit· Quod si subtraxerit se. non placebit animæ meæ· Nos autem non sumus subtractionis in perditionem. sed fidei in adquisitionem animæ.

Secundum Matthæum.

Christi generatio sic erat· Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph. antequam convenirent. inventa est in utero habens de Spiritu Sancto· Ioseph autem vir eius cum esset iustus. & nollet eam traducere. voluit occulte dimittere eam· Hæc autem eo cogitante. ecce angelus Domini in somnis apparuit ei dicens. Ioseph fili David. noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum est. de Spiritu Sancto est· Pariet autem filium. & vocabis nomen eius Ihesum· Ipse enim salvum faciet populum suum. a peccatis eorum· Hoc autem totum factum est. ut adimpleretur id quod dictum est a Domino. per prophetam dicentem· Ecce virgo in utero habebit. & pariet Filium. & vocabunt nomen eius Emmanuel. quod est interpretatum. nobiscum Deus· Exurgens autem Ioseph a somno. fecit sicut præcepit ei angelus Domini· Et accepit coniugem suam. & non cognovit eam. donec peperit Filium suum primogenitum. & vocabit nomen eius Ihesum.

Super Sindonem.

Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter **86** condidisti. & mirabilius reformasti. da quæsumus nobis Ihesu Christi Filii tui dignitatis esse consortes. qui humanitatis nostræ dignatus est fieri particeps· Qui tecum. 104

Super Oblata.

Præ ceteris sollemnitatibus gloriantes. hodie tibi Domine vota persolvimus· Quia ipse cuius imagine immolamus. immaculatus agnus est editus· Ihesus Christus Dominus noster· Qui tecum vivit. 105

Prefatio.

Vere dignum· Æterne Deus per Christum Dominum nostrum· Cuius hodie faciem in confessione prævenimus. & voce supplici exoramus. ut superventuræ noctis officiis. nos ita pervigiles reddat. ut sinceris mentibus eius percipere mereamur natalem venturum. In quo invisibilis ex substantia tua. visibilis per carnem apparuit in nostra· Tecumque unus non tempore genitus. non natura inferior ad nos venit ex tempore natus· per quem maiestatem. 106

Post Comm.

Sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri Ihesu Christi refectione vegetati. supplices te rogamus omnipotens Deus. ut hoc remedium singulare ab omnium peccatorum nos contagione purificet· per eundem. 107

ORATIO AD VESPERUM.

Tribue nobis quæsumus omnipotens Deus. ut qui Unigenitum tuum manentem in tua gloria. Deum in carne nostri corporis natum. per sacrosanctam Mariam **87** virginem confitentur. nulla possint adversa scismaticorum opinione perverti· Per eundem. 108

Alia.

Deus qui salutem generis humani in Verbi tui incarnatione fundasti. da populis tuis misericordiam quam deposcunt· Ut sciant omnes nationes non esse aliud sanctum. quam nomen Unigeniti tui sub cælo. quod debeant invocare· Qui tecum vivit. 109

Alia.

Deus qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætificas. præsta ut Unigenitum tuum. quem redemptorem læti suscepimus. venientem quoque iudicem securi videamus· Qui tecum vivit. 110

AD MATUTINUM.

In Cantemus.

Præsta misericors Deus. ut natus hodie Salvator mundi. sicut divinæ nobis generationis est auctor. ita & immortalitatis sit ipse largitor· Qui tecum vivit. 111

In Benedicite.

Insonuit Domine benedictio Trinitatis de camino ignis psallentes de nativitate tua· Et ideo petimus misericordiam tuam. ut sicut illos eripuisti de camino ignis ardentis. ita & nos eripias ab incendio peccatorum· Qui vivis & regnas. 112

In Laudate.

Deus cui cæli & terra non sufficiunt. virginis viscera ingressus. templum tibi habitationis dedi-

care dignatus es. oramus supplices pietatem tuam. ut huius sacramenti mysterio. populum tuum **88** pervigili protectione custodias· Qui vivis. 113

AD COMPLETORIUM.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut Unigeniti tui nativitatis diem. puro corde & mentibus celebremus inlæsis· per eumdem. 114

XVIBIS

IN NAT. DOMINI.

IN NOCTE SANCTA

AD MISSAM.

Deus qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere. da quæsumus ut cuius lucis mysteria in terra cognovimus. eius quoque gaudiis in cælo perfruamur· Qui tecum. 115

Ad Galatas.

Fratres. Postquam venit plenitudo temporis. misit Deus Filium suum factum ex muliere. factum sub lege. ut eos qui sub lege erant redimeret. ut adoptionem filiorum reciperemus. quoniam autem estis filii. misit Deus spiritum Filii sui in corda nostra clamantem abba Pater.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore Erat lux vera. quæ inluminat omnem hominem venientem in hunc mundum· In mundo erat. & mundus per ipsum factus est. & mundus eum non cognovit· In propria venit & sui eum non receperunt· Quotquot autem receperunt eum. dedit eis potestatem filios Dei fieri. his qui credunt in nomine eius· Qui non ex sanguinibus. neque ex voluntate carnis. neque ex voluntate viri. sed ex Deo nati sunt· Et Verbum caro **89** factum est. & habitavit in nobis· Et vidimus gloriam eius. gloriam quasi Unigeniti a Patre. plenum gratiæ & veritatis.

Super Sindonem.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut quos sub peccati iugo vetusta servitus tenet. eos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet· Per eundem Dominum. 116

Super Oblata.

Accepta tibi sit Domine quæsumus hodiernæ festivitatis oblatio. Ut tua gratia largiente. per hæc sacrosancta commercia in illius inveniamur forma. in quo tecum est nostra substantia· Qui tecum. 117

Prefatio.

Vere dignum æterne Deus. quia nostri Salvatoris hodie lux vera processit. quæ clara nobis omnia. & intellectu manifestavit. & visu. & ideo cum angelis. 118

Infractionem.

Communicantes. & noctem sacratissimam celebrantes qua beatæ Mariæ intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem· Sed & memoriam venerantes eiusdem gloriosæ semper virginis Mariæ genetricis Dei. ac Domini. 119

Post Comm.

Da nobis quæsumus Domine Deus noster. ut qui in nativitatem Domini nostri Jesu Christi frequentare gaudemus. dignis conversationibus ad eius mereamur pertingere consortium· Per eumdem. 120

XVI^TER

MANE AD MISSAM.

Or. super populum.

Deus qui es mundi creator & rector. da nobis in hac die. incarnationis Verbi tui. & partus sacræ **90** Mariæ virginis pium celebrare consortium· Ut qui per tuam gratiam sunt redempti. tua sint protectione securi· Per eundem. 121

Epistola ad Hebræos.

Fratres· Multifariam. multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis. novissime autem diebus istis. locutus est nobis in Filio suo. quem constituit heredem universorum. per quem fecit & sæcula· Qui cum sit splendor gloriæ. & figura substantiæ eius. portansque omnia verbo virtutis suæ. purgationem peccatorum faciens. sedet ad dexteram maiestatis in excelsis· Tanto melior angelis effectus. quanto differentius præ illis nomen hereditavit· Cui enim dixit aliquando angelorum. Filius meus es tu. ego hodie genui te? Et rursum. ego ero illi in patre. & ipse erit mihi in filio? Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ. dicit· Et adorent eum omnes angeli Dei· Et ad Angelos quidem dicit· Qui facit angelos suos Spiritus. & ministros suos ignem urentem· Ad Filium autem. thronus tuus Deus in sæculum sæculi.

Secundum Matthæum.

In illo tempore Exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis· Hæc descriptio prima facta est a præside Syriæ Cyrino· Et ibant omnes. ut profiterentur singuli in suam **91** civitatem· Ascendit autem & Ioseph a Calilea. de civitate Nazareth. in Iudæam civitate David. quæ vocatur Bethleem. eo quod esset de domo & familia David. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore pregnante· Factum est autem cum essent ibi impleti sunt dies ut pareret· Et peperit filium suum primogenitum. & pannis involvit. & reclinavit eum in præsepio. quia non erat ei locus in diversorio· Et pastores erant in regione eadem. vigilantes & custodientes vigilias noctis. super gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos. & claritas Dei circumfulsit illos. & timuerunt timore magno· Et dixit illis angelus· Nolite timere· Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum. quod erit omni populo. Quia natus est vobis hodie Salvator. qui est Christus Dominus. in civitate David· Et hoc est vobis

signum· Invenietis infantem pannis involutum. & positum in presepio· Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum. & dicentium· Gloria in altissimis Deo. & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Super Sindonem.

Deus qui humanæ substantiæ. dignitatis tuæ gratiam contulisti. da nobis Ihesu Christi Filii tui **92** divinitatis esse consortes. qui fragilitatis nostræ dignatus fieri particeps· Qui tecum vivit. 122

Super Oblata.

Grata tibi sit quæsumus Domine hodiernæ nativitatis Domini nostri Ihesu Christi hæc oblatio· Ut tua gratia largiente per hæc sacrosancta commercia. in ipsius inveniamur forma in quo & nostram credendo speramus esse substantiam· Qui tecum vivit. 123

Prefatio.

Vere dignum· Per Christum Dominum nostrum. Quem beata Maria sine detrimento virginitatis· & sine virili actione. mater & virgo concepit intacta· Et non est eius conceptio sine virginitatis inventa pudore. Ut quod audivit ab angelo crederet. & quod crediderat indubitanter acciperet· Nec in ea honor exterminatus est integritatis. ut mater sempiternæ diceretur castitatis. O beatum & sacrosanctum Mariæ virginis uterum. quæ sola meruit inter mulieres suis visceribus mundi portare Dominum. eumdemque Ad nostram salutem æternam edidit· Gaudeat itaque universus orbis. quia ex membris virginalibus egressus est Deus· Congratuletur innumerabilis multitudo angelorum exercitus. cum quibus gloriam nostram tuam canimus dicentes. 124

Post Comm.

Reple quæsumus Domine famulos tuos. tua sacra benedictione· Et qui te factorem & conditorem ad eos renovandos Dominum nostrum Ihesum Christum advenisse confidunt. te auctore iugiter operante salventur· per eumdem. 125

ORATIO AD VESPERUM.

Natum nobis Domine hodie Filium tuum. annua festivitate celebrantes. præsta quæsumus ut cuius in terris gaudemus adventu in sempiterna eius exultemus gloria· Qui tecum vivit. 126

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut redemptionis nostræ ventura sollemnitas. & vitæ nobis conferat præsentis auxilia. & remedia sempiterna procuret· per. 127

Alia.

Concede nobis omnipotens Deus. ut salutare tuum **93** nova cælorum luce mirabili. quod ad salutem mundi hodierna festivitate processit. nostris semper innovandis cordibus oriatur· Qui tecum vivit. 128

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus. qui in Filii tui Domini nostri nativitate. tribuisti totius religionis initium. perfectionemque constare. da nobis quæsumus in eius portione censeri. in quo totius salutis humanæ summa consistit· per eumdem. 129

Alia.

Da quæsumus Domine populo tuo, inviolabilem fidei firmitatem· Ut qui Unigenitum tuum in tua tecum gloria sempiternum. in veritate nostri corporis natum de matre virgine confitentur. & a præsentibus liberentur adversis. & mansuris gaudiis inserantur· per eundem. 130

AD COMPLETORIUM.

Respice nos misericors Deus. & in mentibus nostris clementer humanis. nascente Christo summæ veritatis lumen ostende· per eundem· 131

XVII

FERIA II.

MISSA DE NAT. DOMINI.

Oratio super populum.

Adesto Domine supplicationibus nostris· Ut populus tuus. qui te factore conditus. teque est reparatus auctore. te etiam iugiter operante salvetur· per. 132

Super Sindonem.

Deus qui Unigenitum tuum per uterum virginis Mariæ intactum. in hunc mundum manifestare dignatus es. non desit famulis tuis. pietatis tuæ invictissima salus· per eundem. 133

Super Oblata.

94 Deus qui in nativitatis tuæ exordium pro nostra necessarium salvatione duxisti. respice propitius ad munus totius ecclesiæ tuæ· Et quos similes ad imaginem tuam fecisti. similiores observatione perfice mandatorum· Qui vivis & regnas. 134

Prefatio.

Vere dignum· Æterne Deus. & in omnibus prædicare mysteriis. hodie quia nostri Salvatoris lux vera processit. quæ clausam nobis omnibus vitam reddidit. ut non solum præsentem suo splendore dirigeret sed ad ipsam nos maiestatis inmensæ gloriam perduceret intuendam· per eundem Christum. 135

Post Comm.

Plebs tua Domine eius participatione semper gaudeat sacramenti. quod in Christi Domini sui incarnatione cognovit· Qui tecum vivit. 136

XVIII

VII. KALENDAS IANUARII.

NATAL. SANCTI STEPHANI.

Omnipotens sempiterne Deus. qui primitias martyrum. in sancti lævitæ Stephani sanguine

dedicasti. tribue quæsumus. ut pro nobis intercessor existat. qui pro suis etiam persecutoribus supplicavit· per. 137

Alia.

Deus qui beato levitæ Stephano lapidantibus veniam poscere tribuisti. quæsumus ut bona pro malis reddere tuo possimus auxilio· quod primi martyris docemur exemplo· per. 138

Alia.

Ministrantium tibi Deus eruditor & rector. qui Ecclesiæ **95** tuæ primordia. beati lævitæ Stephani mynisterio & pretioso martyrii sanguine decorasti. da quæsumus ut in excessu nostro veniam consequentes. mereamur exemplis eius imbui. & intercessionibus adiuvari· per. 139

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut ecclesia tua competenter post nativitatem Domini nostri Ihesu Christi solemnitate beati Stephani gratuletur. quem primum cognovit confessum sui potentiam Salvatoris· Qui tecum vivit. 140

Alia.

Da nobis Domine quæsumus imitari. quod colimus· Ut discamus inimicos diligere. quia eius natalicia celebramus. qui novit etiam pró persecutoribus exorare· per. 141

Epistola ad Timotheum. II.

Karissime· Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum : ad arguendum. ad corrigendum. ad erudiendum ad iustitiam. ut perfectus sit homo Dei. ad omne opus bonum instructus· Testificor coram Deo & Christo Ihesu. qui iudicaturus est vivos ac mortuos. & adventum ipsius & regnum eius, prædica verbum. insta opportune importune· Argue. obsecra. increpa cum omni patientia. & doctrina· Erit enim tempus. cum sanam doctrinam non sustinebunt. sed ad sua desideria coacervabunt sibi **96** magistros prurientes auribus· Et a veritate quidem auditum avertent. ad fabulas autem convertentur· Tu vero vigila. in omnibus labora. opus fac evangelistæ ministerium tuum imple· Ego enim iam delibor. & tempus meæ resolutionis instat· Certamen bonum certavi. cursum consummavi. fidem servavi· De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex· Non solum autem mihi. sed & his qui diligunt adventum eius.

Secundum Matthæum.

In illo tempore Cum venisset Dominus Ihesus Capharnaum accesserunt qui didragma accipiebant ad Petrum. & dixerunt ei· Magister vester non solvit didragma? At ille ait· Etiam· Et cum intrasset in domum. prævenit eum Ihesus dicens· Quid tibi videtur Simon? Reges terræ. a quibus accipiunt tributum vel censum? A filiis suis. an ab alienis? Et ille dixit ab alienis· Dixit illi Ihesus· Ergo liberi sunt filii· Ut autem non scandalizemus eos. vade ad mare. & mitte hamum. & eum piscem qui primus ascenderit tolle· Et aperto ore eius invenies staterem. & illum sumens da eis pro me. & pro te.

Super Sindonem.

Da quæsumus omnipotens Deus. ut beati protomartyris tui **97** Stephani. post nativitatem Domini nostri Ihesu Christi sollemnia recensentes. & meritis ipsius protegamur & precibus adiuvemur· per eumdem. 142

Super Oblata.

Hoc munus populi tui Domine. lævitæ & protomartyris Stephani deprecatione sit gratum· Ut ecclesia tua eius semper intercessionibus adiuvetur. cuius sine cessatione instruitur disciplinis· per. 143

Prefatio.

Vere dignum· Æterne Deus. qui lævitarum præconem vocasti Stephanum· Hic tibi primus dedicatur martyrii nomen. hic tibi inchoavit primus effundere sanguinem· Hic meruit videre apertos cælos. Filium stantem ad dexteram Patris· In terris hominem adorabat. & in cælo filium patris esse clamabat· Hic magistri verba referebat. quia quod Christus dixit in cruce. hoc Stephanus docuit in sanguinis sui morte· Christus in cruce indulgentiam seminabat. & Stephanus pro suis lapidatoribus Dominum supplicabat· Propterea cum. 144

Post Comm.

Gratias tibi agimus Domine. multiplicatis circa nos miserationibus tuis· Qui & Filii tui nativitate nos salvas. & beati martyris Stephani deprecatione sustentas· per eundem Dominum. 145

XIX

FERIA III. AD MISSAM.

Oratio super populum.

Deus qui restaurationem conditionis humanæ **98** mirabiliter operaris. tribue quæsumus ut simul perficiatur in nobis. quod Verbi tui creavit dignatio. & quod eius hominis facti gloriosa nativitas reformavit· per eundem Dominum. 146

Super Sindonem.

Deus qui humanum genus principaliter sauciatum. Christi tui nativitate salvare dignatus es. præsta quæsumus ut non hereamus perditionis auctori. sed ad Redemptoris nostri consortia transferamur· per eundem. 147

Super Oblata.

Oblatio tibi sit Domine quæsumus hodiernæ festivitatis accepta· Quia & nostræ reconciliationis processit perfecta placatio. & divini cultus nobis est indita plenitudo· per. 148

Prefatio.

Vere dignum· Æterne Deus. tuæ laudis hostiam iugiter immolantes· Cuius figuram Abel iustus

instituit. agnus quoque legalis ostendit· Celebravit Abraham. Melchisedech sacerdos exhibuit. sed verus agnus & æternus pontifex hodie natus Christus implevit· Et ideo cum angelis. 149

Post Comm.

His Domine sacramentis. tuus nos semper natalis instauret. cuius nobilitas singularis. humanam repulit vetustatem· Qui vivis & regnas. 150

XX

VI. KALENDAS IANUARII.

NAT. SANCTI IOHANNIS EVANGELISTÆ.

Oratio super populum.

Deus qui per os beati apostoli tui Iohannis evangelistæ Verbi tui nobis arcana reserasti. præsta quæsumus ut quod **99** ille nostris auribus excellenter infudit. intellegentiæ competentis eruditione capiamus· per eundem. 151

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut excellentiam Verbi tui. quam evangelista Iohannes asseruit. & convenienter intellegere valeamus. & veraciter profiteri· per eumdem. 152

Ecclesiam tuam quæsumus Domine benignus inlustra· Ut apostoli tui Iohannis evangelistæ inluminata doctrinis. ad dona perveniat. quæ de tua sempiterna fidelibus retributione promisit· per. 153

Alia.

Adsit ecclesiæ tuæ quæsumus Domine beatus evangelista Iohannes· Ut cuius perpetuus doctor extitit semper esse non desinat suffragator· per. 154

Ad Romanos.

Fratres. Hoc est verbum fidei. quod predicamus. quia si confitearis in ore tuo Dominum Ihesum. & credideris in corde tuo quod Deus illum suscitavit a mortuis salvus eris· Corde enim creditur ad iustitiam. ore autem confessio fit ad salutem· Dicit enim scriptura. Omnis qui credit in illum. non confundetur· Non enim est distinctio Iudæi. & Græci nam idem Dominus omnium dives in omnes. qui invocant illum· Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo ergo invocabunt. in quem non crediderunt? Aut quomodo credunt ei. quem non audierunt? Quomodo autem audient. **100** sine prædicante? Quomodo prædicabunt. nisi mittantur? Sicut scriptum est· Quam spetiosi pedes evangelizantium pacem evangelizantium bona.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus Symoni Petro· Sequere me· Conversus Petrus, vidit illum discipulum. quem diligebat Ihesus sequentem. qui & recubuit in cœna super pectus eius. & dixit· Dominus quis est. qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus dicit Ihesu· Domine hic autem quid? Dicit ei Ihesus· Sic eum volo manere donec veniam· Quid ad te? Tu me sequere· Exivit ergo sermo iste inter fratres. quia discipulus ille non moritur· Et non dixit ei Ihesus non moritur. sed sic eum volo manere donec veniam. quid ad te· Hic est discipulus. qui testimonium perhibet de his. & scripsit hæc· Et scimus quia verum est testimonium eius.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut Verbum caro factum. quod beatus Iohannes evangelista prædicavit. per hoc sui mysterium habitet semper in nobis· qui tecum. 155

Super Oblata.

Supplicationibus apostolicis beati Iohannis evangelistæ quæsumus Domine ecclesiæ tuæ commendetur oblatio cuius magnificis prædicationibus eruditur· per. 156

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. beati Iohannis evangelistæ merita recolentes. quem Dominus Christus non solum **101** peculiari semper decore ornavit. sed & in cruce positus. tamquam hereditario munere prosecutus. vicarium pro se matri filium clementer attribuit. quem in tantum benignitas indulta præfecit. ut & factus ex piscatore discipulus. & humanæ dispensationis modum excedens. ipsam verbi tui sine initio deitatem. pre ceteris & mente conspiceret. & voce proferret· Propterea. 157

Post Comm.

Apostolica beati Iohannis evangelistæ quæsumus Domine intercessione nos adiuva. pro cuius sollemnitate percepimus tua sancta lætantes· per. 158

XXI

V. KALENDAS IANUARII.

NAT. INNOCENTUM.

Oratio super populum.

Deus qui donis tuis infantum quoque tui nescia sacramenti corda præcedis. tribue quæsumus ut qui nostræ conscientiæ fiduciam non habemus. indulgentia semper copiosa præveniat· per. 159

Alia.

Annue quæsumus omnipotens Deus. ut sicut eos quorum natalicia recensemus. per tuam gratiam bene placitos acta fecerunt innoxia. sic nos tuæ pietati Salvatoris humilitas præstet acceptos· Qui tecum. 160

Alia.

Deus cuius hodierna die præconium innocentes martyres non loquendo. sed moriendo confessi sunt. omnia in nobis vitiorum mala mortifica· Ut fidem tuam quam lingua nostra loquitur. etiam **102** moribus vita fateatur. 161

Alia.

Lætetur quæsumus Domine ecclesia tua de tuorum celebritate infantum. & misericordiæ tuæ iugiter experiatur effectum· Quo & fragilitas humana subsistat. & divina supplicantibus redemptio non negetur· per. 162

Ad Romanos.

Fratres. quicumque spiritu Dei aguntur. hi sunt filii Dei· non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore. sed accepistis spiritum adoptionis filiorum. in quo clamamus abba Pater· Ipse enim Spiritus testimonium reddidit spiritui nostro. quod sumus filii Dei· Si autem filii & heredes· Heredes quidem Dei. coheredes autem Christi· Si tamen compatimur. ut & glorificemur· Existimo enim. quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. quæ revelabitur in nobis· Nam expectatio creaturæ. revelationem filiorum Dei expectat· Vanitati enim creatura subiecta est. non volens. sed propter eum qui subiecit in spe· quia & ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis. in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens· Surge & accipe puerum. & matrem eius. & fuge in Ægyptum. & esto ibi usque dum dicam tibi· Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum **103** eum. qui consurgens accepit puerum & matrem eius nocte. & secessit in Ægyptum. & erat ibi usque ad obitum Herodis. ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem· Ex Ægypto vocavi Filium meum· Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a magis. iratus est valde· Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem. & in omnibus finibus eius. a bimatu & infra. secundum tempus quod exquisierat a magis· Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem· Vox in Rama audita est. ploratus & ululatus multus. Rachel plorans filios suos. & noluit consolari quia non sunt· Defuncto autem Herode. ecce apparuit angelus Domini in somnis Ioseph in Ægypto dicens· Surge. & accipe puerum. & matrem eius. & vade in terram Israel· Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri· Qui surgens accepit puerum & matrem eius. & venit in terram Israel· Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudea pro Herode patre suo. timuit illo ire· Et admonitus in somnis. secessit in partes Galileæ· Et veniens habitavit in civitate quæ vocatur Nazareth. ut adimpleretur quod dictum est per prophetas. quoniam Nazareus vocabitur.

Super Sindonem.

104 Tribue quæsumus omnipotens Deus. ut innocentum sinceritatem possimus imitari. quorum tibi dicata veneramur infantiam· per. 163

Super Oblata.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut & hi martyres tui pro nobis interveniant. quorum clara prior est confessio quam loquela· per. 164

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. nos in pretiosa morte parvulorum te sancte Pater omnipotens gloriosius conlaudare. quos propter Filii tui Domini nostri Salvatoris infantiam. bestiali sevitia Herodes funestus occidit· Immensa clementiæ tuæ dona cognoscimus· Fulget namque sola magis gratia quam voluntas & clara est prius confessio quam loquela· Ante passio quam membra passionis existerent· Testes Christi. qui eius nondum fuerant agnitores· O infinita benignitas Omnipotentis. cum pro suo nomine trucidatis etiam nescientibus meritum gloriæ perire non patitur. sed proprio cruore perfusis. & salus regenerationis expletur. & imputatur corona martyrii per eundem Christum Dominum· 165

Post Comm.

Hodiernæ sollemnitatis effectu. sumpsimus Domine gaudia magna de parvis suppliciter exorantes. ut hanc habundantiam in nostra quoque salvatione defendas· per. 166

XXII

105 IIII. KALENDAS IANUARII.

NAT. SANCTI IACOBI.

Deus qui huius diei venerandam sanctamque lætitiam beati apostoli tui Iacobi festivitate tribuisti. da ecclesiæ tuæ & amare quod credidit. & prædicare quod docuit· per. 167

Præsta nobis Domine quæsumus apostoli tui Iacobi doctrinis & precibus adiuvari· Ut quod præsentibus celebramus officiis. perpetuæ salvationis gaudiis assequamur· per. 168

Alia.

Præsta quæsumus Domine ecclesiæ tuæ. sub tantis gaudere principibus· Ut intellectu capere valeat quod devotione sectatur· per. 169

Ad Galatas.

Fratres. notum facio vobis evangelium quod evangelizatum est a me. quoniam non est secundum hominem. neque enim ego ab homine accepi illud. neque didici sed per revelationem Christi Ihesu· Audistis enim conversationem meam aliquando in iudaismo. quoniam supra modum persequebar ecclesiam Dei. & expugnabam illam.' & proficiebam in iudaismo supra multos coætaneos in genere meo. abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum· Cum autem complacuit ei. qui me segregavit de utero matris meæ. & vocavit per gratiam suam ut revelaret Filium suum in me. ut annuntiem illum inter gentes. continuo non adquievi carni & sanguini. neque **106** veni Ierosolimam ad precessores meos apostolos. sed abii in Arabiam. & iterum reversus

sum Damascum· Deinde post annos tres veni Ieresolimam videre Petrum. & mansi apud illum diebus quindecim· Alium autem apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini.

Secundum Matheum.

In illo tempore accessit ad Dominum Ihesum mater filiorum Zebedi. cum filiis suis. adorans & petens aliquid ab eo· Ipse autem dixit ei· Quid vis? Ait illi· Dic ut sedeant hi duo filii mei unus ad dexteram tuam. & alius ad sinistram in regno tuo· Respondens autem Ihesus dixit illis· Nescitis quid petatis· Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei. possumus· ait illis Ihesus· Calicem quidem meum bibetis. sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram. non est meum dare vobis. sed quibus paratum est a Patre meo· Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus· Ihesus autem vocavit eos ad se. & ait· Scitis quia principes gentium dominantur eorum & qui maiores sunt potestatem exercent in eos? Non ita erit inter vos· Sed quicumque voluerit inter vos maior fieri. sit vester minister· Et quicumque voluerit inter vos primus esse erit vester servus· Sicut Filius hominis non venit ministrari. **107** sed ministrare. & dare animam suam redemptionem pro multis.

Super Sindonem.

Tribue quæsumus omnipotens Deus. ut cuius doctrina populus tuus ad confessionem deitatis tuæ est institutus. eius suffragantibus meritis divinæ serviat unitati· per. 170

Super Oblata.

Supplicationibus beati apostoli tui Iacobi ecclesiæ tuæ quæsumus Domine commendetur oblatio. cuius magnificis prædicationibus eruditur· per. 171

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. maiestatem tuam suppliciter deprecantes. ut digneris nos beati Iacobi apostoli dignis precibus confovere· Ut cuius victoriis sine cessatione gaudemus. protectione perpetua muniamur· per Christum. 172

Post Comm.

Pignus vitæ æterne capientes. humiliter te Domine imploramus. ut apostolicis fulti patrociniis. quod in imagine contigimus sacramenti. manifesta perceptione sumamus· per. 173

XXIV

DOM. POST NATAL. DOMINI.

Oratio super populum.

Respice Domine quæsumus populum supplicantem misericordiam tuam ac dispone præsidiis· Ut te in omnibus rectore gratuletur. quia non habet nisi in tua tantum pietate fiduciam· per. 174

Ad Romanos.

Fratres. Deus Filium suum mittens in similitudine carnis peccati. & de peccato damnavit peccatum in carne. ut iustificatio legis impleretur in nobis **108** qui non secundum carnem ambulamus. sed secundum Spiritum. qui enim secundum carnem sunt. quæ carnis sunt sapiunt. qui vero secundum Spiritum. quæ sunt Spiritus sentiunt· Nam prudentia carnis mors est. prudentia autem Spiritus vita & pax. quoniam sapientia carnis inimica est Deo· Legi enim Dei non est subiecta. nec enim potest. qui autem in carne sunt. Deo placere non possunt· Vos autem non estis in carne. sed in Spiritu. si tamen Spiritus Dei habitat in vobis· Si quis autem Spiritum Christi non habet. hic non est eius· Si autem Christus in vobis est. corpus quidem mortuum est propter peccatum. spiritus vero vita propter iustificationem· quod si Spiritus eius qui suscitavit Ihesum a mortuis. habitat in vobis. qui suscitavit Ihesum a mortuis. vivificabit & mortalia corpora vestra. propter inhabitantem Spiritum eius in vobis.

Secundum Lucam.

In illo tempore regressus est Dominus Ihesus in virtute Spiritus in Galileam. & fama exiit per universam regionem de illo· Et ipse docebat in sinagogis eorum. & magnificabatur ab hominibus· Et venit Nazareth ubi erat nutritus. & intravit secundem consuetudinem suam in die sabbati in synagogam. & surrexit legere· Et traditus est illi liber prophetæ Esaiæ· Et ut revolvit librum. in- **109** venit locum ubi scriptum erat· Spiritus Domini super me. propter quod uncxit me evangelizare pauperibus misit me. sanare contritos corde. prædicare captivis remissionem. & cæcis visum. dimittere confractos in remissionem. prædicare annum Domini acceptum. & diem retributionis· Et cum plicuisset librum. reddidit librum & sedit· Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cæpit autem dicere ad illos· quia hodie impleta est hæc in auribus vestris. & omnes testimonium illi dabant. & mirabantur in verbis gratiæ. quæ procedebant de ore ipsius.

Super Sindonem.

Pateant aures misericordiæ tuæ Domine precibus supplicantum· Et ut petentibus desiderata concedas. fac tibi eos quæsumus placita postulare· per. 175

Super Oblata.

Respice Domine quæsumus nostram propitius servitutem· Ut quod offerimus sit tibi munus acceptum. sit nostræ fragilitati subsidium· per. 176

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus suppliciter imploramus. ut Filius tuus Ihesus Christus. qui se usque in finem sæculi suis promisit fidelibus adfuturum. & presentiæ corporalis mysteriis non deserat quos redemit. & maiestati suæ beneficiis non relinquat. quem laudant angeli. 177

Post Comm.

110 Repleti sumus Domine muneribus tuis. Tribue quæsumus ut eorum & mundemur effectu. & muniamur auxilio. per. 178

XXV

KALENDIS IANUARII.

OCTAVA DOMINI.

Oratio super populum.

Omnipotens sempiterne Deus. qui tuæ mensæ participes. a diabolico iubes abstinere convivio. da quæsumus plebi tuæ ut gustu mortiferæ profanitatis abiecto. puris mentibus ad epulas æterne salutis accedat· per. 179

Alia.

Deus qui nobis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum. fac quæsumus nos eius perpetua divinitate muniri cuius sumus carnali commercio reparati· qui tecum vivit. 180

Alia.

Deus. qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fecunda. humano generi præmia præstitisti. tribue quæsumus ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus. per quam meruimus auctorem vitæ suscipere· qui tecum vivit & regnat. 181

[*Ad Philippenses.*]

Fratres. Gaudete in Domino eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum. vobis autem necessarium· Videte canes. videte malos operarios. videte concisionem· Nos enim sumus circumcisio. qui Spiritui Dei servimus. & gloriamur in Christo Ihesu. & non in carnem fiduciam habentes. quamquam ego habeo confidentiam & in carne· **111** Si quis alius videtur confidere in carne. ego magis circumcisus octava die ex genere Israel. de tribu Beniamin. Hebreus ex Hebreis secundum legem Phariseus. secundum æmulationem persequens ecclesiam Dei. secundum iustitiam quæ in lege est conversatus sine querela· Sed quæ mihi fuerunt lucra. hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta· Verumtamen & existimo omnia detrimentum esse. propter eminentem scientiam Ihesu Christi Domini mei.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore Postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer. vocatum est nomen eius Ihesus. quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur· Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi. tulerunt illum in Ierusalem. ut sisterent eum Domino sicut scriptum est in lege Domini. quia omne masculinum adaperiens vulvam. sanctum Domino vocabitur· Et ut daret hostiam secundum quod dictum est in lege Dei. par turturum aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ierusalem. cui nomen Symeon. & homo iste iustus & timoratus. expectans consolationem Israel. & Spiritus Sanctus erat in illo· Et responsum acceperat ab Spiritu Sancto. **112** non visurum se mortem. nisi prius videret Christum Domini· Et venit in Spiritu in templum· Et cum inducerent puerum Ihesum parentes eius. ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. & ipse accepit eum in ulnas suas. & benedixit Deum & dixit· Nunc dimitte servum tuum Domine secundum Verbum tuum in pace. quia viderunt oculi mei salutare tuum. quod parasti ante faciem omnium populorum. lumen ad revelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israel.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus qui Unigenito tuo novam creaturam nos tibi esse fecisti. custodi opera misericordiæ tuæ. & ab omnibus nos maculis vetustatis emunda· Ut per auxilium gratiæ tuæ in illius inveniamur forma. in quo tecum est nostra substantia· qui tecum. 182

Super Oblata.

Muneribus nostris quæsumus Domine precibusque susceptis. & cælestibus nos munda mysteriis. & clementer exaudi· per. 183

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum· Qui ut nos a gravi servitute legis redimeret circumcisionis legalis purgationem accepit. in qua & observationis antiquæ probator existeret. & humanam in se naturam. vetustate expolians innovaret. præterita sacramentorum consumator mysterii. idem **113** legis lator & custos precipiens & oboediens. dives in suo pauper in nostro· Par turturum vel duos pullos columbarum sacrificio vix sufficit cæli terræque possessori· Grandevi Symeonis invalidis gestatur manibus. a quo mundi rector & Dominus prædicatur· Accedit etiam testificantis oraculum viduæ quoniam decebat ut ab utroque annuntiaretur sexu. utriusque salvator· quem laudant. 184

Post Comm.

Fac nos Domine quæsumus multiplicatis sollemnitatibus iterare. quod nobis causam perpetuæ salvationis operatur· per. 185

XXVI

NONIS IANUARII.

VIGILIA EPIPHANIÆ.

AD MISSAM.

Omnipotens sempiterne Deus. qui Verbi tui incarnationem. præclari testimonio sideris indicasti. quod videntes magi oblatis maiestatem tuam muneribus adoraverunt, concede ut semper in mentibus nostris. tuæ appareat stella iustitiæ. & noster in tua sit confessione thesaurus· per eundem. 186

Ad Titum.

Karissime. eramus nos aliquando insipientes. increduli. errantes. servientes desideriis & voluptatibus variis in malitia. & invidia agentes. odibiles. invicem odientes· Cum autem benignitas & humanitas **114** apparuit Salvatoris nostri Dei. non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos. sed

secundum suam misericordiam. salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti. quem effudit in nos abunde per Ihesum Christum Salvatorem nostrum ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitæ æternæ.

Secundum Matheum.

In illo tempore Venit Dominus Ihesus a Galilea in Iordanem ad Iohannem. ut baptizaretur ab eo. Iohannes autem prohibebat eum dicens· Ego a te debeo baptizari. & tu venis ad me? Respondens autem Ihesus dixit ei. Sine modo. sic enim decet nos implere omnem iustitiam· Tunc dimisit eum· Baptizatus autem Ihesus confestim ascendit de aqua. & ecce aperti sunt ei cæli. & vidit Spiritum descendentem sicut columbam. & venientem super se· Et ecce vox de cælis dicens. hic est Filius meus dilectus. in quo mihi complacui.

Super Sindonem.

Adesto Domine supplicationibus nostris. & populo tuo. quem tibi ex omnibus gentibus elegisti· veritatis tuæ lumen ostende· per. 187

Super Oblata.

Ecclesiæ tuæ Domine propitius dona concede. quibus non iam aurum. tus. aut myrra proferatur. sed quod hisdem muneribus declaretur. per. 188

Prefatio.

115 Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. quia puerperio cælesti. intulit mundo suæ miracula maiestatis. ut adorandam magis ostenderet stellam. & transacto temporis intervallo aquam mutaret in vinum. & suo quoque baptismate sanctificaret fluenta Iordanis idem Ihesus Christus Dominus noster· quem. 189

Post Comm.

Largire quæsumus omnipotens Deus supplicibus tuis ut quem natum in terris fatemur hominem. hunc Deum astris quoque fatentibus adoremus· qui tecum vivit. 190

OR. AD VESPERUM VEL AD MATUTINUM.

Annue nobis quæsumus omnipotens Deus. ut sicut scrutantibus magis hodie latenter est cognitus Dominus noster Ihesus Christus. & adoratus a cunctis gentibus. ita & nostris sensibus manifestus adveniat. & omni homini innotescat. per tecum. 191

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut Salvatoris mundi stella duce manifestata nativitas. mentibus nostris reveletur semper & crescat· per eundem. 192

Alia.

Deus qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti. concede propitius. ut qui iam te ex fide cognovimus. usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur· per eundem. 193

Deus inluminator omnium gentium. da populis tuis perpetua pace gaudere· Et illud lumen splendidum infunde cordibus nostris. quod trium **116** magorum mentibus aspersisti· per. 194

Alia.

Inlumina quæsumus Domine populum tuum. & splendore gratiæ tuæ cor eorum semper accende· Ut Salvatoris mundi stella famulante manifestata nativitas. mentibus nostris reveletur semper & crescat. per eumdem. 195

XXVIBIS

MANE AD MISSAM.

Oratio super populum.

Deus qui hunc diem electionis gentium primitus consecrasti. & per luminis tui stellam manifestum te nobis ostendisti. tribue quæsumus ut nova cælorum mirabilis claritas in nostris semper cordibus oriatur· qui vivis. 196

Ad Titum.

Karissime· Apparuit gratia Dei Salvatoris omnibus hominibus. erudiens nos. ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria. sobrie & iuste & pie vivamus in hoc sæculo. expectantes beatam spem. & adventum gloriæ magni Dei. & Salvatoris Ihesu Christi. qui dedit semetipsum pro nobis. ut nos redimeret ab omni iniquitate. & emundaret sibi populum acceptabilem. sectatorem bonorum operum· Hæc loquere. & exortare. & argue cum omni imperio· Nemo te contemnat· Admone illos principibus & potestatibus subditos esse. dicto obedire. ad omne opus bonum paratos esse. Neminem blasphemare. non litigiosos esse. sed modestos· Omnem **117** ostendentes mansuetudinem. ad omnes homines.

Secundum Matheum.

In illo tempore cum natus esset Dominus Ihesus in Bethleem Iudæ. in diebus Herodis regis. ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolimam dicentes· Ubi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente. & venimus adorare eum· Audiens autem Herodes rex turbatus est. & omnis Ierosolyma cum illo· Et congregans omnes principes sacerdotum. & scribas populi. sciscitabatur ab illis ubi Christus nasceretur· At illi dixerunt· In Bethleem Iudæ· Sic enim scriptum est per prophetam· Et tu Bethleem terra Iuda. nequaquam minima es in principibus Iuda· ex te enim exiet dux. qui regat populum meum Israel· Tunc Herodes clam vocatis Magis. diligenter didicit ab eis tempus stellæ. quæ apparuit eis· Et mittens illos in Bethleem dixit· Ite & interrogate diligenter de puero. & cum inveneritis. renuntiate mihi. ut & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem. abierunt· Et ecce stella quam viderant in Oriente antecedebat eos. usque dum veniens staret supra ubi erat puer· Videntes autem stellam. gavisi sunt gaudio

magno valde· Et intrantes domum. invenerunt puerum cum Maria matre eius. & procidentes adoraverunt eum· **118** Et apertis thesauris suis. obtulerunt ei munera aurum. tus. & myrram· Et admoniti in somnis ne redirent ad Herodem. per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Super Sindonem.

Tribue quæsumus omnipotens Deus. ut sicut omnes nationes veniunt gaudentes adorare Christum regem Dominum natum. ita & hæc præclara lux habitet semper in nobis· per eundem. 197

Super Oblata.

Pietatis tuæ Domine sacramentum hodierna sollemnitate recolentes. pro apparitione Domini nostri Ihesu Christi. & pro nostræ vocationis exordiis. sacrificium laudibus offerimus. quod propitiatus suscipias deprecamur· per eundem. 198

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui te nobis super Iordanis alveum de cælis in voce tonitrui præbuisti. ut salvatorem cæli demonstrares. & te Patrem luminis æterni ostenderes· Cælos aperuisti. aerem benedixisti. fontem purificasti. & tuum unicum Filium. per speciem columbe Sancto Spiritu declarasti· Susceperunt hodie fontes benedictionem tuam. & abstulerunt maledictionem nostram· Ita ut credentibus purificationem omnium delictorum exhibeant. & Deo filios generando adoptive faciant ad vitam æternam· Nam quos ad temporalem vitam carnalis nativitas fuderat. quos mors **119** per prevaricationem cœperat. hos vita æterna recipiens. ad regni cælorum gloriam revocavit per eumdem Christum Dominum nostrum. 199

Infra Canonem.

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes. in quo Unigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus in veritate carnis nostræ visibiliter corporalis apparuit. sed & memoriam. 200

Post Comm.

Cælesti lumine quæsumus Domine semper. & ubique nos præveni· Ut mysterium. cuius nos participes esse voluisti. & puro cernamus intuitu. & digno percipiamus affectu· per. 201

XXVII

DOM. I. POST EPYPHANIAM.

Oratio super populum.

Benedictio quæsumus Domine in tuos fideles copiosa descendat· Et quam subiectis cordibus expetunt. largiter consequantur· Quoniam sicut superbis resistis. sic humilibus tuis gratiam benignus impendis· per Dominum. 202

Epistola ad Ephesios.

Fratres. Renovamini spiritu mentis vestræ. & induite novum hominem. qui secundum Deum creatus est in iustitia. & sanctitate veritatis· Propter quod deponentes mendacium. loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo. quoniam sumus invicem membra· Irascimini. & nolite peccare· Sol non occidat super iracundiam vestram· **120** Nolite locum dare diabolo· Qui furabatur. iam non furetur· Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est. ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

Secundum Lucam.

In illo tempore· Cum factus esset Dominus Ihesus annorum duodecim. ascendentibus illis Iærosolymam secundum consuetudinem diei festi. consummatisque diebus cum redirent. remansit puer Ihesus in Ierusalem. & non cognoverunt parentes eius· Existimantes autem illum esse in comitatu. venerunt iter diei. & requirebant eum inter cognatos & notos. & non invenientes regressi sunt in Ierusalem. requirentes eum· Et factum est post triduum invenerunt illum in templo. sedentem in medio doctorum. audientem illos. & interrogantem eos· Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia. & responsis eius· Et videntes admirati sunt· Et dixit mater eius ad illum· Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus. & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos· Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt. oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum. quod locutus est ad illos· Et descendit **121** cum eis. & venit Nazareth. & erat subditus illis· Et mater eius conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo· Et Ihesus proficiebat sapientia. ætate. & gratia. apud Deum & homines.

Super Sindonem.

Vota quæsumus Domine supplicantis populi tui. cælesti pietate prosequere· Ut quæ agenda sunt videant & ad implenda quæ viderint convalescant· per. 203

Super Oblata.

Quæsumus Domine Deus noster. ut noxiis desideriis expeditos. devotionem nos tibi liberam atque oblationem offerre concedas· per. 204

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. ut qui te auctore subsistimus. te dispensante dirigamur· Non nostris sensibus relinquamur. sed tuæ reducti semper tramite veritatis. hæc studeamus exercere quæ precipis. ut possimus dona percipere quæ promittis per Christum Dominum nostrum. 205

Post Comm.

Quæsumus Domine Deus noster. ut quos divinis reparare non desinis sacramentis. tuis non destituas benignus auxiliis· per. 206

XXVIII

DOM. II. POST EPYPHANIAM.

Oratio super populum.

Omnipotens sempiterne Deus. qui cælestia simul & terrena moderaris. supplicationes populi

tui clementer exaudi. & pacem tuam nostris concede temporibus· per. 207

Ad Romanos.

Fratres. Scimus quod omnis creatura **122** ingemescit. & parturit usque adhuc· Non solum autem illa. sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes. & ipsi intra nos gemimus. adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri· Spe enim salvi facti sumus· Spes autem quæ videtur non est spes· Nam quod videt quis. quid sperat? Si autem quod non videmus speramus. per patientiam expectamus· Similiter autem & Spiritus adiuvat infirmitatem nostram· Nam quid oremus sicut oportet nescimus. sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus· qui autem scrutatur corda. scit quid desideret Spiritus. quia secundum Deum postulat pro sanctis.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ. & erat mater Ihesu ibi· Vocatus est autem & Ihesus & discipuli eius ad nuptias· Et deficiente vino. dicit mater Ihesu ad eum· Vinum non habent· Et dicit ei Ihesus. Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea· Dicit mater eius ministris· Quodcumque dixerit vobis facite· Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudeorum. capien- **123** tes singulæ metretas binas. vel ternas· Dicit eis Ihesus· Implete hydrias aqua· Et impleverunt eas usque ad summum· Et dicit eis Ihesus· Haurite nunc. & ferte architriclino· Et tulerunt. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam· & non sciebat unde esset. ministri autem sciebant qui hauserant aquam. vocat sponsum architriclinus & dicit ei· Omnis homo primum bonum vinum ponit. & cum inebriati fuerint. tunc id quod deterius est· Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc· Hoc fecit initium signorum Ihesus in Cana Galileæ. & manifestavit gloriam suam. & crediderunt in eum discipuli eius.

Super Sindonem.

Adesto quæsumus Domine supplicationibus nostris. & in tua misericordia confidentes ab omni nos adversitate custodi· per Dominum nostrum Ihesum Christum. 208

Super Oblata.

Oblata Domine munera sanctifica. nosque per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. per. 209

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. semperque virtutes & laudes tuas labiis exultationis effari· qui nobis ad relevandos istius vitæ labores. diversa donorum tuorum solacia. & munerum salutarium gaudia contulisti. mittendo nobis Ihesum Christum Dominum nostrum· per quem maiestatem. 210

124 *Post Comm.*

Augeatur in nobis Domine quæsumus tuæ virtutis operatio· Ut divinis vegetati sacramentis. ad eorum promissa capienda præparemur· per. 211

XXIX

DOM. III. POST EPYPHANIAM.

Oratio super populum.

Deus qui conspicis omni nos virtute destitui. interius exteriusque custodi· Ut & ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore. & a pravis cogitationibus mundemur in mente· per. 212

[Ad Galatas.]

Fratres· Si vivimus Spiritu. Spiritu & ambulemus· Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. invicem provocantes. invicem invidentes. Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto. vos qui spiritales estis. huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis considerans teipsum ne & tu tempteris· Alter alterius onera portate. & sic adimpletis legem Christi· Nam si quis existimat se aliquid esse. cum nihil sit ipse se seducit· Opus autem suum probet unusquisque. & sic in semetipso tantum gloriam habebit & non in altero· Unusquisque enim onus suum portabit· Communicet is qui cathetizatur verbo. ei qui se cathetizat in omnibus bonis.

Secundum Iohannem.

In illo tempore· Venit Dominus Ihesus iterum in Cana Galileæ ubi fecit aquam vinum· **125** Et erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum· Hic cum audisset quia Ihesus adveniret a Iudæa in Galileam. abiit ad eum. & rogabat ut descenderet. & sanaret filium eius· Incipiebat enim mori· Dixit ergo Ihesus ad eum· Nisi signa & prodigia videritis non creditis? Dicit ad eum regulus· Domine. descende priusquam moriatur filius meus· Dicit ei Ihesus· Vade filius tuus vivit· Credidit homo sermoni quem dixit ei Ihesus. & ibat· Iam autem eo descendente. servi occurrerunt ei. & nuntiaverunt dicentes. quia filius eius viveret· Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerit· Et dixerunt ei quia heri hora septima reliquid eum febris· Cognovit ergo pater quia illa hora erat. in qua dixit ei Ihesus. filius tuus vivit· Et credidit ipse & domus eius tota· Hoc iterum secundum signum fecit Ihesus. cum venisset a Iudæa in Galileam.

Super Sindonem.

Deus qui creaturæ tuæ misereri potius elegis quam irasci· Cordis nostri infirma considera. & tuæ nos gratia pietatis inlustra· per. 213

Super Oblata.

Hostias nostras quæsumus Domine devotionis benignus adsume· Et sacrificiis gloriosis subditorum **126** tibi corda purifica· per. 214

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus· Ut hoc tuum sacramentum. non sit nobis reatus ad pœnam. sed intercessio salutaris ad veniam· Sit ablutio scelerum. sit fortitudo fragilium. sit contra mundi pericula firmamentum· per. 215

XXX

DOM. IIII. POST EPYPHANIAM.

Oratio super populum.

Excita Domine tuorum corda fidelium. ut sacris intenta doctrinis. & intellegant quod sequantur & sequenda fideliter adprehendant· per. 216

Ad Coloss.

Fratres. Gratias agimus Deo. & Patri Domini nostri Ihesu Christi semper pro vobis orantes. audientes fidem vestram in Christo Ihesu. & dilectionem quam habetis in sanctos omnes. propter spem quæ reposita est vobis in cælis. quam audistis in verbo veritatis evangelii. quod pervenit ad vos sicut & in universo mundo est. & fructificat. & crescit. sicut & in vobis ex ea die qua audistis & cognovistis gratiam Dei in veritate. sicut didicistis ab Epafra Karissimo conservo nostro. qui est fidelis pro vobis. minister Ihesu Christi. qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in Spiritu· Ideo & nos ex qua die audivimus. non cessamus pro vobis orantes & postulantes ut impleamini in agnitione voluntatis eius. **127** in omni sapientia. & intellectu spiritali· Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes. in omni opere bono fructificantes. & crescentes in scientia Dei in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius. in omni patientia & longanimitate cum gaudio Spiritus Sancti.

Secundum Iohannem.

In illo tempore Dixit Ihesus discipulis suis· Sic enim dilexit Deus mundum. ut Filium suum Unigenitum daret. ut omnis qui credit in eum non pereat. sed habeat vitam æternam· Non enim misit Deus Filium suum in mundum ut iudicet mundum. sed ut salvetur mundus per ipsum· Qui credit in eum non iudicatur· qui autem non credit. iam iudicatus est. quia non credidit in nomine Unigeniti Filii Dei· Hoc est autem iudicium Dei. quia lux venit in mundum· Et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem· Erant enim eorum mala opera· Omnis enim qui male agit. odit lucem. & non venit ad lucem. ut non arguantur opera eius: Qui autem facit veritatem. venit ad lucem. ut manifestentur eius opera. quia in Deo sunt facta.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut inter innumeros vitæ præsentis errores. tuo semper moderamine dirigamur· per. 217

Super Oblata.

Grata tibi sit Domine quæsumus hæc oblatio plebis tuæ. quam tibi offerimus in honore Domini nostri Ihesu Christi· **128** Ut quod singuli optulerunt. singulis proficiat ad salutem· per. 218

Post Comm.

Fideles tui Deus perpetuis donis firmentur. Ut eadem & percipiendo requirant. & querendo sine fine percipiant. per Dominum. 219

XXXI

DOM. V. POST EPYPHANIAM.

Epistola ad Colossenses.

Fratres. Volo vos scire. qualem sollicitudinem habeam pro vobis. & pro his qui sunt Laodiciæ. & quicumque non viderunt faciem meam in carne. ut consolentur corda ipsorum instructi in caritate. & in omnes divitias plenitudinis intellectus. in agnitione mysterii Dei Patris Christi Ihesu. in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi· Hoc autem dico ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. Nam etsi corpore absens sum. sed spiritu vobiscum sum. gaudens & videns ordinem vestrum. & firmamentum eius quæ in Christo est fidei vestræ. Sicut ergo accepistis Christum Ihesum Dominum. in ipso ambulate. radicati & superædificati in ipso. & confirmati in fide & veritate.

Secundum Matheum.

In illo tempore· Accessit ad Dominum Ihesum quidam homo genibus provolutus ante eum dicens· Domine miserere filio meo. quia lunaticus est & male patitur· Nam sæpe cadit in ignem. crebro in aquam· Et optuli eum discipulis tuis. & non potuerunt curare eum· **129** Respondens Ihesus ait· O generatio incredula & perversa. quousque ero vobiscum. usque quo patiar vos? Afferte huc illum ad me· Et increpavit illum Ihesus· Et exiit ab eo dæmonium. & curatus est puer ex illa hora· Tunc accesserunt discipuli ad Ihesum secreto. & dixerunt ei· quare nos non potuimus eicere illum? Dicit illis· Propter incredulitatem vestram· Amen quippe dico vobis. si habueritis fidem sicut granum synapis. dicetis monti huic. transi hinc. & transibit & nihil inpossibile erit vobis· Hoc autem genus non eicitur. nisi per orationem & ieiunium.

XXXII

XIII. KALENDAS FEBRUARII.

NATAL. SANCTI SEBASTIANI.

Oratio super populum.

Multiplica quæsumus Domine benedictionem tuam. super populum tuum· Et quos sancti martyris tui Sebastiani. frequentibus consolaris officiis beneficiorum tuorum largitate prosequere· Ut & donis cælestibus erudiri. & competentibus se gaudeant subsidiis adiuvari· per. 220

Alia.

Deus qui beatum Sebastianum martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborasti. ex eius nobis imitatione tribue. pro amore tuo prospera mundi despicere. & nulla eius adversa formidare· per. 221

Ad Corinthios. II.

Fratres. Deus qui dixit de tenebris **130** lumen splendescere. illuxit in cordibus nostris. ad inluminationem scientiæ claritatis Dei. in facie Christi Ihesu· Habentes autem thesaurum istum in vasis fictilibus. ut excellentia sit virtutis Dei. & non ex nobis· In omnibus pressuram patimur sed non coangustamur· Aporiamur. sed non destituimur· Persecutionem patimur. sed non derelinquimur· Humiliamur sed non confundimur· Tribulamur. sed non perimus· Semper enim mortificationem Ihesu in corpore nostro circumferentes. ut & vita Ihesu Christi. in corporibus nostris manifestetur.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. Descendens Dominus Ihesus cum discipulis suis de monte. stetit in loco campestri. & turba discipulorum eius. & multitudo copiosa plebis. ab omni Iudea. & Ierusalem. & maritima. & Tyri. & Sydonis qui venerant. ut audirent eum. & sanarentur a languoribus suis· Et qui vexabantur ab spiritibus immundis curabantur· Et omnis turba quærebat eum tangere· quia virtus de illo exiebat. & sanabat omnes· Et ipse elevatis oculis in discipulos suos dicebat· Beati pauperes. quia vestrum est regnum Dei· Beati qui nunc esuritis. quia saturabimini· Beati
131 qui nunc fletis. quia ridebitis. Beati eritis. cum vos oderint homines. & cum seperaverint vos. & exprobraverint. & eiecerint nomen vestrum. tamquam malum propter Filium hominis· Gaudete in illa die. & exultate ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Super Sindonem.

Concede quæsumus Domine Deus noster. ut inter adversa. quæ pro delictorum debito sustinemus. quod fiducia nostra non obtinet. beati martyris tui Sebastiani intercessio consequatur· per. 222

Super Oblata.

Sancto Sebastiano interveniente. Domine quæsumus tibi servitus nostra complaceat. & obsequia munerum fiant præsidia devotorum· per. 223

Prefatio.

Vere dignum Æterne Deus. quoniam beati martyris Sebastiani pro confessione nominis tui. venerabilis sanguis effusus. simul & tua mirabilia manifestat. quod perficis in infirmitate virtutem. & nostris studiis dat profectum. & infirmis apud te prestat auxilium. per Christum Dominum nostrum. 224

Post Comm.

Sacro munere satiati. supplices te Domine deprecamur. ut quod debitæ servitutis cælebramur officio. intercedente sancto Sebastiano martyre tuo salvationis tuæ sentiamus augmentum· per. 225

XXXIII

XII KALENDAS FEBRUARII.

NATAL. SANCTÆ AGNES.

132 Deus qui ut humanum genus ad confessionis tui nominis provocares etiam in fragili sexu perfecisti conditionem martyrum. præsta quæsumus ut ecclesia tua. hoc exemplo commonita. nec pati pro te metuat. ut cælesti prœmii gloriam concupiscat· per Dominum nostrum. 226

Alia.

Præsta quæsumus Domine mentibus nostris. cum exultatione profectum· Ut beatæ Agnes virginis tuæ. cuius diem passionis annua devotione recolimus etiam fidei constantiam subsequamur· per. 227

Ad Corinthios. I.

Fratres. Volo vos sine sollicitudine esse Qui sine uxore est. sollicitus est quæ Domini sunt. quomodo placeat Deo· Qui autem cum uxore est. sollicitus est quæ sunt mundi. quomodo placeat uxori. & divisus est· Et mulier innupta. & virgo cogitat quæ Domini sunt. ut sit sancta & corpore. & spiritu· quæ autem nupta est. cogitat quæ sunt mundi. quomodo placeat viro· porro hoc ad utilitatem vestram dico. non ut laqueum iniciam vobis sed ad id quod honestum est. & intente facit servire Domino sine intermissione. & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi· Si quis autem turpem se videri existimat super virginem suam. quod sit super- **133**
adulta. & ita oportet fieri. quod vult faciat non peccat si nubat· Qui autem statuit in corde firmus non habens necessitatem. potestatem autem habens. suæ volontatis. & hoc iudicavit in corde suo servare virginitatem suam bene facit· Igitur. & qui matrimonio iungit virginem suam bene facit. & qui non iungit melius facit· Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius vivit· quod si dormierit vir eius. liberata est a lege viri. cui vult nubat. tantum in Domino· Beatior autem erit si sic permanserit. secundum meum consilium.

Evangelium secundum Matheum require de virginibus.

Super Sindonem.

Da nobis quæsumus Domine beatæ martyris tuæ Agnes confidenter honorare infantiam. quæ in puellari consistens ætate. mortem pro tua confessione calcavit· per. 228

Super Oblata.

Munera plebis tuæ quæsumus Domine lætanter offerimus. quæ in honore nominis tui & sanctæ Agnetis nobis remedia sempiterna dignanter impendant· per. 229

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. recensentes diem beatæ Agnes martyrio consecratum· quæ terrenæ genorositatis oblectamenta despiciens. cælestem meruit dignitatem· Et societatis humanæ vota contemnens. æterni regis est sociata consortio· Et pretiosam mortem. sexus fragilitate **134** calcata pro Christi confessione suscipiens· simul est eius facta conformis. ut sempiternitati eius & gloriæ sociaretur. per eundem Christum. . 230

Post Comm.

Refecti cybo potuque cælesti. Deus noster te supplices exoramus· ut in cuius hæc commemoratione percepimus. eius muniamur & precibus· per. 231

XXXIV

XI KALENDAS FEBRUARII

NATAL. SANCTI VINCENTII

Oratio super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut sicut interventu beati lævitæ & martyris tui Vincentii. mundana prosperitate lætamur. ita & devotiores efficiamur cælistibus institutis· per. 232

Alia.

Adesto quæsumus Domine supplicationibus nostris· Ut qui ex iniquitate nostra. reos nos esse cognoscimus. beati lævitæ & martyris tui Vincentii intercessionibus liberemur· per. 233

Ad Corinthios. II.

Fratres. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Ihesu Christi. Pater misericordiarum. & Deus totius consolationis. qui consolatur nos in omni consolatione nostra. ut possimus & ipsi consolari eos. qui in omni pressura sunt per exortationem qua exhortamur & ipsi a Deo. quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis. ita & per Christum abundat etiam consolatio nostra· Sive autem tribulamur pro vestra exortatione & salute. sive consolamur **135** pro vestra consolatione. quæ est in tolerantia earundem passionum. quas & nos patimur & spes nostra firma est pro vobis. scientes quia sicut socii passionum estis. sic eritis & consolationis.

Secundum Lucam.

In illo tempore. elevatis Dominus Ihesus oculis in discipulos suos dicebat· Beati pauperes spiritu. quia vestrum est regnum Dei· Beati qui nunc esuritis. quia saturabimini· Beati qui nunc fletis. quia ridebitis· Beati eritis cum vos oderint homines. & cum separaverint vos. & exprobraverint. & eiecerint nomen vestrum tamquam malum. propter Filium hominis· Gaudete in illa die & exultate· ecce enim merces vestra multa est in cælo· Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum· Verumtamen væ vobis divitibus. quia habetis consolationem vestram· Væ vobis qui saturati estis. quia esurietis· Væ vobis qui ridetis nunc. quia lugebitis & flebitis· Væ cum benedixerint vobis omnes homines· Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum· Sed vobis dico qui auditis. diligite inimicos vestros benefacite his qui vos oderunt· Benedicite maledicentibus vobis. orate pro calumniantibus vos· Et qui te percutit **136** in maxilla. præbe ei & alteram· Et ab eo qui aufert tibi vestimentum. etiam tunicam noli prohibere· Omni autem petenti te tribue· Et qui aufert quæ tua sunt ne repetas· Et prout vultis ut faciant vobis homines. & vos similiter facite illis· Et si diligitis eos qui vos diligunt. quæ vobis est gratia? Nam & peccatores dilgentes se diligunt· Etsi bene feceritis his qui vobis benefaciunt. quæ vobis est gratia? Siquidem & peccatores hoc faciunt· Et si mutuum dederitis his a quibus speratis recipere quæ gratia est vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur. ut recipiant æqualia· Verumtamen diligite inimicos vestros. benefacite. & mutuum date. nihil desperantes. & erit merces vestra multa in cælis· Et eritis filii Altissimi. quia ipse benignus est super ingratos & malos· Estote ergo misericordes sicut & pater vester misericors est.

Super Sindonem.

Auxilium quæsumus Domine maiestatis tuæ tribue potestatisque subiectis· Ut quicquid actibus nostris non meremur accipere. beati lævitæ & martyris tui Vincentii precibus assequamur· per. 234

Super Oblata.

Hostias tibi Domine beati Vincentii lævitæ & martyris tui dicatas meritis benigne assume. & **137** ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium· per. 235

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum· qui martyrem suum Vincentium vocavit ad gloriam. qui eum per martyrii vulnera cælestem vocavit ad palmam· Hic nempe martyr verus Domini testis. non dubitavit pro Christo animam dare in morte. sciens quod non hic haberet civitatem manentem. sed in cælo distributam hereditatem per sortem· Non timuit tortoribus in pœnis tradere membra. sciens quod caro sua glorificata resurgat. & propter dolorum flagella recipiat prœmia sempiterna· Torquetur. tunditur. flagellatur. exuritur. sed invictus pro sancto nomine animus non concutitur. plus ardens igne cæli quam ferri. plus nectitur timore Dei quam seculi· Plus voluit placere Deo quam foro. plus dilexit mori mundo. quam Deo· Propter quod in sancta confessione triumphans. nec in persecutione animam ponere dubitans. carnea claustra relinquens. ad cæleste regnum conscendens cum sanctis omnibus exultat & gaudet· Cum angelis. 236

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut qui cælestia alimenta percepimus intercedente beato Vincentio lævita & martyre tuo. per hæc contra omnia adversa muniamur· per. 237

138 XXXV

VIIII. KALENDAS FEBRUARII.

NATAL. SANCTORUM BABYLÆ ET TRIUM PARVULORUM.

Oratio super populum.

Sanctorum tuorum quæsumus Domine Babylæ & trium parvulorum natalicia nos tueantur. quia tanto fiducialius tuo nomini supplicamus. quanto frequentius martyrum benedictionibus confovemur· per. 238

Ad Thessalonicenses. I.

Fratres. Fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos angelum Dei in multa sollicitudine· Exortatio enim nostra non de errore. neque de inmunditia. neque in dolo. sed sicut probati sumus a Deo ut crederetur nobis evangelium. ita loquimur. non quasi hominibus placentes. sed Deo. qui probat corda nostra· Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis. sicut scitis neque in occasione avaritiæ· Deus testis est· Nec quærentes ab hominibus gloriam. neque a vobis. neque ab aliis. cum possimus oneri esse. ut Christi apostoli. sed facti sumus parvuli in medio vestrum. tamquam si nutrix foveat filios suos. ita desiderantes vos cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei. sed sed etiam animas nostras. quoniam carissimi nobis facti estis· Memores enim estis fratres laboris nostri & fatigationis. nocte & die operantes ne quem vestrum gravaremus. prædicavimus vobis **139** evangelium Dei· Vos testes estis. & Deus. quam sancte & iuste. & sine quærela vobis qui credidistis fuimus· Sicut scitis qualiter unumquemque vestrum tamquam pater filios suos deprecantes vos & consolantes testificati sumus. ut ambularetis digne Deo qui vos vocavit in suum regnum & gloriam.

Secundum Matheum.

In illo tempore· Accesserunt discipuli ad Dominum Ihesum dicentes· quis putas maior est in regno cælorum? Et advocans Ihesus parvulum. statuit eum in medio eorum & dixit· Amen dico vobis. nisi conversi fueritis. & efficiamini sicut parvuli. non intrabitis in regnum cælorum· quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste. hic est maior in regno cælorum· Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo. me suscipit. qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt. expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius. & demergatur in profundum maris· Væ mundo ab scandalis· Necesse est enim ut veniant scandala· Verumtamen væ homini. per quem scandalum venit· Si autem manus tua. vel pes tuus scandalizat te. abside eum & proice abs te· Bonum tibi est ad vitam debilem vel clodum. quam. duas manus. vel duos pedes habentem. mitti **140** in ignem æternum· Et si oculus tuus scandalizat te. erue eum & proice abs te. Bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare. quam duos oculos habentem. mitti in gehennam ignis· Videte ne contemnatis unum ex illis pusillis· Dico enim vobis quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei. qui in cælis est· Venit enim Filius hominis salvare. quod perierat.

Super Sindonem.

Martyrum tuorum Babylæ & trium parvulorum nos quæsumus Domine interventio gloriosa commendet· Ut quod nostris actibus non meremur. eorum precibus consequamur· per. 239

Super Oblata.

Suscipe Domine propitius orationem nostram. cum oblationibus. hostiarum. quas & martyrum tuorum Babylæ & trium parvulorum deprecatione. pietati tuæ perfice benignus acceptas· per Dominum. 240

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. quia tu es gloriosus. & mirabilis in sanctis tuis. quibus & in confessione virtutem & in passione victoriam contulisti· Ut quos iustificabat fides glorificaret & finis per Christum Dominum nostrum. 241

Post Comm.

Sumpsimus Domine in beatissimorum martyrum tuorum Babylæ & trium parvulorum sollemnitate. cælestis dona mysterii· quæsumus ut eorum precibus. præsentis vitæ nobis pariter & æternæ tribuas benignus auxilium· per. 242

XXXVI

141 PRIDIE KALENDAS FEBRUARII

SANCTI IULII.

Oratio super populum.

Deus qui nos beati Iulii confessoris annua sollemnitate letificas. concede propitius ut cuius natalicia colimus. per eius apud te exempla gradiamur. 243

Epistola de Confessoribus. Gratias ago Domino quia confessus es bonam confessionem.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus. confitebor & ego eum coram Patre meo qui est in cælis· Qui autem negaverit me coram hominibus. negabo & ego eum coram Patre meo qui est in cælis· Nolite arbitrari quia venerim mittere pacem in terra· Non veni pacem mittere sed gladium. Veni enim separare filium.

adversus patrem suum. & filiam adversus matrem suam. & nurum adversus socrum suam. & inimici hominis domestici eius· qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus· Et qui amat filium aut filiam super me. non est me dignus· Et qui non accipit crucem suam & sequitur me. non est me dignus· qui invenit animam suam. perdet eam. Et qui perdiderit animam suam propter me. inveniet eam· qui recipit vos. me recipit· Et qui me recipit. recipit eum qui me misit. qui recipit prophetam in nomine prophetæ. mercedem prophetæ accipiet· Et qui recipit iustum in nomine iusti. mercedem iusti accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis. calicem aquæ frigidæ. tantum in nomine discipuli. amen dico vobis. non perdet mercedem suam.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus. qui nos sancti sacerdotis tui Iulii festivitate lætificas. Præsta ut cuius commemoratione gaudemus presidio muniamur· per. 244

Super Oblata.

Grata tibi sint Domine munera nostra quæ & tui sunt instituta precepti. & beati Iulii sacerdotis festivitas gloriosa commendet· per. 245

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. quoniam a te constantia fides. a te virtutem sumit infirmitas· Et quidquid persecutionibus sevum est. quidquid in morte terribilem. nominis tui facis confessione superare· Unde benedicimus te Domine in operibus tuis. teque in transitu sancti sacerdotis tui Iulii provectione laudemus. per Christum Dominum nostrum. 246

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut qui cælestia alimenta percipimus. intercedente beato Iulio sacerdote. per hæc contra omnia adversa muniamur· per. 247

XXXVII

KALENDIS FEBRUARII.

SANCTI SEVERI.

Oratio super populum.

Omnipotens sempiterne Deus. cui cuncta famulantur elementa· Intercedente pro nobis confessore tuo Severo. **143** exaudi propitius orationem nostram. & tribue nobis misericordiam tuam· Ut quæcumque precipis ut agamus. ipse adiuva ut implere possimus· per. 248

Epistola. Require retro in festivitate sancti Stephani.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus & Filius hominis confitebitur illum coram angelis Dei· qui autem negaverit me coram hominibus negabitur coram angelis Dei· Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis. remittetur illi· Ei autem qui in Spiritum Sanctum blasphemaverit. non remittetur ei· Cum autem inducent vos in synagogis. & ad magistratus & potestates· Nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis. aut quid dicatis· Spiritus enim Sanctus docebit vos in ipsa hora quæ oporteat dicere.

Super Sindonem.

Misericordiam tuam Domine nobis quæsumus interveniente. beato Severo confessore tuo clementer inpende. & nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis· per. 249

Super Oblata.

Hostias tibi Domine pro commemoratione beati confessoris tui Severi. offerimus suppliciter deprecantes· Ut sicut illi prebuisti sacræ fidei claritatem. sic nobis indulgentiam largiaris **144** & pacem· per. 250

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui glorificaris in confessione beati sacerdotis & confessoris tui Severi. & non solum excellentioribus præmiis, merita gloriosa prosequeris sed sacro ministerio conpetentibus servitiis exequentes gaudium Domini sui tribuis benignus intrare· Ut qui in modico vitæ præsentis excursu fidelis apparuit. supra multa bona utique semper mansura beatitudine disponatur· per Christum Dominum nostrum. 251

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut beati Severi confessoris tui. cuius nos tribuis communicare memoria. eius facias sectatores· per Dominum nostrum. 252

XXXVIII

IIII. NONAS FEBRUARII.

PURIFICATIO SANCTÆ MARIE.

Oratio super populum. (1)

Erudi quæsumus Domine plebem tuam. Et quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari. interius assequi gratiæ tuæ luce concede· per. 253

(1) In margine sinistra Codicis legitur hæc *Benedictio cerei* quam hic exhibemus : *Domine Deus omnipotens in hodierna die legalia sacrificia implens in templo præsentari. et iusti Simeonis ulnis gestare dignatus es : † Benedic quæsumus papirum cerea pinguedine superductam ut populus tuus igne claritatis tue accensus. ad laudem nominis tui gestans pietatis tue dono indeficiens sed lumen habere cognoscat. qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum amen.* 253 bis.

Omnipotens sempiterne Deus maiestatem tuam supplices exoramus. ut sicut unigenitus Filius tuus. hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus. ita nos facias purificatis tibi mentibus presentari. per eumdem Dominum nostrum. 254

Lectio Epistolæ. Require retro dominica post Natal. Domini.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. Postquam impleti sunt dies purga- **145** tionis beatæ Mariæ. secundum legem Moysi. tulerunt puerum Ihesum in Ierusalem. ut sisterent eum Domino. sicut scriptum est in lege Domini· Quia omne masculinum adaperiens vulvam. sanctum Domino vocabitur· Et ut daret hostiam. secundum quod dictum est in lege Domini. par turturum. aut duos pullas columbarum· Et ecce homo erat in Ierusalem cui nomen Symeon. & homo iste iustus. & timoratus expectans consolationem Israel & Spiritus Sanctus erat in eo· Et responsum acceperat ab Spiritu Sancto. non visurum se mortem. nisi prius videret Christum Domini· Et venit in Spiritu in templum· Et cum inducerent puerum Ihesum parentes eius. ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo. & ipse accepit eum in ulnas suas. & benedixit Deum. & dixit· Nunc dimitte servum tuum Domine. secundum verbum tuum in pace. quia viderunt oculi mei salutare tuum. quod parasti ante faciem omnium populorum. lumen ad revelationem gentium. & gloriam plebis tuæ Israel· Et erat pater eius. & mater mirantes super his. quæ dicebantur de illo. Et benedixit illi Symeon. & dixit ad Mariam matrem eius· Ecce positus est hic in ruinam. & in resurrectionem multorum in Israel. & in signum cui contradicetur· **146** Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. ut revelentur ex multis cordibus cogitationes· Et erat Anna prophetissa filia Fanuel. de tribu Aser· Hæc processerat in diebus multis. & vixerat cum viro suo annis septem. in virginitate sua· Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor. quæ non discedebat de templo. ieiuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die· Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino. & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Ierusalem· Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini. reversi sunt in Galileam civitatem suam Nazaret· Puer autem crescebat & confortabatur. plenus sapientia. & gratia Dei erat in illo.

Super Sindonem.

Perfice in nobis quæsumus Domine gratiam tuam. qui iusti Symeonis expectationem implesti· Ut sicut ille mortem non vidit. priusquam Christum Dominum videre mereretur. ita & nos vitam obtineamus æternam· per. 255

Super Oblata.

Exaudi Domine preces nostras. & ut digna sint munera. quæ oculis tuæ maiestatis offerimus. subsidium nobis tuæ pietatis impende· per. 256

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. quia per incarnati Verbi tui mysterium. nova mentis nostræ oculis lux **147** tuæ claritatis infulsit· Ut dum visibiliter Deum cognoscimus. per hunc ad invisibilium amorem rapiamur· Et ideo cum angelis. 257

Post Comm.

Quæsumus Domine Deus noster. ut sacrosancta mysteria. quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti. intercedente beata semper Virgine Maria. & præsens nobis remedium esse facias. & futurum· per. 258

XXXIX

NONIS FEBRUARII.

NATAL. SANCTÆ AGATHÆ.

Oratio super populum.

Intercessionibus beatæ virginis & martyris tuæ Agathæ. quæsumus Domine fructum clementiæ tuæ sentiant supplicantes. cuius orationibus in sancta æcclesia tua. etiam eorum devotæ efficiantur mentes· per. 259

Alia.

Auxilium Domine nomini tuo subdita poscunt corda fidelium· Ut quia sine te nihil possunt implere quod iustum est. intercessione beatæ martyris tuæ Agathæ. & quæ recta sunt apprehendant. & omnia sibi profutura suscipiant· per. 260

Ad Corinthios. II.

Fratres. qui gloriatur in Domino glorietur· Non enim qui seipsum commendat. ille probatus est. sed quem Dominus commendat· Utinam sustineretis modicum quid insipientie meæ sed & suportate me· Æmulor enim vos Dei æmulatione· Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo· Timeo autem ne sicut serpens Evam seduxit **148** astutia sua. ita corrumpantur sensus vestri. & excidant a simplicitate. quæ est in Christo Ihesu· Nam si is qui venit alium Christum prædicat quem non prædicavimus. aut alium Spiritum accipitis quem non accepistis. aut alium evangelium quod non recepistis. recte pateremini. Existimo enim me nihil minus fecisse a magnis apostolis. etsi imperitus sermone. sed non scientia· In omnibus autem manifestatus sum vobis· Aut numquid peccatum feci. meipsum humilians. ut vos exaltemini? quoniam gratis evangelium Dei evangelizavi vobis· Alias ecclesias expoliavi. accipens stipendium ad mynisterium vestrum· Et cum essem apud vos. & egerem. nulli onerosus fui· Nam quod mihi deerat. suppleverunt fratres. qui venerunt a Macedonia· Et in omnibus sine onere me vobis servavi. & servabo· Est veritas Christi in me.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Rogavit Dominum Ihesum quidam de pharisæis. ut manducaret cum illo· Et ingressus domum pharisæi discubuit· Et ecce

mulier quæ erat in civitate peccatrix. ut cognovit quod recubuit in domo pharisæi. attulit alabastrum unguenti. & stans retro **149** secus pedes eius. lacrimis cœpit rigare pedes eius. & capillis capitis sui tergebat. & osculabatur pedes eius. & unguento unguebat· Videns autem pharisæus qui vocaverat eum. ait intra se dicens· Hic si esset propheta sciret utique. quæ & qualis est mulier. quæ tangit eum. quia peccatrix est· Et respondens Ihesus. dixit ad illum· Symon habeo tibi aliquid dicere· At ille ait· Magister dic? duo debitores erant cuidam fœneratori. unus debebat denarios quingentos. alius quinquaginta· Non habentibus illis unde redderent. donavit utrisque· Quis ergo eum plus diligit? Et respondens Symon dixit· Æstimo quia is cui plus donavit· At ille dixit ei· Recte iudicasti· Et conversus ad mulierem. dixit Symoni· Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam. aquam pedibus meis non dedisti· Hæc autem lacrimis rigavit pedes meos. & capillis suis tersit· Osculum mihi non dedisti. hæc autem ex quo intravit. non cessavit osculari pedes meos· Oleo caput meum non unxisti· Hæc autem unguento unxit pedes meos· Propter quod dico tibi remittuntur ei peccata multa. quoniam dilexit multum· **150** Cui autem minus dimittitur. minus diligit· Dixit autem ad illam· Remittuntur tibi peccata· Et cœperunt qui simul accumbebant dicere intra se· Quis est hic. qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem· Fides tua te salvam fecit. vade in pacem.

Super Sindonem.

Tribue quæsumus omnipotens Deus. ut sanctæ virginis & martyris tuæ Agathæ sollemnitate lætemur. & tantæ fidei & castitatis proficiamus exemplo· per. 261

Super Oblata.

Fiant Domine tuo grata conspectui munera supplicantis ecclesiæ· Et ut nostræ saluti proficiant. adsit intercessio beatæ tuæ martyris Agathæ· per. 262

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare· nos te in hoc præcipue die digna laude præconii canere. in quo triumphalis hostia tuæ maiestati oblata est· Cui tantam contulisti victoriam. ut ipsa sæva & aspera victricem tremerent tormenta· Cuius lampas coruscis emicat fulgoribus. ut reserata poli ingredi valeat ianuas· O felix & inclyta virgo. quæ meruit Domini pro laude fidelis martyrium sanguine clarificare suum. O illustris & gloriosa gemino illustrata decore. quæ inter tormenta aspera cunctis prælata miraculis. & mystico pollens suffragio. apostoli tui meruit **151** visitatione curari. & te verum summumque Deum sacro carmine concinere· Sic nuptam Christo susceperunt æthera. sic humandi artus· gloriosa fulgent obsequia. ubi angelorum chorus. sanctitatem mentis. & patriæ indicant liberationem per Christum Dominum nostrum. 263

Post Comm.

Exultemus pariter de percepto pane iustitiæ. & de tuæ Domine festivitate martyris Agathæ· Quia interventionibus tibi placentium. confidimus nobis ad perpetuam vitam profutura quæ sumpsimus· per. 264

XL

XIIII KALENDAS MARTII.

SANCTORUM FAUSTI ET IOBITTÆ.

Epistola ad Corinthios II.

Fratres. Oro Deum ut nihil faciatis mali· Non ut nos probati pereamus. sed ut vos quod bonum est faciatis· Nos autem ut reprobi sumus· Non enim possumus quid adversus veritatem. sed pro veritate. Gaudemus autem cum nos infirmamur. vos autem fortes estis· Hoc enim & oramus vestram consummationem· Ideo hæc absens scribo. ut non presens durius agam. secundum potestatem quam dedit mihi in ædificatione. & non in destructionem· De cetero fratres. gaudete perfecti estote. consolamini. idipsum sapite. pacifici estote. & Deus pacis erit vobiscum.

Evangelium require Dominica post Ascensionem Domini· Secundum Iohannem. Sublevatis Dominus Ihesus oculis in cælum. dixit· Pater venit hora.

XLI

152 DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Oratio super populum.

Præces populi tui Domine clementer exaudi. Ut qui iuste pro peccatis nostris affligimur. pro tui nominis gloria misericorditer liberemur· per. 265

Epistola ad Corinthios. I.

Fratres. Nescitis quod hi qui in stadio currunt. omnes quidem currunt. sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis· Omnis autem qui in agone contendit. ab omnibus se abstinet· Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant. nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro. non quasi in incertum. sic pugno. non quasi aerem verberans. sed castigo corpus meum. & in servitutem redigo. ne forte cum aliis prædicaverim. ipse reprobus efficiar· Nolo enim vos ignorare fratres. quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt. & omnes mare transierunt. & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari· Et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt. & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra. petra autem erat Christus.

[Secundum Matthæum.]

In illo tempore. Locutus est Dominus Ihesus discipulis suis parabolam hanc· Simile est regnum cælorum homini patrifamilias. qui exiit primo mane **153** conducere operarios in vineam suam· Conventione autem facta cum operariis.

ex denario diurno. misit eos in vineam suam· Et egressus circa horam tertiam. vidit alios stantes in foro otiosos. & illis dixit· Ite & vos in vineam meam. & quod iustum fuerit dabo vobis· Illi autem abierunt· Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam. & fecit similiter· Circa undecimam vero exiit. & invenit alios stantes. & dicit illis· quid hic statis tota die otiosi? Dicunt ei. quia nemo nos conduxit· Dicit illis· Ite & vos in vineam meam· Cum sero autem factum esset. dicit Dominus vineæ. procuratori suo· Voca operarios & redde illis mercedem. incipiens a novissimis. usque ad primos· Cum venissent ergo. qui circa undecimam horam venerant. acceperunt singulos denarios· Venientes autem & primi. arbitrati sunt quod plus essent accepturi. acceperunt autem & ipsi singulos denarios· Et accipientes murmurabant adversum patremfamilias dicentes· Hi novissimi una hora fecerunt & pares illos nobis fecisti. qui portavimus pondus diei & æstus? At ille respondit uni eorum dixit· **154** Amice non facio tibi iniuriam· Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est & vade· Volo autem & huic novissimo dare. sicut & tibi· Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam est? quia ego bonus sum· Sic erunt novissimi primi. & primi novissimi· Multi enim sunt vocati pauci vero electi.

Super Sindonem.

Familiam tuam quæsumus Domine continua pietate custodi· Ut quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniamur· per. 266

Super Oblata.

Hostias quæsumus Domine nostræ devotionis benignus assume & sacrificiis gloriosis subditorum tibi corda purifica· per. 267

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· Ad cuius immensam pertinet gloriam. ut non solum mortalibus tua deitate succurreres. sed & de ipsa etiam mortalitate nostra remedium provideres. & perditos quosque unde perierant inde salvares per Christum Dominum nostrum. 268

Post Comm.

Fideles tui Deus perpetuis donis firmentur. ut eadem & percipiendo requirant. & quærendo sine fine percipiant· per. 269

XLII

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Oratio super populum.

Auxiliare Domine populo tuo ut sacræ devotionis proficiens incrementis & tuo semper munere gu- **155** bernetur. & ad redemptionis æternæ pertineat te deducente consortium· per. 270

Epistola ad Corinthios. I.

Fratres. quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam. & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem. & de lacte gregis non percipit? Numquid secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi· Non alligabis os bovi trituranti· Numquid de bubus cura est Deo? An propter nos utique hæc dicit? Nam propter nos scripta sunt· quoniam in spe qui arat debet arare. & qui triturat in spe fructus percipiendi· Si nos vobis spiritalia seminavimus. magnum est si nos vestra carnalia metamus? Si alii potestatis vestræ participes sunt. quare non potius nos? Sed non usi sumus hac potestate. sed omnia sustinemus. ne quod offendiculum demus evangelio Christi.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Locutus est Dominus Ihesus parabolam hanc ad turbas. & ad discipulos suos· Ecce exiit qui seminat seminare· Et dum seminat quædam ceciderunt secus viam. & venerunt volucres. & comederunt ea· Alia autem ceciderunt in petrosa. ubi non habebat terram multam. & continuo exorta sunt. quia non habebant altitudinem terræ· **156** Sole autem orto æstuaverunt. & quia non habebant radicem aruerunt· Alia autem ceciderunt inter spinas. & creverunt spinæ. & suffocaverunt ea· Alia vero ceciderunt in terram bonam. & dabant. fructum. aliud centesimum. aliud sexagesimum. aliud tricesimum. qui habet aures audiendi audiat· Et accedentes discipuli ejus dixerunt ei. quare in parabolis loqueris eis? qui respondens ait illis· Quia vobis datum est nosse mysterium regni cælorum. illis autem non est datum· Qui enim habet dabitur ei. & abundabit· qui autem non habet. & quod videtur habere auferetur ab eo· Ideo in parabolis loquor eis. quia videntes non vident. & audientes non audiunt. neque intellegunt. ut adimpleatur in eis prophetia Esaiæ dicens· Auditu audietis. & non intellegetis. & videntes videbitis. & non videbitis· Incrassatum est enim cor populi huius. & auribus graviter audierunt. & oculos suos clauserunt. nequando oculis videant. & auribus audiant. & corde intellegant. & convertantur. & sanem eos· Vestri autem beati oculi quia vident. & aures vestræ quia audiunt· Amen quippe **157** dico vobis. quia multi prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis. & non viderunt. & audire quæ auditis. & non audierunt· Vos ergo audite parabolam seminantis· Omnis qui audit verbum regni & non intellegit. venit malus. & rapit quod seminatum est in corde eius. hic est qui secus viam seminatus est· Qui autem supra petrosa seminatus est· hic est qui verbum audit. & continuo cum gaudio recipit illud. non habet autem in se radicem sed est temporalis· Facta autem tribulatione & persecutione propter verbum. continuo scandalizantur· Qui autem in spinis seminatus est.

hic est qui verbum audit. & sollicitudo sæculi istius. & fallacia divitiarum suffocat verbum & sine fructu efficitur. qui vero in terra bona seminatus est. hic est qui verbum audit & intellegit. & fructum affert & facit· Aliud quidem centesimum. aliud autem sexagesimum. porro autem aliud tricesimum· qui habet aures audiendi audiat.

Super Sindonem.

Concede nobis omnipotens Deus. præsidia militiæ christianæ sanctis inchoare ieiuniis· Ut contra spiritales nequitias pugnaturi continentiæ salutaris muniamur auxiliis· per. 271

Super Oblata. **158**

Gratias tibi referat Domine corde subiecto tua semper ecclesia. & consequenter obtineat. ut observationes antiquas. iugiter recensendo proficiat in futurum· per. 272

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus qui non solum peccata ieiunantium dimittis. sed ipsos etiam peccatores ieiunando iustificas· Et reis non tantum pœnam relaxas. sed donas abstinentibus etiam præmia sempiterna per Christum Dominum nostrum. 273

Post Comm.

Refecti vitalibus alimentis. quæsumus Domine ad vitam nutriamur æternam· per. 274

XLIII

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Oratio super populum.

Subdita tibi Domine plebis tuæ corda sanctifica· Ut benedictionem quam ieiuniis expetit. te donante percipiens. & præsentibus gaudeat consolationibus. & futuris· per. 275

Ad Corinthios. II.

Fratres. Nolite iugum ducere cum infidelibus· quæ enim participatio iustitiæ. cum iniquitate? Aut quæ societas luci. ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli. cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi. sicut dicit Deus· quoniam inhabitabo in illis. & inter eos ambulabo. & ero illorum Deus. & **159** ipsi erunt mihi populus· Propter quod exite de medio eorum. & separamini dicit Dominus. & immundum ne tetigeritis. & ego recipiam vos. & ero vobis in patrem. & vos eritis mihi in filios. & filias. dicit Dominus omnipotens· Has igitur habentes promissiones carissimi. mundemus nos ab omni inquinamento carnis. perficientes sanctificationem spiritus in timore Dei· Capite nos. Neminem læsimus. neminem corrupimus· Non ad condemnationem vestram dico· Prædiximus enim quod in cordibus nostris estis ad commoriendum. & ad convivendum.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Locutus est Dominus Ihesus parabolam hanc ad turbas. & ad discipulos suos· Simile factum est regnum cælorum homini. qui seminavit bonum semen in agro suo· Cum autem dormirent homines. venit inimicus eius. & superseminavit zizania in medio tritici. et abiit· Cum autem crevisset herba. & fructum fecisset. tunc apparuerunt & zizania· Accedentes autem servi patrisfamilias & dixerunt ei· Domine. nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait illis· Inimicus homo hoc fecit· Servi autem dixerunt ei· Vis imus. & colligimus ea? Et ait. non· **160** Ne forte colligentes zizania. eradicetis simul cum eis & triticum· Sinite utraque crescere usque ad messem. & in tempore messis dicam messoribus· Colligite primum zizania. & alligate ea fasciculos ad comburendum. triticum autem congregate in horreum meum· Aliam parabolam proposuit eis dicens· Simile est regnum cælorum grano synapis. quod accipiens homo seminavit in agro suo· quod minimum quidem est omnibus seminibus. cum autem creverit. maius est omnibus holeribus· Et fit arbor. ita ut volucres cæli veniant. & habitent in ramis eius· Aliam parabolam locutus est eis· Simile est regnum cælorum fermento· Quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus. donec fermentatum est totum· Hæc omnia locutus est Ihesus in parabolis ad turbas. & sine parabolis non loquebatur eis. ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem· Aperiam in parabolis os meum eructabo abscondita a constitutione mundi· Tunc dimissis turbis venit in domum· Et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes· Dissere nobis parabolam zizaniorum agri· Qui respondit ait. qui semina-**161** vit bonum semen. est Filius hominis· Ager autem est mundus· Bonum vero semen hi sunt filii regni· Zizania autem sunt filii nequam· Inimicus autem qui seminavit ea. est diabolus· Messis vero consummatio sæculi est. messores autem angeli sunt· Sicut ergo colliguntur zizania. & igni comburuntur. sic erit in consummatione sæculi· Mittet Filius hominis angelos suos. & colligent de regno eius. omnia scandala. & eos qui faciunt iniquitatem. & mittent eos in caminum ignis· ibi erit fletus & stridor dentium· Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris mei· qui habet aures audiendi audiat.

Super Sindonem.

Deus qui non despicis contritos corde & afflictos miseriis. populum tuum ieiunii ad te devotione clamantem propitiatus exaudi· Ut quos humiliavit adversitas attollat tuæ reparationis prosperitas· per. 276

Super Oblata.

Ecclesiæ tuæ Domine munera sanctifica & concede ut per hæc veneranda mysteria. & sanctæ institutionis ieiunia. pane cælesti refici mereamur· per. 277

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus. inluminator & redemptor animarum nostrarum· Qui nos per primum Adam abstinentiæ lege violata paradiso eiectos. fortioris ieiunii remedio. ad antiquæ patriæ **162** beatitudinem per gratiam revocasti. nosque pia institutione docuisti quibus observationibus liberemur· Per Christum Dominum nostrum. 278

Post Comm.

Tuorum nos Domine largitate donorum & temporalibus attolle præsidiis. & renova sempiternis· per. 279

XLIV

DOMINICA IN CAPUT QUADRAGESIMÆ.

Oratio super populum.

Præsta famulis tuis Domine abundantiam protectionis & gratiæ· Da salutem mentis & corporis da continuæ prosperitatis augmenta. & tibi semper fac esse devotos· per. 280

Ad Corinthios. II.

Fratres. Hortamur vos. ne in vacuum gratiam Dei recipiatis· Ait enim. tempore accepto exaudivi te. & in die salutis adiuvi te· Ecce nunc tempus acceptabile. ecce nunc dies salutis· Nemini dantes ullam offensionem ut non vituperetur mynisterium nostrum· Sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos ut Dei ministros in multa patientia· In tribulationibus. in necessitatibus. in angustiis. in plagis. in carceribus. in seditionibus. in laboribus. in vigiliis. in ieiuniis. in castistate. in scientia. in longanimitate. in suavitate. in Spiritu Sancto. in caritate. non ficta· In verbo veritatis. in virtute Dei. per arma iustitiæ a dextris. & a sinistris· **163** Per gloriam & ignobilitatem. per infamiam & bonam famam· Ut seductores & veraces· Sicut qui ignoti. & cogniti. quasi morientes. & ecce vivimus· Ut castigati. & non mortificati· Quasi tristes. semper autem gaudentes· Sicut egentes multos autem locupletantes· Tamquam nihil habentes. & omnia possidentes.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Ductus est Dominus Ihesus in desertum ab spiritu. ut temptaretur a diabolo· Et cum ieiunasset quadraginta diebus. & quadraginta noctibus. postea esuriit· Et accedens temptator dixit ei· Si Filius Dei es. dic ut lapides isti panes fiant. qui respondens dixit· Scriptum est. non in pane solo vivit homo. sed in omni verbo quod exierit de ore Dei· Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. & statuit eum supra pinnam templi. & dixit ei· Si Filius Dei es. mitte te deorsum· Scriptum est enim. quia angelis suis mandavit de te. & in manibus tollent te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi iterum Ihesus· Rursus scriptum est. non temptabis Dominum Deum tuum· Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde. & **164** ostendit ei omnia regna mundi. & gloriam eorum & dixit illi· Hæc omnia tibi dabo. si cadens adoraveris me· Tunc dicit ei Ihesus· Vade Satana· Scriptum est. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. tunc reliquit eum diabolus. & ecce angeli accesserunt & ministrabant ei.

Super Sindonem.

Familiæ tuæ quæsumus Domine absolve peccata. mentesque purifica· Ut venerabilis ieiunii dies. congrua devotione repetentes. quæ fideliter poscimus impetrare mereamur· per. 281

Super Oblata.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus ieiuniorum magnifici sacramenti & digne semper tractare mysteria. & competenter honorare primordia· per. 282

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· In quo ieiunantium fides alitur. spes provehitur. caritas roboratur· Ipse est enim panis verus & vivus. qui est substantia æternitatis. esca virtutis· Verbum enim tuum, per quod facta sunt omnia. non solum humanarum mentium sed ipsorum quoque panis est angelorum· Huius panis alimento Moyses famulus tuus. quadraginta diebus ac noctibus. legem suscipiens ieiunavit. & a carnalibus cibis. ut tuæ suavitatis capatior esset abstinuit· Unde nec famem corporis sensit **165** & terrenarum oblitus escarum est· Quia illum & gloriæ tuæ clarificabat aspectus & influente Spiritu Dei sermo pascebat· Hunc panem etiam nobis ministrare non desinas. quem ut indeficienter esuriamus hortaris Ihesum Christum Dominum nostrum· per quem maiestatem tuam. 283

Post Comm.

Sumpsimus Domine sacramenta cælestia. propterea deprecamur ut quorum continua perceptione reficimur. salutari traditione lætemur· per. 284

XLV

FER. II. IN QUADRAGESIMA. EBDOMADA I.

Oratio super populum.

Converte nos Deus salutaris noster. & ut nobis ieiunium quadragesimale proficiat. mentes nostras cælestibus instrue disciplinis· per. 285

Lectio Ezechielis prophetæ.

Hæc dicit Dominus· Ecce ego requiram oves meas & visitabo illas· Sicut visitat pastor gregem suum. in die quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum. sic visitabo oves meas & liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersæ fuerant. in die nubis & caliginis· Et educam eas de populis & congregabo eas de terris. & inducam eas in terram suam. & pascam eas in montibus Israel· In rivis & in cunctis sedibus terræ. & in pascuis uberrimis pascam eas & in montibus excelsis Israel erunt pascua earum· **166**

Ibi requiescent in herbis virentibus. & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel· Ego pascam oves meas & ego eas accubare faciam dicit Dominus Deus· Quod perierat requiram & quod abiectum erat reducam. quod confractum fuerat alligabo. & quod infirmum fuerat consolidabo. & quod pingue & fortium custodiam. & pascam illas in iudicio & iustitia dicit Dominus omnipotens.

[Secundum Matthæum.]

In illo tempore. videns Dominus Ihesus turbas ascendit in montem· Et cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius. & aperiens os suum docebat eos dicens· Beati pauperes spiritu. quoniam ipsorum est regnum cælorum· Beati mites. quoniam ipsi possidebunt terram· Beati qui lugent. quoniam ipsi consolabuntur· Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. quoniam ipsi saturabuntur· Beati misericordes. quia ipsi misericordiam consequentur· Beati mundo corde. quoniam ipsi Deum videbunt· Beati pacifici. quoniam filii Dei vocabuntur· Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. quoniam ipsorum est regnum cælorum· Beati estis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint. & dixerint omne malum adversum vos. mentientes propter me· Gaudete & exul- **167** tate. quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

Super Sindonem.

Sanctifica Domine quæsumus nostra ieiunia. & cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum· per. 286

Super Oblata.

Munera Domine oblata sanctifica. nosque a peccatorum nostrorum maculis emunda· per. 287

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui nos non solum carnalibus. sed etiam spiritalibus escis reficis. ut non in solo [pane] vivamus. sed in omni verbo tuo ut talem habeamus alimoniam· Nec tantum epulando. sed etiam ieiunando pascamur· Nam ut dapibus poculisque corpora. sic ieiuniis & virtutibus animæ saginantur· Magnam in hoc munere salubritatem mentis & corporis contulisti. quia ieiunium nobis venerabile dedicasti. ut ad paradisum. de quo non abstinendo cecidimus. ieiunando sollemnius redeamus per Christum Dominum. 288

Post Comm.

Salutaris tui Domine munere satiati suppliciter exoramus. ut cuius lætamur gustu. renovemur effectu· per. 289

XLVI

FERIA III. EBDOMADA I.

Oratio super populum.

Respice Domine familiam tuam· Et præsta ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat. quæ se carnis maceratione castigat· per. 290

Lectio Esaiæ prophetæ.

In diebus illis : Locutus est Esaias propheta dicens· **168** quærite Dominum dum inveniri potest invocate eum dum prope est· Derelinquat impius viam suam. & vir iniquus cogitationes suas & revertatur ad Dominum & miserebitur eius & ad Dominum Deum nostrum. quoniam multus est ad ignoscendum· Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ. neque viæ vestræ meæ dicit Dominus· Quia sicut exaltantur cæli a terra. sic exaltate sunt viæ meæ a viis vestris· & cogitationes meæ a cogitationibus vestris· Et quomodo descendit imber & nix de cælo. & illuc ultra non revertetur sed inebriat terram. & infundit eam & germinare eam facit. & dat semen serenti & panem comedenti. sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo· Non revertetur ad me vacuum. sed faciet quæcumque volui. & prosperabitur in his ad quæ misi illud. dicit Dominus omnipotens.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Vos estis sal terræ· Quod si sal evanuerit in quo sallietur? Ad nihilum valet ultra nisi ut proiiciatur foras. & conculcetur ab hominibus· Vos estis lux mundi· Non potest civitas abscondi supra montem posita. neque accendunt lucernam. & ponunt eam sub modio. **169** sed super candelabrum. ut luceat omnibus. qui in domo sunt· Sic luceat lux vestra. coram hominibus. ut videant vestra bona opera. & glorificent Patrem vestrum. qui in cælis est.

Super Sindonem.

Ascendant ad te Domine preces nostræ. & ab ecclesia tua cunctam repelle nequitiam· per. 291

Super Oblata.

Oblatis quæsumus Domine placare muneribus. & a cunctis nos defende periculis· per. 292

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum. qui continuatis quadraginta diebus & noctibus. hoc ieiunium non esuriens dedicavit· Postea enim esuriit. non tam cibum hominum. quam salutem· Nec sanctarum sæcularium æpulas concupivit. sed animarum desideravit potius sanctitatem· Cibus namque eius est redemptio populorum. cibus eius est totius bonæ voluntatis effectus· Qui nos docuit operari non cibum. qui terrenis dapibus apparatur sed eum qui divinarum Scripturarum lectione percipitur· per quem. 293

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut illius salutaris capiamus effectum. cuius per hæc mysteria pignus accepimus· Qui tecum vivit. 294

XLVII

FERIA IIII. EBDOM. I.

Oratio super populum.

Preces nostras quæsumus Domine clementer exaudi. & contra cuncta nobis adversantia. dexteram tuæ maiestatis **170** extende· per. 295

Lectio libri Regum.

In diebus illis. Venit Helias in Bersabæ Iuda & dimisit ibi puerum suum. & perrexit in desertum viam unius diei· Cumque venisset & sederet subter unam iuniperum. petivit animæ suæ ut moreretur & ait· Sufficit mihi Domine tolle animam meam. neque enim melior sum quam patres mei· Et Proiecitque. & obdormivit in umbra iuniperi· Et angelus Domini tetigit eum dixitque ei· Surge comede· Et trespexit & ecce ad caput suum subcinericius panis & vas aquæ· Comedit ergo & bibit & rursum obdormivit· Reversusque est angelus Domini secundo & tetigit eum dixitque illi· Surge comede grandis enim tibi restat via· qui cum surrexisset comedit & bibit & ambulabat in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Orebh.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas· Non veni solvere sed adimplere· Amen quippe dico vobis. donec transeat cælum & terra. iota unum. aut unus apex non preterebit ex lege. donec omnia fiant· qui ergo solverit **171** unum de mandatis istis minimis & docuerit sic homines. minimus vocabitur in regno cælorum· Qui autem fecerit & docuerit. hic magnus vocabitur in regno cælorum.

Super Sindonem.

Mentes nostras quæsumus Domine lumine tuæ claritatis illustra· Ut videre possimus. quæ agenda sunt. & quæ recta sunt. agere valeamus· per. 296

Super Oblata.

Hostias tibi Domine placationis offerimus. ut delicta nostra miseratus absolvas. & nutantia corda dirigas· per. 297

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui in alimentum corporis humani. frugum copiam producere iussisti. & in alimentum animarum. ieiunii nobis medicinam indidisti· Te itaque supplices invocamus. ut tibi sit acceptabile ieiunium nostrum. & nos a cibis ieiunantes. a peccatis absolvas· per Christum. 298

Post Comm.

Tui Domine perceptione sacramenti. & a nostris mundemur occultis. & ab hostium liberemur insidiis· per. 299

XLVIII

FERIA V. EBDOMADA I.

Oratio super populum.

Devotionem populi tui Domine benignus intende. Ut qui per abstinentiam macerantur in corpore. per fructum boni operis reficiantur in mente· per. 300

Lectio Ezechielis prophetæ.

In diebus illis. factus est sermo Domini ad me dicens· Quid est quod inter vos parabolam **172** vertitis in proverbium istud in terra Israel dicentes· Patres nostri comederunt uvam acervam. & dentes filiorum obstupuerunt· Vivo ego dicit Dominus Deus si erit vobis ultra parabola hæc in proverbium in Israël· Ecce omnes animæ meæ sunt. Ut anima patris ita & anima filii mea est· Anima quæ peccaverit ipsa moriatur· Et vir si fuerit iustus & fecerit iudicium & iustitiam in montibus non comederit. & oculos suos non levaverit ad idola domus Israel. & uxorem proximi sui non violaverit & ad mulierem menstruatam non accesserit. & hominem non contristaverit. pignus debitori reddiderit per vim nihil rapuerit. panem suum esurienti dederit. & nudum operuerit vestimento. ad usuram non commodaverit. & amplius non acceperit. ab iniquitate averterit manum suam. iudicium verum fecerit inter virum & virum in præceptis meis ambulaverit & iudicia mea custodierit ut faciat veritatem. hic iustus est vita vivit. ait Dominus omnipotens.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis· Amen dico vobis. nisi abundaverit iustitia vestra. plus quam scribarum & pharisæorum non intrabitis in regnum cælorum· Audistis quia **173** dictum est antiquis. non occides? qui autem occiderit. reus erit iudicio· Ego autem dico vobis. quia omnis qui irascitur fratri suo. reus erit iudicio· Qui autem dixerit fratri suo racha. reus erit concilio. quia autem dixerit fatue. reus erit gehenne ignis· Si ergo offeres munus tuum ad altare. & ibi recordatus fueris. quia frater tuus habet aliquit adversum te. relinque ibi munus tuum ante altare. & vade prius reconciliare fratri tuo. & tunc veniens offer munus tuum.

Super Sindonem.

Da quæsumus Domine populis christianis. quod profitentur agnoscere. & cæleste munus diligere quod frequentant· per. 301

Super Oblata.

Sacrificia Domine propitius ista nos salvent. quæ medicinalibus sunt instituta ieiuniis· per. 302

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· Quia competenter atque salubriter religiosa sunt nobis instituta ieiunia ut corpore iucunditatis immoderatas coherceas inlecebras. & terrenæ delectationis insolentia refrenata. purior atque tranquillior appetitus. ad cælestia contemplanda mysteria. fidelium reddatur animarum. per Christum Dominum nostrum. 303

Post Comm.

Percipientes Domine gloriosa mysteria. tibi referimus gratias. quod in terris positos. iam cælestium **174** præstas esse participes· per. 304

XLIX

FERIA VI. EBDOM. I. DE QUAD.

Oratio super populum.

Esto Domine propitius plebi tuæ· Et quam tibi facis esse devotam. benigno refove miseratus auxilio· per. 305

Lectio Ezechielis prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus· Anima quæ peccaverit ipsa morietur· filius non portabit iniquitatem patris. & pater non portabit iniquitatem filii. iustitia iusti super eum erit & impietas impii erit super eum· Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quas operatus est. & custodierit universa præcepta. & fecerit iudicium & iustitiam. vita vivit & non morietur· Omnium iniquitatum eius quas operatus est non recordabor in iustitia sua quam operatus est vivet· Numquid voluntas mea mors impii dicit Dominus? & non ut convertatur a viis suis. & vivat? Si autem averterit se iustus a iustitia sua & fecerit iniquitatem secundum omnes abhominationes quas operari solet impius numquid vivet? Omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur· In prævaricatione sua qua prævaricatus est. & in peccato suo quod peccavit in ipsis morietur· Et dixistis non est **175** æqua via Domini· Audite domus Israel· Numquid via non est æqua? & non magis viæ vestræ pravæ sunt? Cum enim averterit se iustus a iustitia sua & fecerit iniquitatem morietur in eis. in iustitia sua quam operatus est morietur· Et cum averterit se impius ab impietate sua quam operatus est. & fecerit iudicium & iustitiam. ipse animam suam vivificabit· Considerans enim & avertit se ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est. vita vivet & non morietur. dicit Dominus omnipotens.

Evangelium secundum Ioannem.

In illo tempore. Erat dies festus Iudæorum· Et ascendit Ihesus Hierosolimam· Est autem Hierosolimis probatica piscina. quæ cognominatur hebraicæ Bethsaida quinque porticus habens· In his iacebat multitudo magna languentium· cæcorum. claudorum. aridorum. expectantium aquæ motum· Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam. & movebatur aqua· & qui prius descendisset in piscinam. post motionem aquæ sanus fiebat a quacumque tenebatur infirmitate· Erat autem quidam homo ibi treginta & octo annos habens in infirmitate sua· Hunc cum vidisset Ihesus. & cognovisset quia **176** multum iam tempus haberet dicit ei· Vis sanus fieri? Respondit ei languidus· Domine. hominem non habeo. ut cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam· Dum venio enim ego. alius ante me descendit· Dicit ei Ihesus· Surge tolle grabatum tuum. & ambula· Et statim sanus factus est homo· Et sustulit grabatum suum & ambulabat· Erat autem sabbatum in illo die· Dicebant ergo Iudæi illi qui sanus fuerat· Sabbatum est non licet tibi tollere grabatum tuum· Respondit eis. qui me fecit sanum ille mihi dixit· Tolle grabatum tuum & ambula. Interrogaverunt ergo eum· quis est ille homo qui dixit tibi tolle grabatum tuum & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus. nesciebat quis esset· Ihesus autem declinavit a turba constituta in loco· Postea invenit eum Ihesus in templo & dixit illi· Ecce sanus factus es iam noli peccare. ne deterius tibi aliquid contingat· Abiit ille homo & nuntiavit Iudæis quia Ihesus esset qui fecit eum sanum.

Super Sindonem.

Exaudi nos misericors Deus. & mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende· per. 306

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine. nostris oblata serviciis. **177** & tua propitius dona sanctifica· per. 307

Post Comm.

Per huius Domine operationem mysterii. & vicia nostra purgentur & iusta desideria impleantur· per. 308

L

SABBA. I. EBDOM. I. DE QUADRAGESIMA.

Oratio super populum.

Populum tuum Domine quæsumus propitius respice. atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte· per. 309

Lectio libri Sapientiæ.

Miserere nostri Deus omnium. & respice in nos. & ostende nobis lucem miserationum tuarum. & immitte timorem tuum super gentes quæ non exquisierunt te. & cognoscant quia non est Deus nisi tu ut enerrent magnalia tua· Alleva manum tuam super gentes alienas ut videant potentiam tuam· Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis. sic in conspectu nostro magnificaberis in illis· Ut cognoscant te sicut & nos cognovimus. quia non est Deus preter te Domine· Innova signa & inmuta mirabilia glorifica manum & brachium dextrum· Excita furorem. & effunde iram. extolle adversarium. & afflige inimicum· Festina tempus. & memento finis ut ennarrent mirabilia tua. Domine Deus noster.

Epistola ad Romanos.

Fratres. Dilectio proximi. malum non operatur· Plenitudo ergo legis est dilectio. Et hoc scientes tempus quia hora **178** est iam nos de somno surgere· Nunc enim proprior est nostra salus. quam credidimus· Nox præcessit. dies autem appropinquavit· Abiciamus ergo opera tenebrarum & induamur arma lucis. sicut in die honeste ambulemus· Non in commessationibus & ebrietatibus. non in cubilibus. & impudicitiis. non in contentione. & æmulatione. sed [induite] vos Dominum Ihesum Christum. & carnis curam ne feceritis in desideriis· Infirmum autem in fide assumite. non

in disceptationibus cogitationum· Alius quidem credit manducare omnia. qui autem infirmus est olera manducet. qui manducat. non manducantem non spernat· Et qui non manducat. manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit· Tu quis es. qui iudices alienum servum? Suo Domino stat. aut cadit· Stabit autem· Potens est enim Deus statuere illum· Nam alius iudicat diem inter diem. alius iudicat omnem diem. Unusquique in suo sensu abundet· Quis sapit diem. Domino sapit· Et qui non sapit diem. Domino non sapit· Et qui manducat. Domino manducat. gratias enim agit Deo· Et qui non manducat. Domino non manducat. & gratias agit Deo· Nemo enim nostrum **179** sibi vivit. & nemo sibi moritur· Sive enim vivimus. Domino vivimus. sive morimur. Domino morimur· Sive ergo vivimus. sive morimur. Domini sumus· In hoc enim Christus est mortuus & resurrexit. ut & mortuorum. & vivorum dominetur.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Abiit Dominus Ihesus sabbato per sata. DisciPuli autem eius cœperunt vellere spicas. & manducare· Pharisæi autem videntes. dixerunt ei· Ecce discipuli tui faciunt. quod non licet eis facere sabbatis· At ille dixit eis· Non legistis quid fecerit David. quando esuriit. & qui cum illo erant? Quomodo intravit in domum Dei. & panes propositionis comedit. quos non licebat ei edere. neque his qui cum eo erant. nisi solis sacerdotibus? Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant. & sine crimine sunt? Dico autem vobis. quia templo maior est hic· Si autem sciretis quid est misericordiam volo. & non sacrificium. numquam condemnassetis innocentes· Dominus est enim Filius hominis. etiam sabbati.

Super Sindonem.

Exaudi misericors Deus. & mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende· per. 310

Super Oblata.

180 Præsentibus sacrificiis Domine ieiunia nostra sanctifica· Ut quod observantia nostra profitetur extrinsecus. interius operetur· per. 311

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui misisti nobis de cælo Dominum nostrum Ihesum Christum Filium tuum· Ut qui per escam præsumptam. de paradiso eiecti fuerant. per eius ieiunium. in paradisum revertendi facultatem reciperent· Et quadraginta dierum totidemque noctium cælebrato ieiunio. temptatorem hominum excluderet. & se redemptorem omnium credentium demonstraret idem Ihesus Christus Dominus noster· Quem una tecum omnipotens Pater. 312

Post Comm.

Sanctificationibus tuis omnipotens Deus & vitia nostra curentur. & remedia nobis æterna proveniant· per. 313

LI

INCIPIUNT LÆTANIÆ.

DOM. I. DE QUADRAGESIMA.

Divinæ pacis & indulgentiæ munere supplicantes. ex toto corde & ex tota mente precamur te Domine miserere.

Pro ecclesia tua sancta catholica. quæ hic. & per universum orbem diffusa est. prec.

Pro Papa nostro illo. & omni clero eius. omnibusque sacerdotibus ac ministris prec.

Pro famulo tuo illo imperatore. & famula tua illa imperatrice. & omni exercitu eius prec.

181 Pro pace ecclesiarum. vocatione gentium. & quiete populorum prec.

Pro civitate hac & conversatione eius. omnibusque habitantibus in ea. prec.

Pro aerum temperie ac fructuum. & fecunditate terrarum. prec.

Pro virginibus. viduis. orfanis. captivis ac pænitentibus prec.

Pro navigantibus. iter agentibus. in carceribus. in vinculis. in metallis. in exiliis constitutis prec.

Pro his. qui diversis infirmitatibus detinentur. quique spiritibus vexantur inmundis prec.

Pro his. qui in sancta tua ecclesia fructus misericordiæ largiuntur prec.

Exaudi nos Deus in omni oratione atque deprecatione nostra prec.

Dicamus omnes. Domine miserere. Kyrie. 314

MISSA

Oratio super populum.

Inchoata ieiunia Domine ecclesiæ tuæ benigno favore prosequere· Ut observantiam quam corporaliter exercemus. mentibus valeamus implere sinceris· per. 315

Epistola ad Ephesios.

Fratres. Audita fide vestra quæ est in Christo Ihesu. & dilectione in omnes sanctos. non cesso gratias agens pro vobis **182** memoriam vestri faciens in orationibus meis. ut Deus Domini nostri Ihesu Christi Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ. & revelationis. in agnitionem eius inluminatos oculos cordis vestri. ut sciatis quæ sit spes vocationis eius. quæ divitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis. & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos. qui credidimus secundum operationem potentiæ virtutis eius. quam operatus est in Christo. suscitans illum a mortuis & constituens ad dexteram suam in cælestibus. supra omnem principatum. & potestatem. & virtute. & dominatione. & omne nomen quod nominatur. non solum in hoc sæculo. sed etiam in futuro· Et omnia subiecit sub pedibus eius. & ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam quæ est corpus ipsius. & plenitudo eius. qui omnia in omnibus adimpletur.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Venit Dominus Ihesus in civitate Samariæ. quæ dicitur Sichar. iuxta

prædium. quod dedit Iacob Ioseph filio suo· Erat autem ibi fons Iacob· Ihesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem· Hora erat quasi sexta· Venit mulier de Samaria haurire aquam· Et dicit ei Ihesus· Da mihi bibere· Discipuli autem eius abierunt in civitate. ut cibos emerent· Dicit ergo ei mulier **183** illa Samaritana. quomodo tu Iudæus cum sis. bibere a me poscis. quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis· Respondit Ihesus & dixit ei· Si scires donum Dei. & quis est qui dicit tibi da mihi bibere. tu forsitan petisses ab eo. & dedisset tibi aquam vivam· Dicit ei mulier· Domine. neque in quo haurias habes & puteus altus est. unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu maior es patre nostro Iacob. qui dedit nobis puteum hunc. & ipse ex eo bibit. & filii eius. & pecora eius? Respondit Ihesus & dixit ei· Omnis qui bibit ex aqua hac. sitiet iterum. qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei non sitiet in æternum. Sed aqua quam ego dabo ei. fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam· Dicit ad eum mulier. Domine. da mihi hanc aquam. ut non sitiam. neque veniam huc haurire· Dicit ei Ihesus· Vade voca virum tuum. & veni huc· Respondit mulier. & dixit· non habeo virum· Dicit ei Ihesus· Bene dixisti quia non habeo virum· quinque enim viros habuisti. & nunc quem habes non est tuus vir· Hoc verum dixisti· Dicit ei mulier· Domine video quia propheta es tu· Patres nostri in monte hoc adoraverunt. & vos dicitis. quia Ierosolimis est locus. ubi adorare oportet· **184** Dicit ei Ihesus· Mulier crede mihi. quia veniet hora. quando neque in monte hoc. neque in Ierosolimis adorabitis Patrem· Vos adoratis quod nescitis· Nos adoramus quod scimus. quia salus ex Iudæis est· Sed veniet hora. & nunc est. quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu. & veritate· Nam & Pater tales quærit. qui adorent eum· Spiritus est Deus· Et eos qui adorant eum in spiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier· Scio quia Messia venit qui dicitur Christus· Cum ergo venerit. ille nobis annuntiabit omnia. Dicit ei Ihesus· Ego sum qui loquor tecum· Et continuo venerunt discipuli eius. & mirabantur. quia cum muliere loquebatur· Nemo tamen dixit. quid quæris. aut quid loquæris cum ea· Reliquit ergo hydriam suam mulier. & abiit in civitatem. & dicit illis hominibus· Venite & videte hominem. qui dixit omnia quæcumque feci· Numquid ipse est Christus? Exierunt ergo de civitate. & veniebant ad eum· Interea rogabant eum discipuli dicentes· Rabbi manduca? Ille autem dixit eis· ego cibum habeo manducare. quem vos nescitis· Dicebant ergo discipuli ad invicem· Numquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Ihesus· **185** Meus cibus est. ut faciam voluntatem eius qui misit me. & ut perficiam opus eius· Nonne vos dicitis. quod adhuc quatuor menses sunt. & messis venit? Ecce dico vobis. levate oculos vestros. & videte regiones· quia albæ sunt iam ad messem· Et qui metit mercedem accipit. & congregat fructum in vitam æternam. ut & qui seminat simul gaudeat. & qui metit· In hoc enim est verbum verum. quia alius est qui seminat. & alius qui metit· Ego misi vos metere. quod vos non laborastis· Alii laboraverunt. & vos in labores eorum introistis· Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum. propter verbum mulieris testimonium perhibentis. quia dixit mihi omnia quæcumque feci· Cum venissent ergo ad illum Samaritani. regaverunt eum ut ibi maneret· Et mansit ibi duos dies· Et multo plures crediderunt propter sermonem eius· Et mulieri dicebant· Quia non iam propter tuam loquelam credimus· Ipsi enim audivimus. & scimus. quia hic est vere Salvator mundi.

Super Sindonem.

Adesto Domine supplicationibus nostris· Ut hoc sollemne ieiunium. quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est. devoto servitio celebremus· per. 316

Super Oblata.

Domine Deus noster. in cuius spiritalibus castris. **186** militat laudanda sobrietas. abstinentia fructuosa. & casti pectoris opulenta frugalitas. ieiunantium vota clementer assumme. & fidelibus postulatus consueta pietate succurre· per. 317

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. qui ad insinuandum humilitatis suæ mysterium. fatigatus resedit ad puteum. & muliere Samaritana. aquæ sibi petiit porrigi potum. qui in ea creaverat fidei donum· Et ita eius sitire dignatus est fidem. ut dum ab ea. aquam peteret. in ea ignem divini amoris accenderet. Imploramus itaque inmensam clementiam tuam. ut contemnentes tenebrosam profunditatem vitiorum. & relinquentes noxiarum hydriam cupiditatum. te qui fons vitæ & origo bonitatis es semper sitiamus. & ieiuniorum nostrorum observatione tibi placeamus per eundem Christum Dominum nostrum· per quem maiestatem tuam. 318

Post Comm.

Tribue nobis omnipotens Deus. ut dona cælestia quæ debito frequentamus obsequio. sincera professione sectemur· per Dominum nostrum. 319

LII

FERIA II. EBDOMAD. II.

Or. super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut familia tua. quæ se affligendo carnem. ab alimentis abstinet. sectando iustitiam. a culpa ieiunet· per. 320

Lectio Danihelis prophetæ.

187 In diebus illis oravit Danihel dicens· Domine Deus noster qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti. & fecisti tibi nomen secundum diem hanc· Peccavimus iniquitatem fecimus Domine. in omnem iustitiam tuam· Avertatur obsecro ira tua. & furor tuus a civitate tua Ierusalem & monte sancto tuo· Propter peccata enim nostra & iniquitates patrum nostrorum. Ierusalem & populus tuus in obprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum· Nunc ergo exaudi Deus. orationem servi tui & preces eius & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum quod desertum est propter temetipsum· Inclina Deus meus aurem tuam & audi. aperi oculos tuos & vide desolationem. & civitatem super quam invocatum est nomen tuum· Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam. sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine. placare Domine. adtende & fac· Ne moreris propter temetipsum Deus meus quia nomen tuum invocatum est. super civitatem. & super populum tuum. Domine Deus noster.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Esto consentiens adversario tuo cito. dum es in via cum eo. ne forte tradat te adversarius iudici. & iudex tradat te ministro. 188 & in carcerem mittaris· Amen dico tibi. non exies inde. donec reddas novissimum quadrantem· Audistis quia dictum est antiquis. non mechaberis? Ego autem dico vobis. quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam. iam mechatus [est] eam [in corde suo]· Quod si oculus tuus dexter scandalizat te. erue eum & proice abs te· Expedit enim tibi. ut pereat unum membrorum tuorum. quam totum corpus tuum mittatur in gehennam· Et si dextera manus tua scandalizat te abscide eam & proice abs te· Expedit enim tibi. ut pereat unum membrorum tuorum. quam totum corpus tuum mittatur in gehennam.

Super Sindonem.

Adesto quæsumus Domine supplicationibus nostris ut esse te largiente mereamur. & inter prospera humiles. & inter adversa securi· per. 321

Super Oblata.

Hæc hostia Domine placationis & laudis. tua nos propitiatione dignos efficiat· per. 322

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & pietatem tuam supplici devotione deposcere. ut ieiunii nostri oblatione placatus. & peccatorum nobis concedas veniam. & nos a noxiis liberes insidiis per Christum Dominum nostrum. 323

Post Comm.

Hæc nos communio Domine purget a crimine. & cælestibus remediis faciat esse intentos· per. 324

LIII

189 FERIA III. EBDOM. II.

Oratio super populum.

Perfice quæsumus Domine benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium· Ut quæ te auctore faciendam cognovimus. te operante impleamus· per. 325

Lectio libri Regum.

In diebus illis factus est sermo Domini ad Heliam Thesbiten dicens· Surge & vade in Sarephtha Sidoniorum. & manebis ibi· Præcepi enim ibi mulieri viduæ ut pascat te· Surrexit & abiit in Sareptha· Cumque venisset ad portam civitatis. apparuit ei mulier vidua colligens ligna. & vocavit eam dixitque ei· Da mihi paululum aquæ in vase ut bibam· Cumque illa pergeret ut afferret. clamavit pos[t] tergum eius dicens· Affer mihi obsecro & bucellam panis in manu tua· Quæ respondit· Vivit Dominus Deus tuus quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria. & paululum olei in lechito· En colligo duo ligna ut ingrediar. & faciam illud mihi & filio meo ut comedamus & moriamur· Ad quam Helias ait· Noli timere. sed vade & fac sicut dixisti· Verumtamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem parvulum & affer ad me· Tibi autem & filio tuo facies postea· Hæc autem dicit Dominus Deus Israel· Hydria farinæ non deficiet nec lecitus olei minuetur 190 usque in die qua daturus est Dominus pluviam super faciem terræ· Quæ abiit & fecit iuxta verbum Heliæ. & comedit ipse & illa & domus eius· Ex illa die. hydria farinæ non defficit. & lecitus olei non est inminutus· Iuxta verbum Domini quod locutus est in manu Heliæ.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Audistis quia dictum est. quicumque dimiserit uxorem suam. det illi libellum repudii? Ego autem dico vobis. quia omnis [qui] dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa. facit eam moechari· Et qui dimissam duxerit. adulterat· Iterum audistis quia dictum est antiquis. non peierabis? Reddes autem Domino iuramenta tua· Ego autem dico vobis non iurare omnino· Neque per cælum. quia thronus Dei est. neque per terram quia scabellum est pedum eius. neque per Ierosolimam quia civitas est magni regis· Neque per caput tuum iuraveris. quia non potes unum capillum album facere. aut nigrum· Sit autem sermo vester. est est. non. non· quod autem his abundantius est. a malo est· Audistis quia dictum est oculum pro oculo. & dentem pro dente· Ego autem dico vobis non resistere malo· Sed si quis te percusserit in dextera maxilla tua. præbe illi & alteram· Et ei qui vult tecum iudicio contendere 191 & tunicam tuam tollere. remitte ei & pallium· Et quicumque te angariaverit mille passus. vade cum illo & alia duo· qui petit a te. da ei. & volenti mutuari a te. ne avertaris.

Super Sindonem.

Deus qui ob animarum medelam. ieiunii devotione castigari corpora præcepisti. concede ut corda nostra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata. quatenus ab omnibus possimus semper abstinere peccatis· per. 326

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine devotorum munera famulorum. & divinis purifica servientes tua pietate mysteriis. quibus etiam iustificas ignorantes· per. 327

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui ieiunia sacro instituto exequi præcepisti. ut per hanc abstinentiam sicut confidimus de tua misericordia mereamur veniam delictorum· Tu enim solus Deus abluis egritudines animarum. quæ peccati vitio inrogantur. & facis abstinentiam prodesse. quibus fuerat obligata præsumptio per Christum. 328

Post Comm.

Ut sacris Domine reddamur digni muneribus fac nos tuis quæsumus oboedire mandatis· per. 329

LIV

FERIA IIII. EBDOM. II.

Oratio super populum.

Populum tuum Domine propitius respice· Et quos ab escis carnalibus præcipis abstinere a noxiis quoque intus cessare concede· per. 330

Lectio libri Hester.

In diebus illis. oravit Hester ad Dominum dicens· Domine **192** Deus rex omnipotens in tua dicione cuncta sunt posita. & non est qui possit tuæ resistere potestati· Si decreveris salvare nos continuo liberabimur· Tu enim Domine fecisti cælum & terram. & quicquid cæli ambitu continentur· Tu es Dominus omnium. & non est qui resistat maiestati tuæ· Et nunc Domine rex regum. Deus Abraham miserere populo tuo. quia volunt nos inimici nostri perdere. & hereditatem tuam delere· Ne despicias partem tuam quam redemisti. sed exaudi deprecationem nostram. & propitius esto sorti. & funiculo hereditatis tuæ. Et converte luctum nostrum in gaudium. ut viventes laudemus nomen sanctum tuum. & ne perdas ora canentium te Domine Deus noster.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis· Audistis quia dictum est. diliges proximum tuum. & odio habebis inimicum tuum? Ego autem dico vobis. diligite inimicos vestros. benefacite his qui oderunt vos· Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos. ut sitis filii Patris vestri. qui in cælis est· Qui solem suum oriri facit super bonos & malos. & pluit super iustos & iniustos· Si enim diligatis eos. qui vos diligunt. quam mercedem. habebitis? Nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum. quid am- **193** plius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt? Estote ergo & vos perfecti sicut & Pater vester qui in cælis est. perfectus est.

Super Sindonem.

Ecclesiam tuam Domine perpetua miseratione prosequere. Ut inter sæculi turbines constituta. & præsenti iucunditate respiret. & æterne beatitudinis donum percipiat· per. 331

Super Oblata.

Hostias Domine quas tibi offerimus propitius respice. & per hæc sancta commercia. vincula peccatorum nostrorum absolve· per. 332

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. per quem humani generis reconciliationem. mirabili dispositione operatus es· Præsta quæsumus ut sancto purificati ieiunio. & tibi toto corde simus subiecti. & inter mundanæ pravitatis insidias. te miserante perseveremus inlæsi per eundem Christum Dominum nostrum· per quem maiestatem. 333

Post Comm.

Sumptis Domine sacramentis. ad redemptionis æternæ quæsumus proficiamus augmentum· per. 334

LV

FERIA V. EBDOMAD. II.

Oratio super populum.

Adesto Domine famulis tuis. & perpetuam benignitatem largire poscentibus· Ut his qui te auctorem & gubernatorem gloriantur habere. & grata (congregata) restaures. & restaurata conserves· per. 335

Lectio Hieremie prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus· Maledictus homo qui confidit in hominem & ponet carnem **194** brachii sui. & a Domino recedit cor eius· Erit enim quasi mirrice in deserto & non videbit cum venerit bonum. sed habitabit in siccitate in deserto. & in terra salsuginis & inhabitabile· Benedictus vir qui confidit in Domino. & erit Dominus fiducia eius & erit quasi lignum quod transplantatus super aquas quod ad humorem mittit radices suas. & non timebit cum venerit æstus· Et erit folium eius viride. & in tempore siccitatis non erit sollicitum. nec aliquando non desinet facere fructum· Pravum est cor hominis. & inscrutabile quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & probans renes· Qui do unicuique iuxta viam. & iuxta fructum adinventionem suarum dicit Dominus omnipotens.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis· Alioquin mercedem non habebitis apud Patrem

vestrum. qui in cælis est. Cum ergo facis elemosinam. noli tuba canere ante te. sicut ypocritæ faciunt in synagogis. & in vicis. ut honorificentur ab hominibus· Amen dico vobis. receperunt mercedem suam· Te autem faciente elemosimam. nesciat sinistra tua. quid faciat dextera tua. ut sit elemosina tua **195** in abscondito· Et Pater tuus qui videt in abscondito. reddet tibi· Et cum oraveris. non eritis sicut ypocritæ. qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare ut videantur ab hominibus· Amen dico vobis receperunt mercedem suam· Tu autem cum orabis. intra in cubiculum tuum. & clauso ostio. ora Patrem tuum in abscondito· Et Pater tuus qui videt in abscondito. reddet tibi.

Super Sindonem.

Præsta nobis Domine quæsumus auxilium gratiæ tuæ· Ut ieiuniis & orationibus convenienter intenti. liberemur ab hostibus mentis. & corporis· per. 336

Super Oblata.

Præsenti sacrificio nomini tuo nos Domine ieiunia dicata sanctificent· Ut quod observantia nostra profitetur extrinsecus. interius operetur effectu· per. 337

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & tuam cum celebratione ieiunii pietatem devotis mentibus obsecrare· Ut qui peccatis ingruentibus malorum pondere premimur. & a peccatis omnibus liberemur. & libera tibi mente famulemur. per Christum Dominum. 338

Post Comm.

Gratia tua nos quæsumus Domine non relinquat· Quæ & nobis opem semper tuæ largitatis adquirat. & ab omnibus tueatur adversis· per Dominum nostrum. 339

LVI

FERIA VI. EBDOMAD. II.

Oratio super populum.

196 Da quæsumus omnipotens Deus· Ut sacro nos purificante ieiunio. senceris mentibus sancta ventura facias pervenire· per. 340

Lectio libri Genesis.

In diebus illis. Dixit Ioseph fratribus suis· Audite somnium meum quod vidi· Putabam colligere nos manipulos in agro. quasi consurgere manipulum meum. & stare vestrosque manipulos circumstantes. adorare manipulum meum. responderunt fratres· Numquid rex noster eris. aut subiciemur dicioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum invidiæ. & hodii fomitem ministravit· Aliud quoque vidit somnium quod narrans fratribus ait· Vidit per somnium quasi solem & lunam. & stellas undecim adorare me· Quod cum patri suo & fratribus retulisset. increpavit eum pater & dixit· Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Numquid ego & mater tua & fratres tui. adorabimus te super terram? Invidebant igitur ei fratres sui. pater vero rem tacitus considerabat· Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem· Dixit ad eum Israel· fratres tui pascunt oves in Sicchimis. veni mittam te ad eos· quo respondente. præsto sum ait· Dixitque ei· Vade & vide si cuncta prospera sunt erga fratres tuos & pecora. **197** & renuntia mihi quid agatur· Missus de valle Hebron. venit in Sichem· Invenitque eum vir errantem in agro· Et interrogavit quid quereret· At ille respondit· Fratres meos quæro. indica mihi ubi pascant greges· Dixitque ei vir· Recesserunt de loco isto· Audivi autem eos dicentes. eamus in Dothaim· Perrexit ergo Ioseph post fratres suos. & invenit eos in Dothaim· Qui cum vidissent eum procul. antequam accederet ad eos. cogitaverunt illum occidere. & mutuo loquebantur· Ecce somniator venite occidamus eum. & mittamus eum in cisternam veterem· Dicemusque fera pessima devoravit eum. & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua· Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum & dicebat· Non interficiamus animam eius. nec effundamus sanguinem. sed proicite eum in cisternam hanc quæ est in solitudinem manusque vestras servate innoxias· Hoc autem dicebat. volens eripere eum de manibus eorum & reddere patri suo.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis & turbis Iudæorum. parabolam hanc. Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam & sepem circumdedit ei & fodit in ea torcular. & ædificabit **198** turrem. & locavit eam agricolis & peregre profectus est· Cum autem tempus fructuum appropinquasset misit servos suos ad agricolas ut acciperent fructus eius· Et agricole apprehensis servis ejus alium ceciderunt. alium occiderunt. & alium vero lapidaverunt· Iterum misit alios servos plures prioribus. & fecerunt illis similiter· Novissime autem misit ad eos filium suum dicens· Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se· Hic est heres. venite occidamus eum. & habebimus hereditatem eius· Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam & occiderunt· Cum ergo venerit dominus vineæ quid faciet agricolis illis? Aiunt illi· Malos male perdet. & vineam locavit aliis agricolis. qui reddant ei fructus temporibus suis· Dicit illis Ihesus· Numquam legistis in Scripturis. lapidem quem reprobaverunt ædificantes hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud. & est mirabile in oculis nostris· Ideo dico vobis quia auferetur a vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius· Et qui ciciderit super lapidem istum confringetur super quem vero ciciderit conteret eum· Et cum audissent **199** principes sacerdotum & pharisæi para-

bolas eius cognoverunt quod de ipsis diceret· Et quærentes eum tenere timuerunt turbas quoniam sicut prophetam eum habebant.

Super Sindonem.

Da quæsumus Domine populo tuo sanitatem mentis & corporis· Ut bonis operibus inherendo. tuæ semper virtutis mereatur protectioni defendi· per. 341

Super Oblata.

Hæc in nobis sacrificia Deus. & actione permaneant. & operatione firmentur· per. 342

Post Comm.

Fac nos quæsumus Domine accepto pignore salutis æterne sic tendere congruenter. ut ad eandem pervenire possimus· per. 343

LVII

SABBATO II. EBDOMAD. II.

Oratio super populum.

Da quæsumus Domine nostris effectum ieiuniis salutarem· Ut castigatio carnis assumpta. ad nostrarum vegetationem transeat animarum· per. 344

Ad Ephesios.

Fratres. Estote imitatores Dei. sicut filii carissimi. & ambulate in dilectione. sicut & Christus dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis· Fornicatio autem. & omnis inmunditia. aut avaritia nec nominetur in vobis. sicut decet sanctos. aut turpitudo. aut stultiloquium. aut scurrilitas que ad rem non pertinet sed magis gratiarum actio· Hoc enim scitote intellegentes. quod omnis **200** fornicator. aut inmundus. aut avarus quod est idolorum servitus. non habet hereditatem in regno Christi & Dei· Nemo vos seducat inanibus verbis· Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum· Eratis enim aliquando tenebre. nunc autem lux in Domino· Ut filii lucis ambulate. fructus enim lucis est. in omni bonitate. & iustitia & veritate.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Abiit Dominus Ihesus in patriam suam. & sequebantur illum discipuli eius· Et facto sabato. cœpit in synagoga docere· Et multi audientes admirabantur in doctrina eius dicentes· Unde huic hæc omnia? Et quæ est sapientia quæ data est illi. & virtutes tales. quæ per manus eius efficiuntur? Nonne iste est faber filius Mariæ. frater Iacobi. & Ioseph. & Iudæ. & Symonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. & dicebat ei Ihesus· Quia non est propheta sine honore nisi in patria sua. & in cognatione sua. & domo sua· Et non poterat ibi virtutem ullam facere. nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.

Super Sindonem.

Familiam tuam quæsumus Domine continua pietate custodi· Ut quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur **201** cælesti etiam protectione muniatur· per. 345

Super Oblata.

His sacrificiis Domine concede placatus. ut qui propriis oramus absolvi delictis. non gravemur externis· per. 346

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & tuam iugiter exorare clementiam. ut mentes nostras. quas conspicis terrenis affectibus prægravari. medicinalibus tribuas ieiuniis exonerari· Et per afflictionem corporum. proveniat nobis robur animarum· per Christum. 347

Post Comm.

Sacramenti tui Domine divina libatio. penetrabilia nostri cordis infundat. & sui participes potenter efficiat· per. 348

LVIII

BENEDICTIO CINERIS ET CILICII.

Exorcizo te cinis ✠ In nomine Dei Patris omnipotentis ✠ & Ihesu Christi Filii Dei ✠ & Spiritus Sancti. qui per ignem in favillam converti præcepit· Ut sicut iussione Dei. per sanctum famulum eius Moysen. cinis vitulæ in populo aspersus. omnem congregationem Israel sanctificavit. ita & tu exorcizatus in nomine Trinitatis in terra & cilicio aspersus. in eis qui scrutinio sunt habituri super stantes vel transituros diabolus non lateat. sed manifestetur atque expellatur ut puri & sinceri inveniantur· Te autem petimus & rogamus Pater omnipotens. ut sicut Ninevitarum populus. ad prædicationem Ionæ **202** prophetæ misericordiam tuam Domine exorantes. suorum veniam meruerunt consequi peccatorum. ita & hi qui ad tuam gratiam percipiendam venire desiderant. amputatis carnalibus maculis. per sacri baptismatis regenerationem. suorum finem constituant vitiorum· per eundem Dominum· In unitate. 349

ORATIO SUPER COMPETENTES.

Exaudi Domine supplicationem familiæ tuæ. qui fidelium tuorum consortio desiderant sociari· Ut die sanctæ sollemnitatis. clementiæ tuæ donum baptismatis percipere mereantur· per. 350

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus. respice propitius de excelsa sede maiestatis tuæ. super hos famulos tuos competentes. qui ad tuam concurrunt ecclesiam· Concede eis Domine. ut sub protectione manus tuæ. ad sacri baptismatis gratiam pervenire mereantur· per. 351

LIX

DOMINICA II. DE ABRAHAM.

LÆTANIA.

Dicamus omnes Kyrieleison.

Domine Deus omnipotens patrum nostrorum· Kyrie.

Respice de cælo & de sede sancta tua. Kyrie.

Pro ecclesia tua sancta catholica quam conservare digneris· Kyrie.

Pro Papa nostro illo & sacerdotio eius· Kyrie.

Pro universis episcopis. cuncto clero & populo. Kyrie.

Pro famulo tuo illo imperatore. & famula tua illa **203** imperatrice. & omni exercitu eius Kyrie.

Pro civitate hac omnibusque habitantibus in ea· Kyrie.

Pro aerum temperie. & fecunditate terrarum· Kyrie.

Libera nos qui liberasti filios Israel· Kyrie.

In manu forti. & brachio excelso· Kyrie.

Exsurge Domine adiuva nos. & libera nos propter nomen tuum·

Kyrie Kyrie Kyrie. 352

MISSA.

Oratio super populum.

Adiuva Domine fragilitatem plebis tuæ. ieiunii sacramento· Ut adoptivos pascalis celebritatis effectus. & corporaliter gubernata concurrat. & ad tuam gratiam devota perveniat· per. 353

Ad Tessalonicenses. I.

Fratres. Vos estis gloria nostra & gaudium· Propter quod amplius non sustinentes. placuit nobis remanere Athenis solis· Et misimus Timotheum fratrem nostrum. & ministrum Dei in evangelio Christi. ad confortandos vos. & exhortandos pro fide vestra. ut nemo moveatur in tribulationibus istis· Ipsi enim scitis. quod in hoc positi sumus· Nam & cum apud vos essemus. prædicebamus vobis passuros nos tribulationes. sicut factum est & scitis· Propterea & ego amplius non sustinens. misi ad cognoscendam fidem vestram. ne forte temptaverit vos is qui temptat **204** & inanis fiat labor noster· Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis. & annuntiante nobis fidem. & caritatem vestram. & quia memoriam nostri habetis bonam. semper desiderantes nos videre· sicut nos quoque vos. ideo consolati sumus fratres in vobis. in omni necessitate & tribulatione nostra. per vestram fidem· Quoniam nunc vivimus. si vos statis in Domino.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus ad eos. qui crediderunt ei Iudæos· Si vos manseritis in sermone meo. vere discipuli mei eritis· Et cognoscetis veritatem. & veritas liberabit vos· Responderunt ei· Semen Abrahæ sumus. & nemini servivimus umquam. quomodo tu dicis liberi eritis? Respondit eis Ihesus· Amen amen dico vobis. quia omnis qui facit peccatum. servus est peccati· Servus autem non manet in domo in æternum. filius manet in æternum· Si ergo filius vos liberaverit. vere liberi eritis· Scio quia filii Abrahæ estis. sed quæritis me interficere. quia sermo meus non capit in vobis· Ego quod vidi apud Patrem loquor. & vos quod vidistis apud patrem vestrum facitis· Responderunt & dixerunt ei. Pater noster Abraham est· Dicit eis Ihesus. Si filii Abrahæ estis. opera Abrahæ facite· Nunc **205** autem quæritis me interficere hominem qui veritatem vobis locutus sum. quam audivi a Deo· Hoc Abraham non fecit· Vos facitis opera patris vestri· Dixerunt itaque ei· Nos ex fornicatione non sumus nati. unum patrem habemus Dominum· Dixit ergo eis Ihesus· Si Deus Pater vester esset. diligeretis utique me· Ego enim ex Deo processi. & veni· Neque enim a me ipso veni sed ille me misit· Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum· Vos ex patre diabolo estis. & desideria patris vestri vultis facere· Ille homicida erat ab initio. & in veritate non stetit· quia veritas non est in eo· Cum loquitur mendatium. ex propriis loquitur. quia mendax est & pater eius· Ego autem quia veritatem dico. non creditis mihi· quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico. quare vos non creditis mihi? Qui est ex Deo. verba Dei audit· Propterea vos non auditis. quia ex Deo non estis· Responderunt igitur Iudæi & dixerunt ei· Nonne bene dicimus nos. quia Samaritanus es tu. & dæmonium habes? Respondit eis Ihesus· Ego dæmonium non habeo. sed honorifico Patrem meum. & vos inhonorastis me· Ego autem non quæro gloriam meam. **206** est qui quærat & iudicet· Amen amen dico vobis. si quis sermonem meum servaverit. mortem non videbit in æternum· Responderunt ergo Iudæi· Nunc cognovimus quia demonium habes· Abraham mortuus est. & prophetæ. & tu dicis. si quis sermonem meum servaverit. mortem non gustabit in æternum? Numquid tu maior es patre nostro Abraham. qui mortuus est. & prophetæ mortui sunt. quem teipsum facis? Respondit eis Ihesus· Si ego glorifico meipsum. gloria mea nihil est· Est Pater meus qui glorificat me. quem vos dicitis. quia Deus vester est. & non cognovistis eum· Ego autem novi eum· Et si dixero quia nescio eum. ero similis vobis mendax· Sed scio eum. & sermonem eius servo· Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum. & vidit. & gavisus est· Dixerunt ergo Iudæi ad eum· Quinquaginta annos nondum habes. & Abraham vidisti? Dixit eis Ihesus· Amen amen dico vobis. antequam Abraham fieret ego sum·

Tulerunt ergo lapides. ut iacerent in eum· Ihesus autem abscondit se. & exivit de templo.

Super Sindonem.

Sanctifica Domine quæsumus nostra propitius ieiunia. & cunctarum nobis indulgentiam largire placatus culparum· per. 354

207 *Super Oblata.*

Offerimus tibi Domine munera supplicantes. ut quæ subditi piis celebramus officiis. plenis affectibus exequamur· per. 355

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Tu es enim Domine mitissimus Pater. qui ante multa tempora Abrahæ in semine Christi tui Deique. Natique adventum clamasti· Iam iamque tenemus. quod olim patribus promittebas· Nam quod Abrahæ sancto gentium populus pollicetur. verissime ex omni genere. tribu. & lingua. christiana religio congregatur· O quam perfida pertinax gens Iudæorum iniqua. qui cælestem Patrem recognoscere nolunt & in semine gloriantur· O ingrata gens multis perculsa vicibus qui respuunt præsentem. nec valent tenere absentem· Nos vero magnis vocibus exultemus qui & locum pariter & regnum accepimus Iudæorum per eundem· 356

Post Comm.

Supplices te rogamus omnipotens Deus. in quos tuis reficis sacramentis. tibi etiam placitis moribus deservire concedas· per. 357

LX

FERIA II. EBDOMAD. III. IN QUADRAGESIMA.

Oratio super populum.

Cordibus nostris quæsumus Domine benignus infunde. ut sicut ab escis corporalibus abstinemus. ita sensus quoque nostros a noxiis retrahamus excessibus· per. 358

[Lectio Hieremiæ].

In diebus illis. Neman princeps militiæ regis Siriæ. erat vir magnus coram Domino & honoratus· **208** Per illum autem dedit Dominus salutem Siriæ· Erat autem vir fortis & dives sed leprosus· Porro de Siria egressi fuerant latrunculi. & captivam duxerant de terra Israel puellam parvulam quæ erat in obsequio uxoris Naaman. quæ ait ad dominam suam· Utinam fuisset dominus meus ad prophetam qui est in Samaria. profecto curasset eum a lepra quam habet· Ingressus est itaque Naaman ad dominum suum. & nunciavit ei dicens· Sic & sic locuta est puella de terra Israel· Dixitque ei rex Siriæ· Vade & mittam litteras ad regem Israel· Qui cum profectus esset. & tulisset secum decem talenta argenti. & sex millia aueros. & decem mutatoria vestimentorum. detulit litteras ad regem Israel in hæc verba· Cum acceperis epistolam hanc scito quod miserim ad te Naaman servum meum. ut cures eum a lepra sua· Cumque legisset rex Israel litteras. scidit vestimenta sua & ait· Numquid Deus sum ut occidere possim & vivificare? quia iste misit ad me ut curem hominem a lepra sua· Animadvertite & videte quod occasiones quærat adversum me· Quod cum audisset Heliseus vir Dei scidisse videlicet regem Israel vestimenta sua. misit ad eum dicens· Quare scidisti vesti- **209** menta tua? Veniat ad me. & sciat esse prophetam in Israel· Venit ergo Naaman cum equis & curribus & stetit ad ostium domus Helisei· Misitque ad eum Heliseus nuntium dicens· Vade & lavare septies in Iordane & recipiet sanitatem caro tua. atque mundaberis· Iratus Naaman recedebat dicens· Putabam quod egrederetur ad me. & stans invocaret nomen Domini Dei sui & tangeret manu sua locum lepræ & curaret me· Numquid non meliores sunt Abana & Pharphar fluvii Damasci ab omnibus aquis Israel. ut laver in eis & munder· Cum ergo vertisset se & abiret indignans. accesserunt ad eum servi sui. & locuti sunt ei· Pater si rem grandem dixisset tibi propheta. certe facere debueras. quanto magis. quia nunc dixit tibi lavare & mundaberis? Descendit & lavit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei & restituta est caro eius sicut caro parvuli pueri & mundatus est· Reversusque ad virum Dei cum universo comitatu suo venit & stetit coram eo & ait· Vere scio quod non sit Deus in universa terra. nisi tantum Dominus Deus Israel.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Orantes nolite multum loqui. sicut ethnici· **210** Putant enim quia in multiloquio exaudiantur· Nolite ergo assimilari eis· Scit namque Pater vester. quid opus sit vobis. antequam petatis eum· Sic ergo vos orabitis eum· Pater noster qui in cælis est. sanctificetur nomen tuum· Veniat regnum tuum· fiat voluntas tua. sicut in cælo & in terra· Panem nostrum supersubstantiale da nobis hodie. & dimitte nobis debita nostra. sicut & nos dimittimus debitoribus nostris· Et ne inducas nos in temptationem. sed libera nos a malo· Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum. dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra· Si autem non dimiseritis hominibus nec Pater vester dimittet peccata vestra.

Super Sindonem.

Conserva Domine familiam tuam. bonis semper operibus eruditam· Et sic presentibus consolare subsidiis· ut ad superna perducas dona propitius. 359

Super Oblata.

Munus quod tibi Domine nostræ servitutis offerimus. tu salutare nobis perfice sacramentum· per. 360

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & tuam clementiam cum omni supplicatione precari· Ut per hanc ieiuniorum observationem. crescat nostræ

devotionis effectus. & nostras actiones religiosus exornet effectus· quatenus te auxiliante. & ab huma- **211** nis semper retrahamur excessibus. & monitis inhærere valeamus te largiente cælestibus per Christum. 361

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens & misericors Deus. ut quæ ore contingimus. pura mente capiamus· per. 362

LXI

FERIA III. EBDOMAD. III.

Oratio super populum.

Exaudi nos omnipotens & misericors Deus. & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede· per. 363

Lectio libri Regum.

In diebus illis mulier quædam clamabat ad Heliseum dicens· Servus tuus vir meus mortuus est. & tu nosti quia servus tuus fuit timens Dominum· Et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi. Cui dixit Heliseus· Quid vis ut faciam tibi ? Dic mihi quid habes in domo tua· Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea. nisi parum olei quo ungar· Cui ait· Vade & pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vasa vacua non pauca. & ingredere & claude ostium· Cum ingressus fueris tu & filii tui & mittite inde in omnia vasa hæc. & cum plena fuerint tolles· Ivit itaque mulier & clausit ostium super se & super filios suos. illi offerebant vasa & illa infundebat· Cumque plena fuissent vasa. dixit ad filium suum· Affer mihi adhuc **212** vas· Et ille respondit· Non habeo. stetitque oleum· Venit autem illa & indicavit homini Dei· At ille· Vade inquit vende oleum· & redde creditori tuo. tu autem & filii tui. vivite de reliquo.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Cum ieiunatis. nolite fieri sicut ypocrite tristes· Exterminant enim facies suas. ut appareant hominibus ieiunantes· Amen dico vobis. quia receperunt mercedem suam· Tu autem cum ieiunas. ungue caput tuum. & faciem tuam lava. ne videaris hominibus ieiunans. sed Patri tuo qui est in abscondito· Et pater tuus qui videt in abscondito. reddet tibi.

Super Sindonem.

Subveniat nobis Domine misericordia tua· Ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis. te mereamur protegente salvari· per. 364

Super Oblata.

Per hæc veniat quæsumus Domine sacramenta. nostræ redemptionis effectus. qui nos & ab humanis retrahat semper excessibus. & ad salutaria cuncta perducat· per. 365

[*Præfatio.*]

Vere dignum. Æterne Deus. qui peccantium non vis animas perire. sed culpas. & peccantes non semper continuo iudicas. sed ad pænitentiam provocatus expectas· Averte quæsumus a nobis quam **213** mereamur iram. & quam optamus super nos effunde clementiam· Ut sacro purificati ieiunio. electorum tuorum adscisci mereamur collegio· per Christum. 366

Post Comm.

Sacris Domine mysteriis expiati. & veniam consequamur & gratiam· per. 367

LXII

FER. IIII. [EBDOMAD. III.]

Oratio super populum.

Præsta nobis quæsumus Domine ut salutaribus ieiuniis eruditi. a noxiis quoque vitiis abstinentes. propitiationem tuam facilius impetremus· per. 368

Lectio libri Exodi.

Hæc dicit Dominus Deus· Honora patrem tuum & matrem tuam ut sis longevus super terram quam Dominus Deus dabit tibi· Non occides. non mechaberis. non furtum facies. non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium· Non concupisces rem proximi tui. nec desiderabis uxorem eius· Non servum non ancillam non bovem non asinum neque omnia quæ illius sunt· Cunctus autem populus videbant voces & lampadas. & sonitum bucine. montemque fumantem & perterriti ac pavore concussi. steterunt procul dicentes Moysi· Loquere tu nobiscum. & audiemus non loquatur nobis Dominus. ne forte moriamur· Et ait Moyses ad populum· Nolite timere. ut enim probaret vos venit Deus. **214** & ut terror illius esset in vobis & non peccaretis· Stetitque populus de longe Moyses autem accessit ad caliginem in quo erat Deus· Dixitque præterea Dominus ad Moysen· Hæc dicis filiis Israel· Vos vidistis quod de cælo locutus sum vobis· Non facietis deos argenteos. nec deos aureos facietis vobis· Altare de terra facietis mihi & offeritis super eo holocausta & pacifica vestra· Oves vestras & boves in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis· Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. ubi erugo. & tinea demolitur. & ubi fures effodiunt. & furantur· Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo. ubi neque erugo. neque tinea demolitur. & ubi fures non effodiunt. nec furantur· Ubi enim est thesaurus tuus ibi est & cor tuum.

Super Sindonem.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus. liberati a malis omnibus. secura mente tibi serviamus· per. 369

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine preces populi tui. cum oblationibus hostiarum. & tua mysteria celebrantes. ab omnibus nos defende periculis· per. 370

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. tuamque misericordiam suppliciter exo- **215** rare. ut ieiuniorum nostrorum sacrosancta mysteria tuæ sint pietati semper accepta. concedasque ut quorum corpora abstinentiæ medicina curantur. mentes quoque virtutibus & cælestibus institutis exornentur· per Christum Dominum. 371

Post Comm.

Sanctificet nos Domine qua pasti sumus. mensæ cælestis libatio. & a cunctis erroribus expiatos. supernis promissionibus reddat acceptos· per Dominum. 372

LXIII

FERIA V. EBDOMAD. III.

Oratio super populum.

Da quæsumus Domine rex æterne cunctorum. ut sacro nos purificante ieiunio. sinceris mentibus ad tua sancta ventura facias pervenire· per. 373

Lectio Ieremiæ prophetæ.

In diebus illis. factum est verbum Domini ad me dicens· Sta in porta domus Domini. & prædica verbum istud & dic· Audite verbum Domini omnis Iuda qui ingredimini per portas ut adoretis Dominum· Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel· Bonas facite vias vestras & habitabo vobiscum in loco isto· Nolite confidere in verbis mendacis dicentes· Templum Domini templum Domini· quoniam si benedixeritis vias vestras & studia vestra si feceritis iudicium inter virum & proximum eius advene & pupillo & viduæ non feceritis calumniam nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc & post deos **216** alienos non ambulaveritis in malum vobismetipsis habitabo vobiscum in loco isto in terram quam dedi patribus vestris a sæculo usque sæculum ait Dominus omnipotens.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Lucerna corporis tui. est oculus tuus· Si fuerit oculus tuus simplex. totum corpus tuum lucidum erit· Si autem oculus tuus nequam fuerit. totum corpus tuum tenebrosum erit· Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt. ipse tenebræ quante erunt? Nemo potest duobus dominis servire· Aut enim unum odio habebit. & alterum diliget. aut unum sustinebit. & alterum contemnet· Non potestis servire Deo. & mamonæ· Ideo dico vobis ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis. neque corpori vestro quid induamini· Nonne anima plus est quam esca. & corpus quam vestimentum? Respicite volatilia cæli. quoniam non serunt. neque metunt neque congregant in horreum. & Pater vester cælestis pascit illa.

Super Sindonem.

Deus de cuius gratiæ rore descendit. ut ad mysteria tua purgatis sensibus accedamus. præsta quæsumus ut in eorum traditione sollemniter honoranda. competens deferamus obsequium· per. 374

Super Oblata.

217 Respice Domine propitius ad munera quæ sacramus· Ut & tibi grata sint. & nobis salutaria semper existant· per. 375

[Præfatio.]

Vere dignum. Æterne Deus. & tuam immensam clementiam supplici voto deposcere. ut nos famulos tuos. & ieiunii maceratione castigatos. & ceteris bonorum operum exhibitionibus eruditos. in mandatis suis facias perseverare sinceros· & ad paschalia festa pervenire inlæsos· Sicque præsentibus subsidiis consolemur. quatenus ad æterna gaudia pertingere mereamur· per Christum. 376

Post Comm.

Sacramenti ,ui Domine veneranda perceptio. & mystico nos mundet effectu. & perpetua virtute defendat· per. 377

LXIV

FERIA VI. EBDOMAD. III.

Or. super populum.

Ieiunia nostra quæsumus Domine benigno favore prosequere· Ut sicut ab alimentis in corpore. ita a vitiis ieiuniis [ieiunemus] in mente· per. 378

Lectio libri Deuteronomi.

In diebus illis. Convenerunt filii Israel ad Moysen & Aaron. & versi in seditionem dixerunt· Utinam perissemus inter fratres nostros coram Domino· Cur eduxisti ecclesiam Domini in solitudine. ut & nos & nostra iumenta moriantur? quare nos fecistis ascendere de Ægypto. & adduxistis in locum istum pessimum qui seri non potest? qui nec ficum gignit. nec vineas nec malagranata? **218** Insuper & aquam non habet ad bibendum? Ingressusque Moyses & Aaron dimissa multitudine ad tabernaculum fœderis corruerunt proni in terram. & apparuit gloria Domini super eos· Locutusque est Dominus ad Moysen dicens· Tolle virgam & congrega populum tu & Aaron frater tuus. & loquimini ad petram coram eis. & illa dabit aquas· Cumque eduxeris aquam de petra. bibet omnis multitudo & iumenta eius· Tulit igitur Moyses virgam quæ erat in conspectu Domini sicut præceperat ei congregata multitudine ante petram dixitque eis· Audite rebelles. & increduli· Num de petra hac nobis aquam poterimus eicere? Cumque elevasset Moyses manum

percutiens virga bis silicem. egressæ sunt aquæ. largissime. ita ut populus biberet & iumenta· Dixitque Dominus ad Moysen & Aaron· Quia non credidistis mihi ut sanctificaretis me coram filiis Israel. non introducetis hos populos in terram quam dabo eis· Hæc est aqua contradictionis. ubi iurgati sunt filiis Israel. contra Dominum & sanctificatus est in eis.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Erat Ihesus eiciens dæmonium. & illud erat mutum· Et cum eiecisset dæmonium. **219** locutus est mutus· Et ammiratæ sunt turbæ· Quidam autem ex eis dixerunt· In Beelzebub principem dæmoniorum eicit dæmonia· Et alii temptantes signum de cælo quærebant ab eo· Ipse autem ut vidit cogitationes eorum dixit eis· Omne regnum in seipsum divisum desolatur. & domum supra domum cadet· Si autem & Satanas in seipsum divisus est. quomodo stabit regnum ipsius? quia dicitis in Beelzebub eicere me dæmonia· Si autem ego in Beelzebub eicio dæmonia. filii vestri in quo eiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt· Porro si in digito Dei eicio dæmonia. profecto pervenit in vos regnum Dei· Cum fortis armatus custodit atrium suum in pace sunt ea quæ possidet· Si autem fortior illo superveniens vicerit eum. universa arma eius aufert in quibus confidebat & spolia eius distribuet· Qui non est mecum adversum me est. & qui non colligit mecum spargit· Cum autem inmundus spiritus exierit de homine perambulat per loca inaquosa quærens requiem & non inveniens dicit· Revertar in domum meam unde exivi· Et cum venerit inveniet scopis mundatam & tunc vadet & assumet septem **220** alios spiritus nequiores se. & ingressi habitabant ibi. & sunt novissima hominis illius peiora peioribus· Factum est autem cum hæc diceret extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi· Beatus venter qui te portavit & ubera quæ tu suxisti· At ille dixit· quiinimmo beati qui audiunt verbum Dei. & custodiunt illud.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut qui in tua protectione confidimus. cuncta nobis adversantia te adiuvante superemus· per. 379

Super Oblata.

Respice Domine. propitius ad munera quæ sacramus· Ut & tibi grata sint. & nobis salutaria semper existant· per Dominum nostrum. 380

Post Comm.

Huius nos Domine perceptio sacramenti mundet a crimine. & ad cælestia regna perducat· per. 381

LXV

SABBATO III. EBDOMAD. III.

Or. sup. populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut dignitas conditionis humanæ. quæ per immoderantiam fuerat sauciata medicinalis parsimoniæ studio reformetur· per. 382

Ad Tessalonicenses. I.

Fratres. Gratias agimus Deo sine intermissione. quoniam suscipientes a nobis verbum auditus Dei accepistis. non ut verbum hominum. sed sicut est vere verbum Dei. quod operatur in vobis qui credidistis· Vos enim imitatores facti estis **221** fratres ecclesiarum Dei quæ sunt in Iudæa in Christo Ihesu qui eadem passi estis & vos a contribulibus vestris sicut & ipsi a Iudæis. qui & Dominum occiderunt Ihesum. & prophetas. & nos persecuti sunt. & Deo non placent. & omnibus hominibus adversantur. prohibentes nos gentibus loqui ut salvæ fiant. ut impleant peccata sua semper· Prævenit autem ira Dei super illos usque in finem· Nos autem fratres desolati a vobis ad tempus horæ. aspectu. non corde. abundantius festinavimus faciem vestram videre. cum multo desiderio· quoniam voluimus venire ad vos. ego quidem Paulus. & semel & iterum. sed impedivit nos Satanas· Quæ est enim spes nostra. aut gaudium aut corona gloriæ? Vos igitur estis ante Dominum nostrum Ihesum Christum. in adventu ipsius.

Evangelium secundum Marcum.

In illo tempore. Circuibat Dominus Ihesus castella in circuitu docens· Et convocatos duodecim discipulos. cœpit eos mittere binos. & dabat illis potestatem spirituum inmundorum· Et præcepit eis ne quid tollerent in via. nisi virgam tantum· Non peram. non panem. neque in zona æs. sed calciatos sandaliis. & ne induerentur duabus tunicis· Et dicebat eis· Quocumque introieritis **222** in domum illic manete donec exeatis inde· Et quicumque non receperint vos. neque audierint vos. exeuntes inde. excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis· Et exeuntes prædicabant. ut agerent pœnitentiam. & dæmonia multa eiciebant· Et unguebant oleo multos infirmos. & sanabant.

Super Sindonem.

Adesto Domine quæsumus propitius plebi tuæ· Et quæ tibi non placent respuentes. tuorum potius repleantur dilectionibus mandatorum· per. 383

Super Oblata.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut huius sacrificii munus oblatum. fragilitatem nostram ab omni malo purget semper & muniat· per. 384

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui ieiunii quadregesimalis observationem. in Moyse & Helia dedicasti. & in unigenito Filio tuo legis & prophetarum nostroque omnium Domino exornasti· Tuam igitur inmensam bonitatem supplices exposcimus. ut quod ille iugi ieiunorum complevit continuatione. nos adimplere valeamus illius adiuti largissima miseratione· Et adimplentes ea quæ præcepit. dona percipere merea-

mur quæ promisit idem Ihesus Christus Dominus noster· per quem maiestatem tuam. 385

Post Comm.

223 Quæsumus omnipotens Deus. ut inter eius membra numeremur. cuius corpori communicavimus & sanguini· per. 386

LXVI

DOMINICA DE CÆCO.

Oratio super populum.

Deus qui homini ad imaginem tuam condito. ideo das temporalia. ut largiaris æterna. ecclesiam tuam spiritali fecunditate multiplica· Ut qui sunt generatione terreni. fiant regeneratione cælestes· per. 387

Ad Tessalonicences. I.

Fratres. Rogamus vos & obsecramus in Domino Ihesu. ut quemadmodum accepistis a nobis. quomodo vos oporteat ambulare & placere Deo. sicut & ambulatis ut abundetis magis· Scitis autem quæ præcepta dederimus vobis. per Dominum Ihesum· Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra. ut abstineatis vos a fornicatione. ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione & honore. non in passione desiderii. sicut & gentes quæ ignorant. Deum. ut ne quis supergrediatur. neque circumveniat in negotio fratrem suum· Quoniam vindex est Dominus de his omnibus. sicut prædiximus vobis. & testificati sumus· Non enim vocavit nos Deus in immunditia. sed in sanctificatione· Itaque qui hæc spernit. non hominem spernit. sed Deum. **224** qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis· De caritate autem fraternitatis. non necesse habemus scribere vobis· Ipsi enim vos a Deo didicistis. ut diligatis invicem· Etenim facitis illud in omnes fratres in universa Macedonia· Rogamus autem vos fratres ut abundetis magis. & operam detis. ut quieti sitis. & ut vestrum negotium agatis. & operemini manibus vestris sicut præcepimus vobis. & ut honeste ambuletis ad eos qui foris sunt. & ut nullius aliquid desideretis.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Preteriens Dominus Ihesus. vidit hominem cæcum a nativitate & interrogaverunt eum discipuli sui· Rabbi. quis peccavit. hic aut parentes eius. ut cæcus nasceretur? Respondens Ihesus ait· Neque hic peccavit. neque parentes eius. sed ut manifestentur opera Dei in illo· Dixit eis Ihesus. Me oportet operari opera eius qui misit me. donec dies est· Veniet nox. quando nemo potest operari· Quamdiu in mundo sum lux sum mundi· Hæc cum dixisset. expuit in terram. & fecit lutum ex [s]puto. & linivit lutum super oculos eius. & dixit ei· Vade lava in natatoria Syloe. quod interpretatur **225** missus· Abiit ergo. & lavit. & venit videns· Itaque vicini. & qui viderant eum prius quia mendicus erat dicebant· Nonne hic est qui sedebat & mendicabat? Alii dicebant. quia hic est. alii autem nequaquam sed similis est eius· Ille autem dicebat. quia ego sum· Dicebant ergo ei. quomodo aperti sunt oculi tui? Respondit. ille homo qui dicitur Ihesus. lutum fecit ex [s]puto. & unxit oculos meos. & dixit mihi· Vade ad natatoriam Syloe & lava. & abii. & lavi. & vidi· Dixerunt ei· Ubi est ille? Ait. nescio? Adducunt eum ad pharisæos. qui cæcus fuerat· Erat autem sabbatum quando lutum fecit Ihesus. & aperuit oculos eius· Iterum ergo interrogabant eum pharisæi. quomodo vidisset· Ille autem dixit eis· Lutum posuit mihi super oculos. & lavi. & video· Dicebant ergo ex pharisæis quidam· Non est hic homo a Deo. qui sabbatum non custodit· Alii dicebant. quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et scisma erat inter eos· Dicunt ergo cæco iterum· Tu vero quid dicis de eo. qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit quia propheta est· Non crediderunt **226** ergo Iudæi de illo quod cæcus fuisset & vidisset. donec vocaverunt parentes eius qui viderat· Et interrogaverunt eos dicentes· Hic est filius vester. quem vos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? Responderunt eis parentes eius. & dixerunt· Scimus quia hic est filius noster. & quia cæcus natus est. quomodo autem nunc videat nescimus. aut quis eius aperuit oculos. nos nescimus· Ipsum interrogate. ætatem habet. ipse de se loquatur· Hæc dixerunt parentes eius. quia timebant Iudæos· Iam enim conspiraverant Iudæi. ut si quis eum confiteretur Christum. extra synagogam fieret· Propterea parentes eius dixerunt. quia ætatem habet. ipsum interrogate· Vocaverunt ergo rursum hominem qui cæcus fuerat. & dixerunt ei· Da gloriam Deo· Nos scimus quia hic homo peccator est· Dixit ergo ille· Si peccator est nescio· Unum [scio] quia cæcus cum essem modo video· Dixerunt ergo illi· quid fecit tibi. quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis· Dixi vobis iam. & audistis· quid iterum vultis audire? Numquid & vos **227** vultis discipuli eius fieri? Maledixerunt ei & dixerunt· Tu discipulus eius sis· Nos autem Moysi discipuli sumus· Nos scimus quia Moysi locutus est Deus· Hunc autem nescimus unde sit· Respondit ille homo. & dixit eis· In hoc enim mirabile est. quia vos nescitis unde sit. & aperuit oculos meos· Scimus autem quia peccatores Deus non exaudit· Sed si quis Dei cultor est. & voluntatem eius facit. hunc exaudit· A sæculo non est auditum. quia aperuit quis oculos cæci nati· Nisi esset hic a Deo. non poterat facere quicquam· Responderunt & dixerunt ei· In peccatis natus est totus. & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras· Et audivit Ihesus quia eiecerunt eum foras. Et cum invenisset eum dixit ei· Tu credis in Filium Dei· Respondit ille & dixit· quis est Domine ut credam in eum? Et dixit ei Ihesus· Et tu vidisti eum. & qui loquitur tecum ipse est· At ille ait· Credo Domine. & procidens adoravit eum.

Super Sindonem.

Deus in cuius præcipuis mirabilibus est humana reparatio. solve opera diaboli. & mortifera peccati vincula disrumpe· Ut destructa malignitate quæ nocuit. vincat misericordia **228** quæ redemit· per. 388

Super Oblata.

Suscipe Domine sacrificium. cuius te voluisti dignanter immolatione placari· Et præsta quæsumus ut huius operatione mundati. beneplacitum tibi nostræ mentis offeramus affectum· per. 389

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare· Nos tibi Domine excelsa cælorum qui residet arce. gratias referre. & totis sensibus confiteri. quoniam per te infirmis mundi cæcitate detersa. verum lumen emicuit. quod inter multarum tuarum virtutum miracula. cæcum a nativitate videre iussisti· In quo genus humanum originali caligine maculatum. futuri forma expressum est· Nam illa Syloe natatoria ad quam ille mittitur cæcus. nil aliud. nisi fons sacer signatus est· Ubi non tantum corporea lumina. sed totus homo salvatus est per Christum Dominum nostrum. 390

Post Comm.

Sacræ nobis quæsumus Domine mensæ libatio. & piæ conversationis augmentum & tuæ protectionis continuum præstet auxilium· per. 391

LXVII

FERIA II. EBDOMAD. IIII.

Oratio super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut observationes sacras. annua devotione recolentes. & corpore tibi placeamus. & mente· per. 392

[*Lectio*] *Ieremiæ prophetæ.*

229 In diebus illis. Venerunt due mulieres meretrices ad regem Salomonem. steteruntque coram eo· Quarum una ait· Obsecro mi Domine ego & mulier hæc habitamus in domo una. & peperi apud eam in cubiculo· Tertia vero die postquam ego peperi. peperit & hæc· Et eramus simul nullusque alius nobiscum in domo. exceptis nobis duabus· Mortuus est autem filius mulieris huius nocte. dormiens quipque oppressit eum· Et consurgens intempestate (intempestæ) noctis silentio· Tulit filium meum de latere meo ancille tuæ dormientis & colocavit in sinu suo· Suum autem filium qui erat mortuus posuit in sinu meo· Cumque surrexisset (surrexissem) mane ut darem lac filio meo apparuit mortuus· quem diligentius intuens clara luce deprehendi. non esse meum quem genueram· Responditque. altera mulier· non est ita. sed filius tuus mortuus. meus autem vivit· E contrario illa dicebat. mentiris. filius quippe meus vivit. & filius tuus mortuus est· Atque in hunc modum contendebant coram rege· Tunc rex ait· Hæc dicit· filius meus vivit & filius tuus mortuus est. & ista respondit· **230** Non. sed filius tuus mortuus est. & filius meus vivit· Dixit ergo rex. afferte mihi gladium· Cumque adtulissent gladium coram rege ait· Dividite inquid infantem vivum in duas partes & date dimidiam partem uni. & dimidiam partem alteri· Dixit autem mulier cuius filius erat vivus ad regem· Commota sunt quippe viscera eius super filio suo· Obsecro Domine· Date illi infantem vivum & nolite interficere eum· E contrario illa dicebat. nec mihi nec tibi sed dividatur· Respondit rex. & ait· Date huic infantem vivum & non occidatur· Hæc est enim mater eius· Audivit itaque omnis Israel iudicium quod iudicasset rex. & timuerunt regem. Videntes autem sapientiam Dei. esse in eum ad faciendum iudicium.

Secundum Matheum.

In illo tempore· Dixit Ihesus discipulis suis· Quis vestrum cogitans potest adicere ad staturam suam. cubitum unum? Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri. quomodo crescunt. non laborant neque nent· Dico autem vobis. quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est. sicut unum ex istis· Si autem fœnum agri. quod hodie est. & cras in cli- **231** banum mittitur Deus sic vestit. quanto magis vos minimæ fidei? Nolite ergo solliciti esse. dicentes. quid manducabimus. aut quid bibimus. aut quid operiemur· Hæc enim omnia gentes inquirunt· Scit enim Pater vester. quia his omnibus indigetis· quærite autem primum regnum Dei. & iustitiam eius. & omnia hæc adicientur vobis.

Super Sindonem.

Deprecationem nostram quæsumus Domine benignus exaudi· Et quibus supplicandi prestas affectum tribue defensionis auxilium· per. 393

Super Oblata.

Oblatum tibi Domine sacrificium vivificet nos semper. & muniat· per. 394

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & tuam suppliciter misericordiam implorare· Ut exercitatio veneranda ieiunii salutaris. nos a peccatorum nostrorum maculis purgatos reddat. & ad supernorum civium societatem perducat· Ut & hic devotorum actuum sumamus aucmentum. & illic æternæ beatitudinis percipiamus emolumentum per Christum Dominum nostrum. 395

Post Comm.

Divini satiati muneris largitate quæsumus Domine Deus noster. ut in huius semper participatione vivamus· per. 396

LXVIII

FERIA III. EBDOMADA IIII.

Oratio super populum.

Miserere Domine populo tuo. & continuis tribulationibus laboranti. propitius respirare concede· per. 397

232 *Lectio libri Exodi.*

In diebus illis. Locutus est Dominus ad Moysen dicens· Descende de monte quia peccavit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti· Recesserunt cito de via quam ostendisti eis· Feceruntque sibi vitulum conflatilem & adoraverunt. atque immolantes ei hostias dixerunt ei· Isti sunt dii tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti· Rursumque ait Dominus ad Moysen· Cerno quod populus iste dure cervicis sit· Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos. & deleam eos faciamque te in gentem magnam· Moyses autem orabat Dominum Deum suum dicens· Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum qui eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna. & in manu robusta· Ne queso dicant Ægyptii· Callide eduxit eos. ut interficeret in montibus & deleret terra Quiescat ira tua. & esto placabilis super nequitiam populi tui· Recordare Abraham Isaac & Israel servorum tuorum quibus iurasti per temetipsum dicens· Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli. & universam terram hanc de quo locutus sum vobis. dabo semini vestro & possidebitis eam semper placatusque est Dominus ne faceret 233 malum quod locutus fuerat & misertus est populo suo Israel. Dominus Deus noster.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Nolite solliciti esse in crastinum· Crastinus enim dies. sollicitus erit sibi ipse· Sufficit diei malitia sua· Nolite iudicare. ut non iudicemini· In quo enim iudicio iudicaveritis. iudicabimini· Et in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis· Quid autem vides festucam in oculo tuo fratris tui. & trabem in oculo tuo non vides? Aut quomodo dicis fratri tuo. sine eiciam festucam de oculo tuo. & ecce trabes est in oculo tuo? Ypocrita eice primum trabem de oculo tuo. & tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui.

Super Sindonem.

Præsta nobis omnipotens Deus. ut quia vitiis subiacet nostra mortalitas. tua nos & medicina purificet. & potentia tueatur· per Dominum nostrum. 398

Super Oblata.

Hæc hostia Domine quæsumus emundet nostra delicta. & sacrificium celebrandum. subditorum tibi corpora. mentesque sanctificet· per. 399

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & te creatorem omnium de præteritis fructibus glorificare. & de venturis suppliciter exorare· Ut cum de præceptis invenimur ingrati. de percipiendis non iudicemur indigni· Sed exibita 234 totiens sollemnis devotione ieiunii. cum subsidiis corporalibus. profectum quoque capiamus animarum· per Christum Dominum nostrum. 400

Post Comm.

Huius nos Domine perceptio sacramenti mundet a crimine. & ad cælestia regna perducat· per. 401

LXIX

FERIA IIII. EBDOMADA IIII.

Oratio super populum.

Deus qui & iustis prœmia meritorum. & peccatoribus per ieiunium veniam prebes. miserere supplicibus tuis· Ut reatus nostri confessio. indulgentiam valeat percipere delictorum· per. 402

Lectio Esaie Prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus· Lavamini mundi estote· auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis· Quiescite agere perverse discite bene facere. quærite iudicium subvenite oppresso· Iudicate pupillos defendite viduam. & venite & arguite me dicit Dominus· Si fuerint peccata vestra ut coccinum quasi nix dealbabuntur· Et si fuerint rubra quasi vermiculus velut luna alba erunt· Si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis. dicit Dominus omnipotens.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis· Nolite dare sanctum canibus. neque mittatis margaritas vestras ante porcos ne forte conculcent eas pedibus suis. & conversi 235 disrumpant vos· petite. & dabitur vobis. quærite· & invenietis. pulsate & aperietur vobis· Omnis enim qui petit. accipit. & qui querit. invenit. & pulsanti aperietur· Aut quis est ex vobis homo. quem si petierit filius suus panem. numquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petit. numquid serpentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali. nostis bona dare filiis vestris. quanto magis Pater vester qui in cælis est. dabit bona petentibus se· Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines & vos facite eis· Hæc est enim lex. & prophetæ.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut quos ieiunia votiva castigant. ipsa quoque devotio sancta lætificet· Ut terrenis affectibus mitigatis. facilius cælestia capiamus· per. 403

Super Oblata.

Supplices te rogamus Domine. ut his sacrificiis peccata nostra mundentur. quia tunc nobis tribuis & mentis. & corporis sanitatem· per. 404

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum· Qui inluminatione suæ fidei. tenebras expulit mundi. & genus humanum quod primæ matris uterus profuderat cæcum. incarnationis suæ mysterio reddidit inluminatum. fecitque filios adoptionis. 236 qui tenebantur vinculis iustæ damnationis· Per ipsum te petimus. ut tales in eius inveniamur iustissima examinatione. quales facti sumus in lavacri salutaris felicissima regeneratione· Ut eius incarnationis medicamine imbuti.

sacrosancti lavacri ablutione loti. parsimoniæ devotione ornati. ad æterna gaudia perveniamus inlæsi· per Christum Dominum nostrum per quem maiestatem tuam laudant angeli. 405

Post Comm.

Sacramenta quæ sumpsimus Domine Deus noster. & spiritalibus nos repleant alimentis. & corporalibus tueantur auxiliis· per. 406

LXX

FERIA V. EBDOMADA IIII.

Oratio super populum.

Deus qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis. præsta quæsumus ut ecclesia tua æternis proficiat institutis & temporalibus non destituatur auxiliis· per. 407

Lectio libri Regum.

In diebus illis. Venit mulier Sunamitis ad Heliseum in montem Carmeli· Cumque vidisset eam vir Dei de contra ait ad Giezi puerum suum· Ecce Sunamitis illa vade ergo in occursum eius & dic ei· Rectene agitur circa te & circa virum tuum? qui respondit recte· Cumque venisset ad virum Dei in montem adprehendit pedes eius & accessit Giezi ut amoveret eam· **237** Et ait homo Dei· Dimitte eam. anima enim eius in amaritudine est & Dominus celavit a me. & non indicavit mihi· Quæ dixit illi· Numquid petivit filium a Domino meo? numquid non dixi tibi. ne inludas me? At ille ait ad Giezi· Accinge lumbos tuos. & tolle baculum meum in manu tua & vade· Si occurrerit tibi homo non salutes eum. & si salutaverit te quispiam non respondeas illi. & pone baculum meum super faciem pueri· Porro mater pueri ait· Vivit Dominus & vivit anima tua non dimittam te· Surrexit ergo & secutus est eam· Giezi autem præcesserat ante eos. & posuit baculum super faciem pueri. & non erat vox neque sensus· Reversusque in occursum eius. & nuntiavit ei dicens· Non surrexit puer· Ingressus est ergo Heliseus domum. & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius· Ingressusque clausit ostium super se & super puerum & orabat ad Dominum· Et ascendit & incubuit super puerum. posuitque os suum super os eius. & oculos suos super oculos eius. & manus suas super manus eius. & incurvavit se super eum. & calefacta est caro pueri· Et ille reversus deambulabat in domo semel huc & illuc. & ascendit. & incurvavit super eum. & oscitavit puer **238** septies aperuitque oculos suos· At ille vocavit Giezi. & dixit ei· Voca Sunamiten hanc· Quæ vocata ingressa est ad eum· Qui ait· Tolle filium tuum· Venit illa & corruit ad pedes eius & adoravit eum super terram· Tulitque filium suum & egressa est· Heliseus vero reversus est in Galgala.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Intrate per angustam portam· quia lata porta & spatiosa via. quæ ducit ad perditionem. & multi sunt qui intrant per eam· Quam angusta porta & arta via. quæ ducit ad vitam· & pauci sunt qui inveniunt eam· Attendite a falsis prophetis. qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. intrinsecus autem sunt lupi rapaces· A fructibus eorum cognoscetis eos· Numquid colligunt de spinis uvas aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona. fructus bonos facit. mala autem arbor fructus malos facit· Non potest arbor bona fructus malos facere· neque arbor mala fructus bonos facere· Omnis arbor quæ non facit fructum bonum. excidetur. & in ignem mittetur· Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos· Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum. **239** sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est. ipse intrabit in regnum cælorum.

Super Sindonem.

Populi tui Deus institutor & rector. peccata quibus impugnatur expelle. ut semper tibi placitus. & tuo munimine sit securus· per. 408

Super Oblata.

Purifica nos misericors Deus· Ut ecclesiæ tuæ preces. quæ tibi gratæ sunt pia munera deferentes. fiant ex pietatis mentibus gratiores· per. 409

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. cuius bonitas hominem condidit. iustitia damnavit. misericordia redemit· Te humiliter exoramus ut sicut per inlicitos appetitus. a beata regione cecidimus. sic ad æternam patriam. per abstinentiam redeamus· Sicque moderetur tua miseratione nostra fragilitas. ut & transitoriis subsidiis nostra sustinetur mortalitas. & per bonorum operum incrementa. beata adquiratur immortalitas per Christum Dominum nostrum. 410

Post Comm.

Cælestia dona capientes quæsumus Domine non ad iudicium pervenire patiaris. quæ fidelibus tuis ad remedium providisti· per. 411

LXXI

FERIA VI. EBDOMADA IIII.

Oratio super populum.

Deus qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis· Præsta quæsumus ut ecclesia tua æternis proficiat institutis & temporalibus non desti[t]uatur **240** subsidiis· per. 412

Lectio libri Regum.

In diebus illis· Ægrotavit filius mulieris matris familiæ. & erat langor fortissimus ita ut non remaneret in eo [h]al[i]tus· Dixit ergo ad Heliam· Quid mihi & tibi vir Dei. ingressus ad me ut rememorentur iniquitates meæ. ut interficeret filium meum? Et ait ad eam Helias· Da mihi filium tuum· Tulitque eum de sinu illius & portavit in cenaculum. ubi ipse manebat· Et

posuit super lectum suum. & clamavit ad Dominum & dixit· Domine Deus meus etiamne vidua apud quam ego. utcumque sustentor afflixisti ut interficeres filium eius· Et expandit se atque mensus est. super puerum tribus vicibus· Clamavitque ad Dominum & ait· Domine Deus meus revertatur oro anima pueri huius in viscera eius· Et exaudivit Dominus vocem Heliæ. & reversa est anima pueri intra eum & revixit· Tulitque Helias puerum & deposuit eum de cænaculo in inferiorem domum & tradidit matri suæ & ait illi· En vivit fiiius tuus· Dixitque mulier ad Heliam· Nunc in isto cognovi quod vir Dei es tu & verbum Dei in ore tuo verum est.

Evangelium secundum Iohannem. (1)

. . . .

LXXII

[SABBATO].

. . . .

241 probate * quod bonum est tenete ab omni specie mala abstinete vos· Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia & integer spiritus vester. & anima & corpus sine quærela in adventu Domini nostri Ihesu Christi servetur.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore· Oblati sunt Domino Ihesu parvuli. ut manus eius imponeret. & oraret. Discipuli autem increpabant eos. Ihesus vero ait illis· Sinite parvulos ad me venire. & nolite eos prohibere· Talium est enim regnum cælorum· Et cum imposuisset eis manus benedicebat eos.

Super Sindonem.

Fiat Domine quæsumus per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus. Quia tunc nobis proderunt suscepta ieiunia. si tuæ sint placita pietati· per. 418

Super Oblata.

Oblationibus nostris quæsumus Domine placare susceptis. & a te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates· per. 419

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus misericordiæ dator. & totius bonitatis auctor· qui ieiuniis. orationibus. elemosinis peccatorum remedia. & virtutum omnium tribuis incrementa· Te humili devotione precamur. ut quia ad hæc agenda saluberrimam dedisti doctrinam. ad complendum indefessam tribuas eficaciam· Ut obedienter tua exe- **242** quentes precepta. fideliter tua capiamus promissa per Christum Dominum nostrum. 420

(1) Dato titulo lectionis evangelicæ Johannis, statim hiat missa feriæ VI Codicis Bergomensis usque in finem. Deficit insuper ex parte missa Sabbati, quippe cui desunt *Oratio super populum* integra, integra quoque lectio Pauli ad Thessalonicenses, & evangelicæ lectionis pars fere dimidia. Ambrosiani missales libri cum vel omnino de feriis VI quadragesimalibus taceant, vel aliam huic feriæ pericopen evangelicam assignent Marci, v. g., scilicet, *Venit ad Dominum Jesum leprosus,* ut habet Codex Metropolitanus a quo Missæ canonem infra mutuabimur, rem in incerto relinquendam statuimus, nisi quis forte putaverit pericopen Johannicam insequenti sabbato præfixam in Metropolitano, jam in antecessum a feria VI fuisse præoccupatam in Bergomensi. Sabbato, re verâ, non secundum Johannem : *Dicebat... Ego sum lux mundi,* sed secundum Matthæum *Oblati sunt Domino Jesu parvuli* legunt editi Missales Ambrosiani, quibus consentit vetustissimum Ecclesiæ Mediolanensis Evangelistarium sæc. IX, signat. *A 28 inf.* in Ambrosiana Bibliotheca. Metropolitano ceterum nostroque coalescentibus tum in assignanda pericope libri Regum, tum in prævia oratione *super populum,* ex ipso describimus, ad damnum Codicis nostri quomodocumque sarciendum, ceteras missales preces ejusdem feriæ VI, nec fortassis imprudenter. Sabbati lacunam quod spectat, hanc e Missali Mediolanum an. 1515 impresso, cui quidem consonat editio de Gaisruck an. 1831, commodius explere ducimus :

(Codex Metropolitanus.)

« f° 65v. *Fer. VI. ebdom. IIII in Quad.*
« *Oratio super populum.* (*ut supra* p. 51.)
« *Lectio libri Regum.* (*ut supra.* p. 51.)
« f° 66r. *Secundum Marcum.* In illo tempore. venit « ad Dominum Ihesum leprosus. &c...
« f° 66v. *Super Sindonem.* Da nobis quæsumus « omnipotens Deus ; Ut qui infirmitatis nostræ conscii « de tua virtute confidimus ; sub tua semper pietate « gaudeamus. per.
« *Super oblata.* Munera nos Domine quæsumus « oblata purificent ; & te jugiter nobis faciant esse « placatum. per.
« *Prefatio.* Vere dignum. æterne Deus. & te crea- « torem omnium de præteritis fructibus glorificare. « & de venturis suppliciter exorare ; Ut cum de per- « ceptis non invenimur ingrati. de percipiendis non « judicimur indigni. Sed exhibita totiens solemni « devotione ieiunia cum subsidiis corporalibus profe- « ctumque capiamus animarum. Per Christum.
« *Post Comm.* Hæc nos quæsumus Domine partici- « patio sacramenti & a propriis reatibus indesinenter « expiet : & ab omnibus tueatur adversis. per.

(Missale an. 1515.) f° 63v.

« *Sabbato iiii Quadragessime.*

« *Super populum.* Deus qui sperantibus in te misereri « potius eligis quam irasci : da nobis : digne flere « mala quæ fecimus : ut tue consolationis gratiam « invenire mereamur. per.
« *Ad Thessalonicenses. I. cap. V.* Fratres. Rogamus « vos : ut noveritis eos qui laborant inter vos : & « presunt vobis in Domino & monent vos : ut habeatis « illos abundantius in caritate : propter opus illorum : « pacem habete cum eis. Rogamus autem vos fratres : « corripite inquietos : consolamini pusillanimes : susci- « pite infirmos : patientes estote ad omnes. Videte ne « quis malum pro bono alicui reddat. Sed semper quod « bonum est sectamini : in invicem & in omnes. « Semper gaudete : sine intermissione orate : in « omnibus gratias agite Deo. Hec est enim voluntas « Dei in Christo Jesu in omnibus vobis. Spiritum « nolite extinguere : prophetias nolite spernere. Omnia « autem probate * ... » (*Cœtera ut supra in codice Bergomensi.*)

Post Comm.

Tua nos quæsumus Domine sancta purificent & operationi suæ perficiant esse placitos· per Dominum nostrum. 421

LXXIII

DOMINICA DE LAZARO.

Oratio super populum.

Da cordibus ecclesiæ tuæ Domine quæsumus desideria terrenæ conditionis abscidere & cælestis vitæ spiritum sensibus eius largus infunde· Nec prevaleat auctor ille qui perdidit. sed vincat potius qui redemit· Ut a vetustatis lege mundata proficiat & [ad] æternam perveniat tuo munere novitatem· per eumdem Dominum. In unitate. 422

Ad Ephesios.

Fratres. Videte quomodo caute ambuletis. non quasi insipientes. sed ut sapientes. redimentes tempus. quoniam dies mali sunt· Propterea nolite fieri imprudentes. sed intellegentes quæ sit voluntas Dei· Et nolite inebriari vino in quo est luxuria. sed implemini spiritu. loquentes vobismetipsis in psalmis. & ymnis. & canticis spiritalibus. cantantes. & psallentes in cordibus vestris Deo· Gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Ihesu Christi. Deo & Patri subiecti invicem in timore Christi.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Erat quidam languens Lazarus **243** a Bethania de castello Mariæ & Marthæ sororis eius· Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento & extersit pedes capillis suis cuius frater Lazarus infirmabatur· Miserunt ergo sorores eius ad eum dicentes· Domine ecce quem amas infirmatur· Audiens autem Ihesus. dixit eis· Infirmitas hæc non est ad mortem. sed pro gloria Dei. ut glorificetur Filius Dei per eam· Diligebat autem Ihesus Martham & sororem eius Mariam. & Lazarum· Ut ergo audivit quia infirmatur. tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus· Deinde post hæc dicit discipulis tuis [suis]· Eamus in Iudeam iterum· Dicunt ei discipuli· Rabbi. nunc quærebant te Iudæi lapidare. & iterum vadis illuc? Respondit Ihesus· Nonne duodecim horæ sunt diei? Si quis ambulaverit in die non offendit. quia lucem huius mundi videt· Si autem ambulaverit in nocte offendit. quia lux non est in ea· Hæc ait· Et post hæc dicit eis· Lazarus amicus noster dormit. sed vado ut a somno exsuscitem eum· Dixerunt ergo discipuli eius· Domine si dormit. salvus erit· Dixerat autem Ihesus de morte eius· Illi autem putaverunt quia de dormitione somni diceret· **244** Tunc ergo dixit Ihesus manifeste· Lazarus mortuus est· Et gaudeo propter vos ut credatis. quoniam non eram ibi. sed eamus ad eum· Dixit ergo Thomas qui dicitur Didimus ad condiscipulos suos· Eamus & nos & moriamur cum eo· Venit itaque Ihesus. & invenit eum quattuor dies iam in monumento habentem· erat autem Bethania iuxta Ierosolimam. quasi stadiis quindecim· Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam. ut consolarentur eas de fratre suo· Martha ergo ut audivit quia Ihesus venit. occurrit illi· Maria autem domi sededat· Dixit ergo Martha ad Ihesum· Domine si fuisses hic. frater meus non fuisset mortuus· Sed & nunc scio. quia quæcumque poposceris a Deo dabit tibi Deus· Dicit illi Ihesus· Resurget frater tuus· Dicit ei Martha· Scio quia resurget in resurrectione in novissima die· Dicit ei Ihesus· Ego sum resurrectio & vita. qui credit in me. etiam si mortuus fuerit vivet· Et omnis qui vivit & credit in me. non morietur in æternum· Credis hoc? Ait illi· Utique Domine ego credidi. quia tu es Christus Filius Dei vivi. qui in hunc mundum venisti· Et cum hæc di- **245** xisset abiit & vocavit Mariam sororem suam silentio dicens· Magister adest. & vocat te· Illa autem ut audivit surrexit cito. & venit ad eum· Nondum enim venerat Ihesus in castellum. sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha· Iudæi igitur qui venerant cum ea in domo. & consolabantur eam. cum audissent Mariam quia cito surrexit. & exiit. secuti sunt eam dicentes· quia vadit ad monumentum ut ploret ibi· Maria ergo cum venisset ubi erat Ihesus. videns eum cecidit ad pedes eius. & dixit ei· Domine si fuisses hic non esset mortuus frater meus· Ihesus ergo ut vidit eam plorantem. & Iudæos qui venerant cum ea plorantes. infremuit spiritu. & turbavit semetipsum. & dixit· Ubi posuisti eum? Dicunt ei· Domine veni. & vide· Et lacrimatus est Ihesus· Dixerunt ergo Iudæi· Ecce quomodo amabat eum· Quidam autem dixerunt ex ipsis· Non poterat hic. quia aperuit oculos cæci facere. ut & hic non moreretur? Ihesus ergo rursum fremens in semetipso venit ad monumentum· Erat autem spelunca. & lapis superpositus erat ei. Ait Ihesus· Tollite lapidem· Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat· Domine iam fetet. **246** quatriduanus enim est· Dicit ei Ihesus· Nonne dixi tibi. quoniam si credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem· Ihesus autem elevatis sursum oculis dixit· Pater gratias ago tibi. quoniam audisti me· Ego autem sciebam. quia semper me audis· Sed propter populum qui circumstat dixi ut credant quia tu me misisti· Hæc cum dixisset. voce magna clamavit· Lazare veni foras· Et statim prodiit qui fuerat mortuus. ligatus pedes & manus institis. & facies illius sudario erat ligata· Dicit ei Ihesus· Solvite eum· & sinite abire· Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam. & viderant quæ fecit Ihesus. crediderunt in eum.

Super Sindonem.

Deus qui licet salutem hominum semper operaris nunc tamen populum tuum gratia abundantiore lætificas· Respice propitius ad electionem tuam. ut paternæ protectionis auxilium. & regenerandos muniat & renatos· per. 423

Super Oblata.

Dicatæ Domine quæsumus capiamus oblationis effectum· Ut terrenæ vetustatis conversatione mundati. cælestis vitæ profectibus innovemur· per. 424

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum. qui eminenti gloria maiestatis. plurima in terris mirabilia peregit· **247** Inter quæ summæ pietatis virtute. quatriduanum Lazarum a nexu funeris liberavit· Iam enim teterrimo squalore subactus. in atra telluris humatus voragine. vinctus institis quiescebat· Cuius mortem prius per soporis requiem postmodum apostolica voce Dominus discipulis reseravit· Quem & amicum pia dignatione commemorans. ad claustrum ipsius spelei properavit· Ibique Iudæorum turbis astantibus. lacrimosis oculis infremuit ac ploravit· O quale exibitionis miraculum. ut cælorum conditor flere ante servi tumulum dignaretur· O quam magnum & salutare mysterium. quod per resurrectionem Lazari figuraliter designatur· Ille tabo corporis dissolutus per superni regis imperium. continuo surrexit ad vitam· Nos quidem primi hominis facinore consepultos. divina Christi gratia ex inferis liberavit. & redivivos gaudiis reddidit sempiternis· quem laudant angeli. 425

Post Comm.

Satiati munere salutari. tuam Domine misericordiam deprecamur. ut hoc eodem sacramento. quo nos temporaliter vegetas efficias perpetuæ vitæ participes· per Dominum nostrum. 426

LXXIV

FERIA II. EBDOMADA V.

Oratio super populum.

248 Quæsumus omnipotens Deus familiam tuam propitius respice. Ut te largiente regatur in corpore. & te servante custodiatur in mente· per. 427

Ione Prophetæ.

In diebus illis. factum est verbum Domini ad Ionam prophetam secundo dicens· Surge vade in Nineve civitate magna. & prædica in ea prædicatione quam ego loquar ad te· Et surrexit Ionas. & abiit in Nineve iuxta verbum Domini· Et Nineve erat civitas magna itinere dierum trium· & cæpit Ionas introire in civitatem itinere diei unius. & clamavit & dixit· Adhuc quadraginta dies. & Nineve subvertetur· Et crediderunt viri Ninnevite in Domino & prædicaverunt ieiunium. & vestiti sunt saccis. a maiore usque ad minorem· Et pervenit verbum ad regem Nineve. & surrexit de solio suo. & abiecit vestimentum suum a se & indutus est sacco. & sedit in cinere & clamavit & dixit· In Nineve ex ore regis & principum eius. homines & iumenta & boves & pecora. non gustent quicquam nec pascantur. & aquam non bibant & operiantur saccis. homines & iumenta clament ad Dominum in fortitudine. & convertatur a via sua mala. & ab iniquitate quæ est in manibus eorum· quis scit si convertatur **249** & ignoscat Deus & revertatur a furore iræ suæ & non peribimus? & vidit Deus opera eorum quia conversi sunt de via sua mala. & misertus est populo suo Dominus Deus noster.

Evangelium secundum Marcum.

In illo tempore· Egressus Dominus Ihesus. & discipuli eius in castella Cæsareæ Philippi. & in via interrogabat discipulos suos dicens eis· Quem me dicunt homines esse? Qui responderunt illi dicentes· Iohannem Baptistam· Alii Heliam· Alii vero quasi unum de prophetis· Tunc dicit illis· Vos vero quem dicitis esse? Respondens Petrus ait ei· Tu es Christus· Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo· Et cœpit docere illos. quoniam oportet Filium hominis multa pati. & reprobari a senioribus. & a summis sacerdotibus & scribis. & occidi. & post tres dies resurgere· Et palam verbum loquebatur· Et apprehendens eum Petrus. cœpit increpare eum· Qui conversus & videns discipulos suos. comminatus est Petro dicens· Vade retro me Satana. quoniam non sapis quæ Dei sunt. sed quæ hominum sunt.

Super Sindonem.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus. ut qui infirmitatis nostræ conscii. de tua virtute confidimus. sub tua semper pietate gaudeamus· per. 428

Super Oblata.

250 Accepta tibi sit quæsumus Domine nostræ devotionis oblatio. quæ & ieiunium nostrum te operante sanctificet & indulgentiam nobis tuæ consolationis obtineat· per. 429

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. maiestatem tuam propensius implorantes· Ut quanto magis dies salutiferæ festivitatis accedit. tanto devotius ad eius digne celebrandum proficiamus pascale mysterium per Christum. 430

Post Comm.

Sacramenti tui quæsumus Domine participatio salutaris. & purificationem nobis præbeat. & medelam· per. 431

LXXV

FERIA III. EBDOMADA V.

Oratio super populum.

Nostra tibi quæsumus Domine sint accepta ieiunia. quæ nos & expiando gratiæ tuæ dignos efficiant. & ad remedia perducant æterna· per. 432

Lectio Danihelis prophetæ.

In diebus illis. Congregati sunt Babilonii ad regem & dixerunt ei· Trade nobis Danihelum. qui Beel destruxit. & dragonem interfecit· Alioquin interficiemus te & domum tuam· Vidit ergo

rex quod inruerent in eum vehementer. & necessitate compulsus tradidit eis Danihelum· Qui miserunt eum in lacum leonum. & erat ibi diebus sex· Porro in lacum erant leones septem. & dabantur eis cottidie duo corpora. & duæ oves· Et non data sunt eis ut devorarent Danihelum· Erat autem Abbacuc propheta in Iudæa. & ipse coxerat pulmentum & **251** intriverat panes in alveolo & ibat in campum. ut ferret messoribus· Dixitque angelus Domini ad Abbacuc· fer prandium quod habes in Babilone Daniheli qui est in lacu leonum· Et dixit Abbacuc· Domine Babilonem non vidi. & lacum nescio· Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius. & portavit eum capillo capitis sui· posuitque eum in Babilone super lacum in impetu [spiritus] sui· Et clamavit Abbacuc dicens· Danihel serve Dei tolle prandium quod misit tibi Deus· Et ait Danihel· Recordatus enim és mei Domine Deus meus. & non dereliquisti diligentes te· Surgensque Danihel comedit· Porro angelus Domini restituit Abbacuc confestim in loco suo· Venit ergo rex die septima ut lugeret Danihelem. Et venit ad lacum & introspexit. & ecce Danihel sedens in medio leonum· & clamavit rex voce magna dicens· Magnus es Domine Deus Danihelis. & extraxit eum de lacu· Illos autem qui perditionis causa fuerant intromisit in lacum. & devorati sunt in momento coram eo· Tunc rex ait· Paveant habitatores in universam terram Deum Danihelis. quia ipse est liberator & salvator. faciens signa & mirabilia in cælo & in terra. qui liberavit Danihelem de lacu leonum.

Evangelium secundum Iohannem.

252 In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis· Verba quæ locutus sum vobis. spiritus & vita sunt· Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt· Sciebat enim ab initio Ihesus qui essent credentes. & quis traditurus esset eum. & dicebat· Propterea dixi vobis. quia nemo potest venire ad me. nisi fuerit ei datum a Patre meo· Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro. & iam non cum illo ambulabant· Dixit ergo Ihesus ad duodecim· Numquid & vos vultis abire? Respondit ergo ei Symon Petrus· Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes· Et nos credidimus & cognovimus. quia tu es Christus Filius Dei· Respondit ei Ihesus· Nonne ego vos duodecim elegi. & ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem de Iuda Symonis Scariothis· Hic enim erat traditurus eum. cum esset unus ex duodecim.

Super Sindonem.

Afflictionem familiæ tuæ quæsumus Domine intende placatus· Ut indulta venia peccatorum. de tuis semper beneficiis glorietur· per. 433

Super Oblata.

Hostias tibi Domine deferimus immolandas. quæ temporalem consolationem significent. ut promissa non desperemus æterna· per. 434

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui nos de donis bonorum **253** temporalium ad perceptionem provehis æternorum· Hæc enim tribuis & illa promittis· Ut & mansuris iam incipiamus inseri. & pretereuntibus non teneri· Tuum est enim quod vivimus. quia licet peccati vulnere natura nostra sit vitiata. tui tamen est operis. ut a terrenis ad cælestia renascamur· per Christum Dominum nostrum. 435

Post Comm.

Da quæsumus omnipotens Deus. ut quæ divina sunt iugiter exequentes. donis mereamur cælestibus propinquare· per. 436

LXXVI

FERIA IIII. EBDOMADA V.

Oratio super populum.

Exaudi Domine quæsumus gemitum populi supplicantis· Et qui de meritorum qualitate diffidimus. non iudicium sed misericordiam consequi mereamur· per. 437

[*Lectio libri Levitici*]

In diebus illis. locutus est Dominus ad Moysen dicens· Ego sum Dominus Deus vester non facietis furtum non mentiemini. nec decipiet unusquisque proximum suum. nec periurabis in nomine meo. nec pollues nomen Dei tui ego Dominus· non facies calumniam proximo tuo. nec vi opprimes eum. non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane. non maledices surdo nec coram cæco ponis offendiculum· Sed timebis Deum tuum qui ego sum Dominus· Non facies **254** quod iniquum est. nec iniuste iudicabis. nec consideres personam pauperis. nec honores vultum potentis. iuxte iudica proximum tuum· Non eris criminator & surro in populis. non stabis contra sanguinem proximi tui. ego Dominus· Nec oderis fratrem tuum in corde tuo sed publice argue eum nec habeas super illum peccatum non queris ultionem. nec memor eris iniuriæ civium tuorum· Diligis amicum tuum sicut teipsum ego Dominus. leges meas custodite. ego enim sum Dominus Deus vester.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. Assumpsit Dominus Ihesus duodecim discipulos suos. & ait illis· Ecce ascendimus Ierosolimam. & consummabuntur omnia quæ scripta sunt. per prophetas de Filio hominis· Tradetur enim gentibus. & illudetur & flagellabitur. & conspuetur· Et postquam flagellaverint occident eum. & die tertia resurget· Et ipsi nihil horum intellexerunt· Et erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelleg[eb]ant quæ dicebantur.

Super Sindonem.

Sanctificato hoc ieiunio Deus tuorum corda fidelium miserator inlustra· Et quibus devotionis præstas affectum. præbe supplican- **255** tibus pium benignus auditum· per. 438

Super Oblata.

Annue misericors Deus. ut hostias placationis & laudis. sincero tibi deferamus obsequio· per. 439

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. per hæc sacrosancta mysteria. quæ in nostro ieiunio iubente te sollemniter cælebramus· Tribue quæsumus propitius. ut uberior tuæ pietatis gratia redundet in nobis· Ut sicut speramus animabus simul & corporibus tribuas æternæ vitæ salutem· per Christum Dominum nostrum. 440

Post Comm.

Cælesti doni benedictione percepta supplices te Deus omnipotens deprecamur. ut hoc idem nobis & sacramenti causa sit & salutis· per. 441

LXXVII

FERIA V. EBDOMADA V.

Oratio super populum.

Ieiunia quæsumus Domine. quæ sacris exequimur institutis. & nos a reatibus nostris semper expediant. & tuam nobis iustitiam faciant semper esse placatam· per. 442

Lectio Danihelis prophetæ.

In diebus illis. Oravit Danihel ad Dominum dicens· Domine Deus Israel ne disperdas populum tuum. propter nomen tuum. & ne dissipes testamentum. propter Habraham dilectum. & Isaac servum tuum & Israel sanctum tuum· Quibus locutus es pollicens. quod multiplicaris semen eorum sicut stellas cæli. & sicut arena quæ est in litore maris· Quia Domine inminuti sumus **256** plus quam omnes gentes. sumusque humiles in universa terra. hodie propter peccata nostra· Et non est in tempore hoc. princeps & propheta & dux· Neque holocaustum. neque sacrificium. neque oblatio neque incensum. neque locus primitiarum coram te. ut possimus invenire misericordiam· Sed in anima contrita & spiritu humilitatis suscipiamur· Sicut in holochaustis arietum & taurorum. & sicut in milibus agnorum pinguium. sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi. quoniam non est confusio confidentibus in te· Et nunc sequimur in toto corde & timemus te. & quærimus faciem tuam. ne confundas nos. sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam. & secundum multitudinem misericordiæ tuæ & erue nos in mirabilibus tuis multis. & dat gloriam nomini tuo Domine & confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala· Confundantur in omni potentia tua. & robor eorum conteratur· Et sciant quia tu es Dominus Deus solus. & gloriosus super omnem terram.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. facta est dissentio in turba propter Ihesum· Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum. sed nemo misit super illum manus· Venerunt ergo ministri ad pontifices. & pha- **257** risæos. & dixerunt eis illi· Quare non adduxistis eum? Responderunt ministri· Numquam sic locutus homo. sicut hic homo· Responderunt ergo eis pharisæi· Numquid & vos seducti estis? Numquid aliquis ex principibus credidit in eum. aut ex pharisæis? Sed turba hæc quæ non novit legem maledicti sunt· Dicit Nichodemus ad eos. ille qui venerat ad Ihesum nocte. qui unus erat ex ipsis· Numquid lex nostra iudicat hominem. nisi audierit ab ipso prius & cognoverit quid faciat· Responderunt & dixerunt ei· Numquid & tu Galileus es? Scrutare Scripturas. & vide quia propheta a Galilea non surgit· Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

Super Sindonem.

Esto quæsumus Domine propitius plebi tuæ· Ut quæ tibi non placent respuentes. tuorum propitius repleantur dilectionibus mandatorum· per. 443

Super Oblata.

Supplices te Domine deprecamur. ut per hæc dona sacrificii singularis & ablutio peccatorum. & tua nobis sanctificatio præbeatur· per. 444

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· qui ideo conditionis humanæ propensis precibus exoraris. ut sicut tu corripis filios ad paternam reverentiam tardiores. ita nos **258** solita pietate præveniamus. ut & supplices tuos fieri tribuas. & supplicantibus optata concedas· per Christum. 445

[*Post Comm.*]

Adesto nobis Domine Deus noster. ut quos tuis mysteriis recreasti perpetuis defendas præsidiis· per. 446

LXXVIII

FERIA VI. EBDOMADA V.

Oratio super populum.

Cordibus nostris Domine benignus infunde· Ut peccata nostra castigatione volontaria cohibentes. temporaliter potius maceremur. quam suppliciis deputemur æternis· per. 447

Lectio Hieremiæ prophetæ.

In diebus illis dixit Hieremias· Domine omnes qui te derelinquunt confundantur. recedentes a te in terra scribentur. quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Domino· Sana me Domine & sanabor. salvum me fac & salvus ero. quoniam laus mea tu es· Ecce ipsi dicunt ad me ubi est verbum Domini? Veniat & ego non sum turbatus te pastorem sequens & diem hominis non desideravi· Tu scis quod egressum est de labiis meis rectum in conspectu tuo fuit· Non sis mihi tu formidinis. spes mea tu in die afflictionis· Confundantur qui persecuntur me & non confundar ego· paveant illi. & non paveam ego· Induc super eos diem afflictionis & duplici contritione contere eos. Domine Deus noster.

Secundum Iohannem.

259 In illo tempore· Colligerunt pontifices & pharisæi consilium & dicebant· Quid faciemus. quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic. omnes credunt in eum. & venient Romani & tollent nostrum locum & gentem· Unus autem ex ipsis Caiphas cum esset pontifex anni illius dixit eis· Vos nescitis quicquam nec cogitatis quia expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo. & non tota gens pereat· Hoc autem a semetipso non dixit. sed cum esset pontifex anni illius. prophetavit quia Ihesus moriturus erat pro gente· Et non tantum pro gente. sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum.

[*Super Sindonem.*]

Concede quæsumus omnipotens Deus· Ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus. liberati a malis omnibus secura tibi mente serviamus· per. 448

Super Oblata.

Præsta nobis misericors Deus· Ut digne tuis servire semper altaribus mereamur. & eorum perpetua participatione salvari· per. 449

Post Comm.

Sumpti sacrificii Domine perpetua nos tuitio non derelinquat. & noxia semper a nobis cuncta depellat· per. 450

LXXIX

SABBATO IN TRADITIONE SYMBOLI.

Or. super populum.

Deus qui humani generis ita és conditor. ut sis etiam reformator. propitiare populis **260** adoptivis. & novo testamento. subolem novæ prolis ascribe· Ut filii promissionis quod non potuerunt assequi per naturam. gaudeant se recepisse per gratiam· per. 451

Epistola ad Ephesios.

Fratres. Confortamini in Domino. & in potentia virtutis eius· Induite vos armaturam Dei. ut possitis resistere adversus insidias diaboli. quia non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem. sed adversus principes & potestates. adversus mundi rectores tenebrarum harum contra spiritalia nequitiæ in cælestibus· Propterea accipite armaturam Dei. ut possitis resistere in die malo. & in omnibus perfecti stare· State ergo succincti lumbos vestros in veritate. induti loricam iustitiæ. & calciati pedes in præparationem evangelii pacis· In omnibus sumentes scutum fidei. in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et galeam salutis assumite. & gladium spiritus. quod est verbum Dei. per omnem orationem & obsecrationem. orantes omni tempore in spiritu. & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione. pro omnibus sanctis. & pro me. ut detur mihi sermo in apertione oris mei. cum fiducia notum facere **261** mysterium evangelii. in virtute Domini nostri Ihesu Christi.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Elevatis Dominus Ihesus oculis in cælum dixit· Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ. quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus. & revelasti ea parvulis· Ita Pater. quoniam sic fuit placitum ante te· Omnia mihi tradita sunt a Patre meo· Et nemo novit Filium nisi Pater. neque Patrem quis novit nisi Filius. & cui voluerit Filius revelare· Venite ad me omnes qui laboratis. & onerati estis. & ego reficiam vos· Tollite iugum meum super vos. & discite a me quia mitis sum. & humilis corde. & invenietis requiem animabus vestris· Iugum enim meum suave est. & onus meum leve est.

Super Sindonem.

Da nobis observantiam Domine legitimam. & devotionem perfectam· Ut cum refrenatione carnalis alimoniæ sancta tibi conversatione placeamus· per. 452

[*Super Oblata.*]

Omnipotens sempiterne Deus. qui nos ad æternam vitam in confessione tui nominis. baptismatis reparas sacramento. suscipe tuorum munera. & vota famulorum· Ut in te sperantium & desideria iubeas perfici. & peccata deleri· per Dominum. 453

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. cuius nos misericordia prævenit ut bene agamus. subsequitur ne frustra agamus· **262** Accedit intentionem. qua ad bona opera peragenda inardescamus. tribuit efficaciam. qua hæc ad perfectum perducere valeamus· Tuam ergo clementiam indefessis vocibus obsecramus. ut nos ieiuniis victimis. a peccatis mundatos. ad celebrandam unigeniti Filii tui Domini nostri passionem facias esse devotos· per quem maiestatem. 454

Post Comm.

Adesto Domine fidelibus tuis· Et quos cælistibus reficis sacramentis ab æternis conserva periculis· per. 455

LXXX

DOMINICA IN RAMIS OLIVARUM.

AD SANCTUM LAURENTIUM MISSA.

Oratio super populum.

Deus qui iuste irasceris & clementer ignoscis. afflicti populis lacrimas respice. & iram tuæ indignationis. quam iuste meremur propitiatus averte· per. 456

[*Secundum Iohannem.*]

In illo tempore. Turba multa quæ venerat ad diem festum. cum audissent quia venit Ihesus Ierosolimam. acceperunt ramos palmarum. & processerunt obviam ei. & clamabant· Ossanna benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.

Super Sindonem.

Da nobis quæsumus Domine tua digne tractare mysteria· Ut miserationibus tuis congruo respondeamus obsequio. & fiducialibus impetranda poscamus· per. 457

Super Oblata.

Efficiatur Domine hæc hostia sollemnibus grata ieiuniis· Et ut tibi fiat acceptior. puri- **263** ficatis eam mentibus immolemus· per. 458

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui Filium tuum Dominum nostrum Ihesum Christum· in hunc mundum pro nostra salute misisti ut se humiliaret ad nos. & nos revocaret ad te· Qui etiam dum Ierusalem veniret adimplere Scripturas. credentium ei turba fidelissima devotione vestimenta sua cum ramis olivarum in via sternebant· Præsta quæsumus ut & nos illi fidei viam præparemus. de qua remoto lapide offensionis. & petra scandali. frondea opera. & iustitiæ ramos vestigiis eius sternamus. & usque ad palmam victoriæ pertingere mereamur· per eumdem. 459

Post Comm.

Spiritum in nobis Domine tuæ caritatis infunde· Ut quos uno cælesti pane satiastis tua facias pietate concordes· per Dominum In unitate. 460

BENEDICTIO SUPER OLIVAS.

Benedic Domine quæsumus hos palmarum. seu olivarum ramos· Et præsta ut quod populus tuus. tua veneratione hodierna die corporaliter agit. hoc spiritaliter summa devotione perficiat. de hoste victoriam reportando. & opus misericordiæ summopere diligendo· Humiliter etiam Domine deprecamur. ut prædictarum arborum germina ita sanctificare digneris. ut loca a[d] quæ deportata fuerint sanctificata efficiantur· Quo iniquitas omnis seu **264** inlusio demonum abscedat. & tua nos semper dextera protegere dignetur· per. 461

LXXXI

ITEM MISSA POSTQUAM VENIUNT AD ECCLESIAM.

Oratio super populum.

Populum tuum Domine Deus ad te toto corde converte. quia quos defendis etiam delinquentes. maiori pietate tueris sincera mente devotos· per. 462

Ad Tessalonicenses. II.

Fratres· State & tenete traditiones quas didicistis. sive per verbum sive per epistolam nostram· Ipse autem Dominus noster Ihesus Christus. & Deus Pater noster qui dilexit nos. & dedit consolationem æternam. & spem bonam in gloriam. & ortetur corda vestra. & confirmet in omni opere & sermone bono· De cetero fratres orate pro nobis ut sermo Domini currat & glorificetur. sicut & apud vos. & ut liberemur ab importunis & malis hominibus· Non enim omnium est fides· fidelis autem Deus est. qui confirmabit vos & custodiet a malo· Confidimus autem in Domino de vobis. quoniam quæ præcipimus vobis. & facitis. & facietis· Dominus autem dirigat corda vestra in caritate Dei. & patientia Christi.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Proximum erat Pascha Iudeorum· Et ascenderunt multi Ierosolimam **265** de regione ante Pascha. ut sanctificarent seipsos. quærebant ergo Ihesum. & colloquebantur ad invicem in templo stantes· Quid putatis. quia non venit ad diem festum? Dederant autem pontifices & pharisæi mandatum. ut si quis cognoverit ubi sit. indicet ut apprehendant eum· Ihesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam. ubi fuerat Lazarus mortuus. quem suscitavit Ihesus· Fecerunt autem ei cænam ibi. & Martha ministrabat· Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo· Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi. & unxit pedes Ihesu. & extersit capillis suis pedes eius. & domus impleta est ex odore unguenti· Dicit ergo unus ex discipulis eius Iudas Scariothis. qui erat eum traditurus· quare hoc unguentum non venundatur trecentis denariis. & datum est egenis? Dixit autem hoc. non quia de egenis pertinebat ad eum. sed quia fur erat & loculos habens ea quæ mittebantur portabat· Dixit ergo Ihesus· Sinite illam. ut in diem sepulturæ meæ servet illud· Pauperes enim semper vobiscum. me autem non semper habebitis· Cognovit ergo turba multa ex Iudæis. quia illic esset & venerunt **266** non propter Ihesum tantum. sed ut Lazarum viderent. quem suscitavit a mortuis· Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent· Quia multi propter illum abibant ex Iudæis. & credebant in Ihesum.

Super Sindonem.

Ascendant ad te Domine supplicum preces· Ut qui diu pro nostris offensionibus castigati sumus miserationis tuæ veniam sentiamus· per. 463

Super Oblata.

Ipsa maiestati tuæ Domine fideles populos commendet oblatio. quæ per Filium tuum reconciliavit inimicos· per eumdem. 464

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum. quem ad hoc humanam formam assumere voluisti. ut quicquid prophetales seu sanctæ clamavere Scripturæ. Bethleemitica rura. seu Ierosolimam adveniens consummaret· Dignum est ut sicut puerili voce turba præeunte laudatio insonabat. ita omni amore repleti Domino Christo modulatis vocibus decantemus· Sternentes denique vestimenta. Christo Domino in itinere occurramus· Aligeri nobiscum ter sanctum ymnum honorifice proclamemus dicentes. Sanctus sanctus sanctus. 465

Post Comm.

Sanctificent nos Domine sumpta mysteria. &

paschalis observantiæ sufficientem nobis tribuant facultatem· per. 466

LXXXII

267 FERIA II. IN AUTENTICA.

Oratio super populum.

Da quæsumus omnipotens Deus. ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus. intercedente pro nobis unigeniti Filii tui passione respiremus· qui tecum. 467

Lectio Esaiæ prophetæ.

In diebus illis. dixit Esaias· Dominus Deus aperuit mihi aurem. ego autem non contradico. retrorsum non abii· Corpus meum dedi percutientibus & genas meas velantibus· faciem meam non averti ab increpantibus & conspuentibus in me· Dominus Deus auxiliator meus. & non sum confusus· Ideo posui faciem meam ut petram durissimam. & scio quoniam non confundar· Iuxta est qui iustificat me. quis contradicit mihi? Stemus simul· quis est adversarius meus accedat [ad] me· Ecce Dominus Deus auxiliatur meus. quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur. tinea comedit eos· Quis ex vobis timens Deum audiens vocem servi sui. quis ambulavit in tenebris. & non est lumen ei? Speret in nomine Domini. & innitatur super Domino Deo suo.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore· Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Attendite vobis. ne forte graventur corda vestra in crapula. & ebrietate. & in curis huius vitæ. & superveniat in vos repentina dies illa· **268** Tamquam laqueus enim superveniet in omnes. qui sedent super faciem orbis terræ· Vigilate itaque omni tempore. orantes ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt. & stare ante Filium hominis· Erat autem diebus docens in templo· Noctibus vero exiens morabatur in monte. qui vocabatur Oliveti· Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

Super Sindonem.

Adiuva nos Deus salutaris noster. & ad beneficia recolenda quibus instaurare dignatus es. tribue venire gaudentes· per. 468

Super Oblata.

Hæc sacrificia nos omnipotens Deus potenti virtute mundatos. ad suum faciant puriores venire principium· per. 469

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum· Cuius nos humanitas colligit. humilitas erigit. traditio absolvit. pœna redimit. crux salvificat. sanguis emaculat. caro saginat· Per quem te summe Pater. cum ieiuniorum obsequiis obsecramus. ut ad eius celebrandam passionem purificatis mentibus accedamus· per quem maiestatem. 470

Post Comm.

Præbeant nobis Domine divinum tua sancta fervorem. quo eorum pariter effectu delectemur & fructu· per. 471

LXXXIII

269 FERIA III. AD MISSAM.

Oratio super populum.

Omnipotens sempiterne Deus. da nobis ita dominicæ passionis sacramenta peragere. ut indulgentiam percipere mereamur· per eundem. 472

Lectio Hieremiæ prophetæ.

In diebus illis dixit Hieremias· Domine demonstrasti mihi & cognovi. tu ostendisti mihi studia eorum· Et ego quasi agnus mansuetus qui portatur ad victimam & non cognovi. quia cogitaverunt super me consilia dicentes· Mittamus lignum in pane eius. & eradamus eum de terra viventium. & nomen eius non memoretur amplius· Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iuste. & probas renes & corda· Videam ultionem tuam ex eis. tibi enim revelavi causam meam. Domine Deus meus.

[*Secundum Iohannem.*]

In illo tempore. Collegerunt pontifices & pharisæi concilium adversus Ihesum. & dicebant quid faciemus. quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic. omnes credent in eum· Et venient Romani. & tollent nostrum locum & gentem· Unus autem ex ipsis Caiphas cum esset pontifex anni illius. dixit eis· Vos nescitis quicquam. nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo. & non tota gens pereat· Hoc autem a semetipso non dixit. sed cum esset pontifex **270** anni illius. prophetavit. quia Ihesus moriturus erat pro gente. & non tantum pro gente. sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum· Ab illo ergo die cogitaverunt interficere eum· Ihesus ergo iam non palam ambulabat apud Iudæos. sed abiit in regionem iuxta desertum in civitatem quæ dicitur Effrem. & ibi morabatur cum discipulis suis.

Super Sindonem.

Tua nos misericordia Deus & ab omni subreptione vetustatis expurget. & capaces sanctæ novitatis efficiat· per. 473

Super Oblata.

Grata tibi sint Domine munera. quibus mysteria celebrantur nostræ libertatis. & vitæ· per. 474

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum· Cuius salutifere passionis & gloriosæ resurrectionis dies appropinquare noscuntur. in quibus & antiqui hostis superbia triumphatur. & nostræ redemptionis mysterium celebratur· Unde poscimus tuam immensam clementiam. ut

sicut in eo solo consistit totius nostræ salvationis summa. ita per eum tibi sit ieiuniorum & actuum nostrorum semper victima grata· per quem maiestatem. 475

Post Comm.

Repleti Domine sacri muneris gratia supplices exoramus. ut quæ gustu corporeo dulci veneratione contigimus. dulciora mentibus sentiamus· per. 476

LXXXIV

271 FERIA IIII. IN AUTENTICA.

Oratio super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut qui nostris excessibus incessanter affligimur. per unigeniti tui passionem liberemur· qui tecum. 477

[*Lectio Isaiæ Prophetæ*].

Hæc dicit Dominus Deus· Dicite filiæ Sion. ecce Salvator tuus veniet. & merces eius cum eo· Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua gradiens. in multitudine fortitudinis suæ· Ego qui loquor iustitiam. & propugnator sum ad salvandum· Quare ergo rubrum est indumentum tuum. & vestimenta tua sicut calcantium in torculari· Torcular calcavi solus. & de gentibus non est vir mecum. & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea. & omnia indumenta mea inquinavi· Circumspexi. & non erat auxiliator. quæsivi & non fuit qui adiuvaret· Et salvavit mihi brachium meum & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi· Et conculcavit populos in furore meo. & inebriavi eos in indignatione mea. & detraxi in terra virtutem eorum· Miseratione Domini recordabor. laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus Deus noster.

Secundum Matheum.

In illo tempore Cum consummasset Dominus
272 Ihesus sermones hos omnes. dixit discipulis suis· Scitis quia post biduum pascha fiet. & filius hominis tradetur ut crucifigatur? Tunc congregati sunt principes sacerdotum. & seniores populi in atrium principis sacerdotum. qui dicebatur Caiphas· Et consilium fecerunt ut Ihesum dolo tenerent. & occiderent· Dicebant autem non in die festo. ne forte tumultus fieret in populo.

Super Sindonem.

Deus qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti. ut inimici a nobis expelleres potestatem. concede nobis famulis tuis ut resurrectionis eius gratiam consequamur· per eundem. 478

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine munus oblatum. & dignanter operare. ut quod passionis mysterio gerimus. piis affectibus consequamur· per. 479

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum. qui innocens pro impiis voluit pati. & pro sceleratis indebite condemnari· Cuius mors delicta nostra detersit. & resurrectio iustificationem nobis exibuit· Per quem tuam pietatem supplices exoramus. ut sic nos hodie a peccatis emacules. ut cras venerabilis cænæ dapibus saties· Hodie acceptes confessionem nostrorum peccaminum.
273 & cras tribuas spiritualium incrementa donorum· Hodie ieiuniorum nostrorum vota suscipias. & cras nos ad sacratissimæ cænæ convivium introducas per eumdem Christum Dominum nostrum· per quem maiestatem. 480

Post Comm.

Largire sensibus nostris omnipotens Deus. ut per temporalem Filii tui mortem. quam mysteria veneranda testantur. vitam nobis dedisse perpetuam confidamus· qui tecum. 481

LXXXV

FERIA V. IN AUTENTICA.

Oratio super populum.

Concede nobis omnipotens Deus. ut sicut in passione sua Dominus noster Ihesus Christus. diversa utrisque intulit stipendia meritorum. ita ablato a nobis vetustatis errore. resurrectionis eius gratiam consequamur· per eundem. 482

Ad Corinthios. I.

Fratres. Convenientibus vobis in unum iam non est dominicam cænam manducare· Unusquisque enim suam cænam præsumit ad manducandum· Et alius quidem esurit. alius autem ebrius est· Numquid domos non habetis ad manducandum. & bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos in hoc? Non laudo· Ego enim accepi a Domino. quod & tradidi vobis. quoniam Dominus Ihesus in qua nocte tradebatur. accepit panem. & gratias egit. fregit. & dixit· Hoc est corpus meum. quod pro vobis tradetur. hoc facite in mea comme- **274** moratione· Similiter & calicem postquam cænavit dicens· Hic calix novum testamentum est. in meo sanguine· Hoc facite quotienscumque sumetis in mea commemoratione· Quotienscumque enim manducabitis panem hunc. & calicem bibetis. mortem Domini annuntiabitis. donec veniat· Itaque quicumque manducaverit panem. vel biberit calicem Domini indigne. reus erit corporis & sanguinis Domini· Probet autem seipsum homo. & sic de pane illo edat. & de calice bibat· Qui enim manducat. & bibit indigne. iudicium sibi manducat. & bibit. non diiudicans corpus· Ideo inter vos multi infirmi. & imbecilles. & dormiunt multi· Quod si nosmetipsos iudicaremus. non utique iudicaremur· Dum iudicamur autem a Domino corripimur. ut non cum hoc mundo

damnemur· Itaque fratres mei [cum] convenitis ad manducandum. invicem expectate· Si quis esurit domi manducet. ut non ad iudicium conveniatis· Cetera autem cum venero disponam.

Evangelium secundum Matheum.

Prima azimorum accesserunt discipuli ad Ihesum dicentes· Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Ihesus dixit· Ite in civitatem ad quendam. & dicite ei· Magister dicit. tempus **275** meum prope est. apud te facio Pascha cum discipulis meis· Et fecerunt discipuli sicut præcepit illis Ihesus. & paraverunt Pascha· Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis· Et edentibus illis dixit· Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est· Et contristati valde. cœperunt singuli dicere· Numquid ego sum Domine? At ipse respondens ait· Qui intingit mecum manum in parapside hic me tradet· Filius quidem hominis vadet. sicut scriptum est de illo· Væ autem homini illi. per quem Filius hominis tradetur· Bonum erat ei. si natus non fuisset homo ille· Respondens autem Iudas qui tradidit eum dixit· Numquid ego sum Rabbi? Ait illi· Tu dixisti· Cænantibus autem eis. accepit Ihesus panem. & benedixit. ac fregit. deditque discipulis suis. & ait· Accipite & comedite· Hoc est enim corpus meum· Et accipiens calicem. gratias egit. & dedit illis dicens· Bibite ex hoc omnes· Hic est enim sanguis meus novi testamenti. qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum· Dico autem vobis. non bibam amodo de hoc genimine vitis. usque in diem illum. cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei· Et ymno dicto exierunt in montem Oliveti· **276** Tunc dixit illis Ihesus· Omnes vos scandalum patiemini in me. in ista nocte· Scriptum est enim. percutiam pastorem. & dispergentur oves gregis· Postquam autem resurrexero. præcedam vos in Galileam· Respondens autem Petrus ait illi· Et si omnes scandalizati fuerint in te ego numquam scandalizabor· Ait illi Ihesus· Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet. ter me negabis· Ait illi Petrus· Etiam si oportuerit me mori tecum. non te negabo· Similiter & omnes discipuli dixerunt· Tunc venit Ihesus cum illis in villam. quæ dicitur Gethsemani. & dixit discipulis suis· Sedete hic. donec vadam illuc. & orem· Et assumpto Petro. & duobus filiis Zebedei. cœpit contristari. & mestus esse· Tunc ait illis· Tristis est anima mea usque ad mortem. sustinete hic. & vigilate mecum. Et progressus pusillum. procidit in faciem suam orans. & dicens· Mi Pater. si possibile est transeat a me calix iste· Verumtamen non sicut ego volo. sed sicut tu· Et venit ad discipulos suos. & invenit eos dormientes· Et dicit Petro· Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate & orate. ut non intretis in temptationem· Spiritus quidem promptus. caro autem infirma· Iterum **277** secundo abiit. & oravit dicens· Pater si non potest hic calix transire. nisi bibam illum fiat voluntas tua· Et venit iterum. & invenit eos dormientes· Erant enim oculi eorum gravati· Et relictis illis. iterum abiit. & oravit tertio eundem sermonem dicens· Tunc venit ad discipulos suos. & ait illis· Dormite iam & requiescite· Ecce appropinquavit hora. & Filius hominis tradetur in manus peccatorum· Surgite eamus. ecce appropinquavit. qui me tradet· Adhuc eo loquente. ecce Iudas unus de duodecim venit. & cum eo turba multa. cum gladiis & fustibus. missi a principibus sacerdotum. & senioribus populi· Qui autem tradidit eum. dedit illis signum dicens· Quemcumque osculatus fuero. ipse est tenete eum· Et confestim accedens ad Ihesum dixit. Ave Rabbi? Et osculatus est eum· Dixitque illi Ihesus· Amice. ad quod venisti? Tunc accesserunt. & manus iniecerunt in Ihesum. & tenuerunt eum· Et ecce unus ex his erant cum Ihesu. extendens manum exemit gladium suum. & percutiens servum principis sacerdotum amputavit auriculam eius· Tunc ait illi Ihesus· Converte gladium tuum in locum suum· Omnes enim qui acceperint gladium. gladio peribunt· **278** An putas. quia non possum rogare Patrem meum. & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ? quia sic oportet fieri· In illa hora dixit Ihesus turbis· Tamquam ad latronem existis cum gladiis. & fustibus comprehendere me? Cotidie apud vos sedebam docens in templo. & non me tenuistis· Hoc autem totum factum est. ut implerentur Scripturæ prophetarum· Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt· At illi tenentes Ihesum. duxerunt ad Caiphan principem sacerdotum. quo scribe & seniores convenerant· Petrus autem sequebatur eum a longe. usque in atrium principis sacerdotum· Et ingressus. intus sedebat cum ministris. ut videret finem rei. Principes autem sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Ihesum. ut eum morti traderent. & non invenerunt cum multi falsi testes accessissent· Novissime autem venerunt duo falsi testes & dixerunt· Hic dixit. possum destruere templum Dei. & post triduum reædificare illud· Et surgens princeps sacerdotum. ait illi· Nihil respondes ad ea quæ isti adversum te testi- **279** ficantur? Ihesus autem tacebat· & princeps sacerdotum ait illi· Adiuro te per Deum vivum ut dicas nobis. si tu es Christus Filius Dei· Dicit illi Ihesus· Tu dixisti· Verumtamen dico vobis. amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis. & venientem in nubibus Cæli· Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicens· Blasphemavit. quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam. quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt· Reus est mortis· Tunc expuerunt in faciem eius. & colaphis eum ceciderunt· Alii autem palmas in faciem ei dederunt dicentes· Prophetiza nobis Christe. quis est qui te percussit? Petrus vero sedebat

foris in atrio· Et accessit ad eum una ancilla dicens· Et tu cum Ihesu Galileo eras· At ille negavit coram omnibus dicens· Nescio quid dicis· Exeunte autem illo ianuam. vidit eum alia ancilla. & ait his qui erant ibi· Et hic erat cum Ihesu Nazareno· Et iterum negavit cum iuramento. quia non novi hominem· Et post pusillum accesserunt. qui stabant. & dixerunt Petro· Vere & tu ex illis es· Nam & loquela tua manifestum te facit· Tunc cœpit detestari & iurare. quia non novisset hominem· **280** & continuo gallus cantavit· Et recordatus est Petrus verbi Ihesu. quod dixerat. priusquam gallus cantet ter me negabis· Et egressus foras. flevit amare.

Super Sindonem.

Deus a quo & Iudas reatus sui pœnam. & confessionis suæ latro prœmium sumpsit. concede nobis tuæ propitiationis effectum· Ut sicut in passione sua Ihesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum. ita nobis ablato vetustatis errore. resurrectionis suæ gratiam largiatur· qui tecum vivit & regnat. 483

Super Oblata.

Ipse tibi quæsumus Domine sancte Pater omnipotens Deus sacrificium nostrum reddat acceptum. qui discipulis suis in sui commemoratione. hoc fieri hodierna traditione monstravit· qui tecum vivit. 484

BENEDICTIO CHRISMÆ.

Unanimes atque concordes fratres karissimi. Dei Patris omnipotentis auxilium misericordiæ deprecemur. ut hoc unguentum. quod in regali gloria populus eius vestiendus est. cælesti benedictione. & virtutis suæ rigore corroboret. & tegmine eius plebs in æternum benedicta tueatur· Prestante Domino nostro Ihesu Christo. qui cum ipso. & Spiritu Sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum· Amen. 485

281 PRÆFATIO CHRISMÆ.

Vere quia dignum est. æquum & salutare· Nos tibi semper hic. & ubique gratias agere dominator Domine Deus· Rex unctus. auctor unguenti. spetiosus forma. spetiosior unctione· Sacrator ipse tuus. ipse omnium consecrator· Qui unguentum de potestate sanctificas. potestatem consecras de unguento· De unguento fecisti chrisma. de chrismate nomen. quod est super omne nomen. ut in nomine isto sit regalis unctio christianis· In tuo ergo nomine fiat hæc creatura iam chrisma. ut habeatur ut chrisma· ✠ Forma crucis. ✠ signum frontis. ✠ sacri titulus bellatoris· In hoc chrismate mulceatur auditus. purificetur visus. odoratus suaviscat. saporetur gustus. tactus in Trinitate sit solidus· Ut talibus stipendiis Domini milites decorati. atque ambrosio rore madidi. imperanti serviant non suadenti· Et signati hoc chrismate sancto. signiferi esse mereantur cælestes. per Christum Dominum nostrum· per quem maiestatem tuam laudant Angeli. venerantur Arcangeli· Throni. Dominationes. Virtutes. Principatus. & Potestates adorant· Quem Cherubim. & **282** Seraphim socia exultatione concelebrant· Cum quibus & nostras voces. ut admitti iubeas deprecamur. supplici confessione dicentes. Sanctus. 486

BENEDICTIO OLEI.

Deus sacramenti huius inventor. atque dispositor. qui præsentis liquoris pinguedine beatorum confirmasti corpora cordaque pontificum. qui in hac creatura. excellentis nobilitatem nominis. ut per eos christianos faceres indidisti. qua nitentes. ac delibutos antistites iussisti participibus anteferri dignum æstimans elementum. quo innocentiæ & variarum tribueretur forma virtutum. concede ut infusione Sancti Spiritus. olim tibi placitam præsentis olei ✠ confirmes. nobilitesque substantiam· Ut quicquid ex eo in humano genere tactum fuerit. ad naturam transeat mox supernam· Nec aliquid sibi post unctionem eius vindicet hostis antiquus. sed doleat se telis beatæ huius propugnationis addictum. & pacis oleo vetusti furoris conprimi superbias ingemiscat· Per Dominum nostrum Ihesum Christum Filium tuum. qui tecum vivit & regnat Deus in unitate eiusdem Spiritus Sancti. per omnia secula sæculorum· Amen. 487

283 DOMINUS VOBISCUM. ET CUM SPIRITU TUO.
SURSUM CORDA. HABEMUS AD DOMINUM.
GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO. DIGNUM ET IUSTUM EST.

Vere quia dignum & iustum est. æquum & salutare· Nos tibi semper hic. & ubique gratias agere Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus per Christum Dominum nostrum· Qui cum Deus esset in cælis. ad delenda hominum peccata descendit in terras· Et qui humanum genus venerat liberare. tamquam obnoxius debitor. inlicito pretio Dominus a servo distrahitur· Et qui angelos iudicat. in hominis est iudicio constitutus· Ut hominem quem ipse fecerat. de morte liberaret· Et ideo cum Angelis & Archangelis. 488

Infrac.

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes. quo traditus est Dominus Ihesus Christus· Tu nos Domine participes Filii tui. tu consortes regni tui· Tu incolas Paradisi. tu Angelorum comites esse iussisti. si tamen inlæsa & intemerata fide. cælestis militiæ sacramenta servemus· Haud quid desperare de tua misericordia possumus. qui tantum munus accepimus. ut talem tibi hostiam offerre mereremur. corpus scilicet. **284** & sanguinem Domini nostri Ihesu Christi. qui se pro mundi redemptione. piæ illi. ac venerandæ tradidit passioni· Qui formam sacrificii salutis perennis instituens hostiam se primus optulit. & primus docuit offerri· Sed & memoriam venerantes· In primis gloriosæ semper

virginis Mariæ genetricis Dei ac Domini nostri Ihesu Christi. sed & beatissimorum apostolorum & martyrum tuorum.

Petri	Ypoliti	Protasi
Et Pauli	Vincentii	Gervasi
Andreæ	Cornelii	Victoris
Iacobi	Cypriani	Naboris
Iohannis	Clementis	Felicis
Thomæ	Grisogoni	Calymeri
Iacobi	Iohannis	Materni
Philippi	Et Pauli	Eustorgii
Bartholomei	Cosmæ	Dionisi
Mathei	Et Damiani	Ambrosii
Symonis	Apollinaris	Simpliciani
Et Thaddei	Vitalis	Martini
Syxti	Nazari	Eusebii
Laurentii	Celsi	Hylari & Iulii·

Et omnium sanctorum tuorum. quorum meritis **285** precibusque concedas. ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. per Christum Dominum nostrum· 489

Hanc igitur oblationem. quam tibi offerimus ob diem ieiunii cænæ dominicæ. in qua Dominus noster Ihesus Christus Filius tuus. in novo testamento sacrificandi ritum instituit. dum panem. ac vinum. quod Melchisedech in præfiguratione mysterii futuri sacerdos obtulerat. in sacramentum sui corporis & sanguinis transformavit· Celebranda quæsumus Domine placatus intende. ut per multa curricula annorum. salvi & incolumes munera nostra tibi Domino mereamur offerre. diesque nostros in tua pace disponas. atque ab æterna nos damnatione eripi. & in electorum tuorum iubeas grege numerari per Christum Dominum nostrum· 490

Quam oblationem. quam pietati tuæ offerimus. tu Deus in omnibus quæsumus ✠ Benedictam ✠ Ascriptam. ✠ Ratam. rationabilem. acceptabilemque facere digneris. ut nobis corpus. & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini autem Dei nostri Ihesu Christi· 491

Qui pridie quam pro nostra. & omnium salute pateretur. hodierna die discumbens in medio discipulorum suorum. & accipiens panem. elevavit oculos ad cælos. ad te Deum Patrem suum omnipotentem· Tibi gratias agens· ✠ **286** Benedixit. fregit. deditque discipulis suis dicens ad eos· Accipite & manducate ex hoc omnes· Hoc est enim corpus meum· Simili modo postquam cænatum est. accipiens calicem. elevavit oculos ad cælos ad Deum Patrem suum omnipotentem· Item tibi gratias agens. benedixit tradidit discipulis suis dicens ad eos· Accipite & bibite ex eo omnes· Hic est enim calix sanguinis mei novi & æterni testamenti. mysterium fidei qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem [peccatorum· 491[a]

Mandans quoque & dicens ad eos· Hæc quotienscumque feceritis in meam commemorationem facietis. mortem meam prædicabitis. resurrectionem meam annuntiabitis. adventum meum sperabitis. donec iterum de cælis veniam ad vos· 491[b]

Hæc facimus hæc celebramus tua Domine præcepta servantes. & ad communionem inviolabilem. hoc ipsum quod corpus Domini sumimus. mortem dominicam nuntiamus· Tuum vero est omnipotens Pater mittere nunc nobis unigenitum Filium tuum. quem non quærentibus sponte misisti· Qui cum sis ipse inmensus. & inæstimabilis. Deum quoque ex te inmensum. & inæstimabilem genuisti· Ut cuius passione redemptionem humani generis tribuisti. eius **287** nunc corpus tribuas ad salutem· per eundem Christum Dominum nostrum· 492[a]

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas. ✠ Sanctificas. ✠ vivificas. ✠ Benedicis. & nobis famulis tuis largiter præstas. ad augmentum fidei. & remissionem omnium peccatorum nostrorum· Et est tibi Deo Patri omnipotenti ex ipso. & per ipsum. & in ipso. omnis honor. virtus. laus. gloria. imperium. perpetuitas. & potestas per infinita sæcula sæculorum· Amen. 492[b]

Post Confra[ctorium].

Ipsius præceptum est Domine quod agimus. cuius nunc te præsentia postulamus· Da sacrificio auctorem suum. ut impleatur fides rei. in sublimitate mysterii· Ut sicut veritatem cælestis sacrificii exsequimur. sic veritatem dominici corporis. & sanguinis hauriamus. per eundem Christum Dominum nostrum dicentes· Pater noster qui es in cælis. 493

Post Comm.

Domine Deus noster concede propitius. ut qui unigeniti tui sumpsimus corpus & sanguinem. ab infidelis discipuli reddamur cæcitate divisi. qui Christum Dominum nostrum verum Deum hominemque fatemur & colimus Qui tecum vivit & & regnat. 494

Oratio ad Vesperum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus sic nos ab epulis abstinere carnalibus. ut a vitiis irruentibus pariter ieiunemus· per. 495

Alia.

Parce nobis omnipotens Deus. ne nos sicut meremur affligas. sed [ad] bonum potius tua pietate convertas· per. 496

288 *Alia.*

Disrumpe quæsumus Domine nostrorum vincula peccatorum. & ne dominentur nobis. potenti pietate succurre· per. 497

LXXXVI

FERIA VI. IN PARASCEVE.

MANE.

Ad Crucem Oratio.

Deus qui pro redemptione nostra accepisti sanguinem Christi. solve opera diaboli. & omnes

laqueos disrumpe peccati· Ut creaturam regenerationis. nulla polluant contagia vetustatis· per eumdem. 498

Post Crucem.

Immensa pietas Dei. qui latronem per confessionem eadem die de cruce in Paradisum transtulisti. transfer a nobis iniquitates nostras. & heredes nos cælestium bonorum esse concede· per. 499

Alia.

Deus qui unigeniti tui Domini nostri Ihesu Christi pretioso sanguine. humanum genus redimere dignatus es. concede propitius. ut qui ad adorandam vivificam crucem adveniunt. a peccatorum suorum nexibus liberemur· per eundem. 500

Alia.

Deus qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum. Salvatorem nostrum & carnem sumere. & crucem subire fecisti. concede nobis propitius. ut patientiæ ipsius documenta. & resurrectionis eius consortia mereamur· per eundem. 501

Ad Vesperum.

Deus a quo Iudas proditor reatus sui pœnam suscepit. & latro confessionis suæ * *cætera desiderantur in Ms.* (1).

. . . .

289 salvum ** (2) atque incolumem custodiat ecclesiæ suæ sanctæ. ad regendam plebem & populum sanctum Dei. 506

Omnipotens sempiterne Deus. cuius æterno iudicio universa fundantur. respice propitius ad preces nostras. & electum nobis antistitem. tua pietate conserva· Ut christiana plebs quæ tali gubernatur auctore. sub tanto pontifice. credulitatis suæ meritis augeatur· per. 507

Oremus & pro omnibus episcopis. presbiteris. diaconibus. subdiaconibus. acholitis. exorcistis. lectoribus. ostiariis. confessoribus. virginibus. viduis. orfanis. & pro omni populo sancto Dei. 508

Omnipotens sempiterne Deus. cuius spiritu totus corpus ecclesiæ sanctificatur & regitur. exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes· Ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter & munde serviatur· per. 509

Oremus & pro christianissimo imperatore nostro illo. ut Deus omnipotens subditas illi fiat omnes barbaras nationes. ad nostram perpetuam pacem. 510

Omnipotens sempiterne Deus. in cuius manu sunt omnium potestates. & omnia cura regnorum. respice ad christianum benignus imperium· Ut gentes quæ in sua feritate confidunt. potentiæ tuæ **290** dextera comprimantur· per. 511

Oremus & pro catecuminis nostris. ut Deus omnipotens adaperiat aures precordiorum eorum. ianuamque misericordiæ· Ut per lavacrum regenerationis accepta remissione omnium peccatorum. & ipsi inveniantur in Christo Ihesu Domino nostro. 512

Omnipotens sempiterne Deus. qui ecclesiam tuam nova semper prole fecundas. auge fidem & intellectum catecuminis nostris. ut renati fonte baptismatis adoptionis tuæ filiis aggregentur. per. 513

Oremus dilectissimi nobis Deum Patrem omnipotentem. ut cunctis mundum purget erroribus· Morbos auferat. famem depellat. aperiat carceres. vincla dissolvat. peregrinantibus reditum. infirmantibus sanitatem. navigantibus portum salutis indulgeat. 514

Omnipotens & misericors Deus. mæstorum consolatio. & laborantium fortitudo. perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium. ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse· per. 515

Oremus & pro hereticis. scismaticis. ut Deus & Dominus noster eruat eos ab erroribus universis. atque ad sanctam matrem ecclesiam catholicam. **291** atque apostolicam revocare dignetur. 516

Omnipotens sempiterne Deus. qui salvas omnes. & neminem vis perire. respice ad animas

(1) Ex Gerberto tamen, loc. cit. p. 78, orationis inchoatæ partem alteram curiosus lector accipiat, tum aliam isti superadditam in eodem Gerberto, utramque nempe siglo A notatam, quod Ambrosianas preces designat in Sacramentario triplici :

Ad Vesper. A. *Deus a quo Judas proditor reatus sui pœnam suscepit, et latro confessionis suæ * præmium sumpsit, concede nobis piæ petitionis effectum ut misericordiæ tuæ veniam consequamur. per.* 502

Alia A. *Largire sensibus nostris summe reparator omnipotens Deus, ut per temporalem Filii tui mortem, per opera sancta vitam perpetuam esse credamus. per eundem.* 503

(2) Fragmentum hoc pertinet ad Præfationem Orationi secundæ præfixam, inter orationes, quas dicunt, *Solemnes* feriæ VI. Harum initium hic deperditum damus e Codice Metropolitano jam laudato. Reliqua vero quæ folium avulsum exhibuerit amplius, peritioribus divinanda relinquimus. Ordinem cæteroquin integrum totius feriæ VI in Parasceve pleniora deinde documenta præstabunt.

F° 100. *Oremus dilectissimi nobis in primis pro ecclesia sancta Dei; ut eam Deus et Dominus noster pacificare multiplicare et custodire dignetur toto orbe terrarum subjiciens ei Principatus et Potestates; detque nobis tranquillitatem et quietam vitam degentibus glorificare Deum Patrem omnipotentem.* 504

Dicit Diaconus : Flectamus genua, et postquam oraverint : Levate vos.

Omnipotens sempiterne Deus. qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti; custodi opera misericordiæ tuæ; ut ecclesia tua toto orbe diffusa; stabili fide in confessione tui nominis perseveret; per eundem. 505

*Oremus et pro beatissimo Papa nostro illo; ut Deus et Dominus noster qui elegit eum in ordine pontificatus salvum ** atque incolumen.* (Cætera ut habentur in nostro Bergomensi.)

diabolica fraude deceptas· Ut omni heretica pravitate deposita. errantium corda resipiscant. & ad veritatis tuæ redeant unitatem· per. 517

Oremus & pro perfidis Iudæis. ut Deus & Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum & ut ipsi cognoscant Ihesum Christum Dominum nostrum. 518

Omnipotens sempiterne Deus. qui etiam Iudaicam perfidiam a tua misericordia non repellis. exaudi preces nostras. quas pro illius populi obcæcatione deferimus· Ut agnita veritatis tuæ luce. quæ Christus est a suis tenebris eruantur· per. 519

Oremus & pro paganis. ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum. & relictis idolis suis convertantur ad Deum verum. & unicum Filium eius Ihesum Christum Deum ac Dominum nostrum. cum quo vivit & regnat cum Spiritu Sancto per omnia sæcula sæculorum· Amen. 520

Omnipotens sempiterne Deus. qui non mortem peccatorum sed vitam semper inqiris. suscipe propitius orationem nostram & libera eos ab idolorum cultura. & aggrega ecclesiæ tuæ sanctæ ad laudem **292** & gloriam nominis tui· per. 521

LXXXVII

ORATIO. MANE DIE SABBATI. AD LEC[TIONES].

Omnipotens sempiterne Deus. qui in omnium operum tuorum dispensatione és mirabilis intellegant redempti tui non fuisse excellentius. quod initio factus est mundus. quam quod in fine sæculorum Pascha nostrum immolatus est Christus· qui tecum. 522

BENEDICTIO CEREI.

Exultet iam angelica turba cælorum. exultent divina mysteria· Et pro tanti regis victoria. tuba intonet salutaris·

Gaudeat se tot tellus inradiata fulgoribus & æterni Regis splendore illustrata totius orbis sentiat amisisse caliginem

Lætetur & mater ecclesia tanti luminis adornata fulgore. & magnis populorum vocibus hæc aula resultet·

Quapropter astantibus vobis fratres karissimi. ad tam miram sancti huius luminis claritatem. una mecum quæso Dei omnipotentis misericordiam invocate. ut qui me non meis meritis intra lævitarum numerum dignatus est aggregare. luminis sui gratia infundente. cerei huius **293** laudem implere precipiat·

Prestante Domino nostro Ihesu Christo Filio suo secum vivente atque regnante Deo. in unitate Spiritus Sancti. per omnia sæcula sæculorum· Amen. 523

DOMINUS VOBISCUM

SURSUM CORDA

GRATIAS AGAMUS DOMINO DEO NOSTRO

Dignum. & iustum est· Vere quia dignum & iustum est. æquum. & salutare. nos tibi semper hic. & ubique gratias agere. Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus·

Qui populorum Pasca cunctorum. non pecudum cruore. nec adipe. Sed unigeniti tui Domini nostri Ihesu Christi sanguine corporeque dicasti·

Ut supploso ritu gentis ingratæ. legis gratia succederet. & una victima per semetipsam tuæ maiestati semel oblata. mundi totius expiaret offensam·

Hic est agnus lapideis præfiguratus in tabulis. Non adductus e gregibus **294** sed evectus e cælo· Nec pastore indigens. sed pastor bonus ipse tantummodo· Qui animam suam pro suis posuit ovibus. & rursus assumpsit·

Ut nobis & humilitatem divina dignatio. Et spem resurrectio corporalis ostenderet. Qui coram tundente se. non vocem queruli balatus emísit. sed evangélico proclamavit oraculo dicens· Amodo videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram maiestatis·

Ipse nobis & te reconciliat Pater omnipotens. Et pari tecum maiestate fultus fulget. Nam quæ patribus in figura contingebant. nobis in veritate proveniunt·

Ecce iam ignis columna resplendet. Quæ plebem Domini beatæ noctis tempore ad salutaria fluenta præcedat· In quibus persecutor mergitur. & Christi populus liberatus emergit· Nam Sancti Spiritus unda conceptus. per Adam natus ad mortem. per Christum regignitur ad salutem·

Solvamus igitur voluntarie celebrata ieiunia. Quia Pascha nostrum immolatus est Christus· Nec solum corpore epulemur Agni. **295** sed etiam inebriemur & sanguine· Huius enim tantumodo cruor non creat piaculum bibentibus. sed salutem· Ipso quoque vescamur & azima· Quoniam non de solo pane vivit homo. sed de omni verbo Dei.

Si quidem hic est panis. qui descendit e cælo· Longe prestantior illo quondam mannæ. imbre frugifluo. Quo tunc Israel epulatus interiit· Hoc vero qui vescitur corpore. vitæ perennis possessor existet·

Ecce vetera transierunt. facta sunt omnia nova· Nam circumcisionis mosaicæ mucro iam scabruit· Et Iesu Nave acuta lapidum obselevit asperitas· Christi vero populus insignitur fronte. non inguine. Lavacro. non vulnere. chrismate. non cruore·

Decet ergo in hoc Domini Salvatoris nostri vespertinæ resurrectionis adventu. cercam nos adolere pinguedinem. cui suppetit candor in specie. suavitas in odore. splendor in lumine· Quæ nec marcescenti liquore defuit. nec offensam tetri nidoris exalat·

Quid enim magis accomodum. magisque festivum. Quam Iesseico flori. floreis **296** excubemus & tædis· Præsertim cum & sapientia de semetipsa cecinerit. Ego sum flos agri. & lilium convallium·

Cæras igitur nec pinus exusta desudat· Nec crebris sauciata bipennibus cedrus illacrimat· Sed est illis arcana de virginitate creatio. & ipse transfiguratione nivei candoris albescunt·

Eandem vero papirum. liquida fontis unda producit. quæ instar insontis animæ. nullus articulatur sinuata compagibus· Sed virginali circumsepta materie fit hospitalis ignibus alumna rivorum·

Decet ergo adventum sponsi. dulciatis ecclesiæ luminaribus operiri. & largitatem sanctitatis acceptam quanta valet devotionis dote pensare· Nec sanctas interpolare tenebris excúbias. Sed tedam sapienter perpetuis præparare luminibus· Ne dum oleum candelis adiungitur. adventum Domini tardo prosequamur obsequio. qui certe in ictu oculi ut coruscus adveniet·

Igitur in huius diei vespere. cuncta venerabilis sacramenti plenitudo colligitur· **297** Et quæ diversa sunt præfigurata vel gesta temporibus. huius noctis curriculo devoluta supplentur·

Nam primum hoc vespertinum lumen sicut illa dux magorum stella præcedit. deinde misticæ regenerationis unda subsequatur. velut dignante Domino fluenta Iordanis· Tertio resurrectionem Christi vox apostolica sacerdotes annuntiant·

Tum ad totius mysterii supplementum Christo vescitur turba fidelium. quæ summi sacerdotis & antistitis tui Ambrosii oratione sanctificata vel meritis.

Resurrectionis dominicæ diem Christo in omnibus prosperante suscipiamus·

Per bonum & benedictum filium tuum Dominum nostrum Ihesum Christum. cum quo beatus vivis & regnas Deus. In unitate Spiritus Sancti. per omnia sæcula sæculorum· Amen. 524

ORATIONES PER SINGULAS LECTIONES IN SANCTO SABBATO.

I. Lectio libri Genesis. In principio creavit.

Deus incommutabilis virtus. lumen æternum. respice propitius ad totius ecclesiæ mirabile sacramentum. & opus salutis humanæ **298** perpetuæ dispositionis effectu tranquillus operare· Totusque mundus experiatur & videat deiecta erigi. veterata innovari. & per ipsum redire omnia in integrum. a quo sumpsere principium· per. 525

II. Lectio libri Genesis· Temptavit Deus Abraham.

Deus fidelium. Pater summe. qui in toto orbe terrarum promissioni tuæ filios diffusa adoptione multiplicas. & per paschale sacramentum. Abraham puerum tuum. universarum sicut iurasti gentium efficis patrem. da populis tuis digne ad gratiam tuæ vocationis intrare· per. 526

III. Lectio libri Exodi· Quinta generatione ascenderunt.

Omnipotens sempiterne Deus. multiplica ·in honorem nominis tui. quod patrum fidei spopondisti. & promissionis tuæ filios. sacra adoptionis dilata· Ut quod priores sancti non dubitaverunt futurum ecclesia tua magna iam ex parte cognoscat impletum· per. 527

IIII. Lectio libri Exodi. Dixit Dominus ad Moysen & Aaron.

Deus celsitudo humilium. & fortitudo rectorum. qui per sanctum Moysen puerum tuum ita erudire populum tuum sacri carminis tui decantationem voluisti. ut illa legis iteratio fieret **299** etiam nostra directio. excita in omnem iustificandarum gentium plenitudinem potentiam tuam. & da lætitiam mitigando terrorem· Ut omnium peccatis tua miseratione deletis. quod denumtiatum est in ultionem. transeat in salutem· per. 528

V. Lectio Esaiæ prophetæ. Hæc est hereditas servorum Domini.

Omnipotens sempiterne Deus. spes unica mundi. qui prophetarum tuorum præconio. præsentium temporum declarasti mysteria. auge populi tui vota placatus· Quia in nullo fidelium. nisi ex tua inspiratione proveniunt quarumlibet incrementa virtutum· per. 529

VI. Lectio Esaiæ prophetæ. Lavamini mundi estote.

Omnipotens sempiterne Deus. Respice propitius ad devotionem populi renascentis. qui sicut cervus. aquarum expectat fontem· Et concede propitius ut fidei ipsius sitis. baptismatis mysterio. animam corpusque sanctificet· per. 530

LXXXVII BIS

INCIPIUNT ORATIONES AD FONTES BENEDICENDOS.

Omnipotens sempiterne Deus. adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis. adesto sacramentis· Et ad creandos novos populos quos tibi fons baptismatis parturit. spiritum adoptionis **300** emitte· Ut quod humilitatis nostræ gerendum est. mysterio tuæ virtutis impleatur effectu· per. 531

Alia.

Deum inmensum maiestatis æternæ suppliciter exoremus. uti per verbum & virtutem & sapientiam suam Dominum nostrum Ihesum Christum. in hoc lavacro salutari. peccatorum omnium admissa concedat. detque sanctificationem suam aquis· Ut quicumque easdem ingressi fuerint. remissionem criminum. & benedictionem consequantur· Per eundem Dominum nostrum Ihesum Christum Filium suum secum viventem atque regnantem Deum. In unitate Spiritus Sancti. per omnia sæcula sæculorum· Amen. 532

Oremus. & deprecemur Dei Patris omnipotentis clementiam· Ut famulis suis competentibus. quos in hac hora & ad hunc beatæ regenerationis fontem dexteræ suæ protectione perduxit. det gratiam misericordiæ suæ· Et corda eorum spiritali repleat intellectu. ut cæleste sacramentum plena fide. & credula mente suscipiant· Nobis etiam famulis suis. det veniam omnium delicto-

rum· Gloriæ (Gratiæ) suæ præsentiam tribuat [ut] mysteria * saluta-... (1) . . . .
. . . .

[* salutaris baptismatis sine offensione celebremus, per Dominum nostrum Ihesum Christum Filium suum, secum viventem atque regnantem Deum in unitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum. Amen. 533

Insuffla in ipsam aquam et dic :

Adjuro te creatura aquæ per Deum verum, Deum vivum, Deum sanctum, qui te in principio a terra, separavit; qui te de paradisi fonte ante produxit, & in quatuor fluminibus totam terram rigari præcepit; adjuro te per Dominum nostrum Ihesum Christum, Filium Dei vivi, qui te in Chana Galileæ signo admirabili in vinum convertit; qui pedibus super te ambulavit, & a Iohanne in te est baptizatus; qui te amarissimam aquam per lignum passionis suæ indulcavit, & populum sitientem te de petra producens satiavit, & Naman Syrum in te lepra mundavit, & nomen tibi imposuit Syloe, in qua cæcus, ut lumen reciperet, oculos lavari præcepit; qui te de latere suo una cum sanguine produxit; qui discipulis suis dixit : ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Efficere ergo aqua exorcizata, ad effugandam omnem diaboli infestationem, omneque phantasma inimici! & ipsum inimicum eradicare & effugare, atque supplantare a servis Dei, qui in te hodie baptizandi sunt! accepturi etiam remissionem peccatorum suorum, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui venturus est in Spiritu Sancto judicare sæculum per ignem. 534

Item Benedictio Fontis.

Sancti ✠ ficare per verbum Dei unda cælestis! sancti ✠ ficare a ✠ qua Christi calcata vestigiis; quæ montibus pressa non clauderis; quæ scopulis illisa non frangeris; quæ terris infusa non deficis; tu sustines aridam, portas montium pondera, nec demergis; tu cælorum vertice contineris, circumfusa per totum lavas omnia, nec lavaris; tu fugientibus Hebreorum populis in glaciem durata constringeris, tu rursus altis resoluta verticibus, Nili incolas perdis, & hostili globo freto sæviente persequeris; una eademvue salus fidelium, & ultio criminosis. Te per Moysen percussa rupes evomuit, nec abdita cautibus latere potuisti, cum majestatis imperio jussa prodires; tu gestata nubibus ** imbre]

301 ** imbre iucundo arva fecundas. ne siccatis examinata visceribus sublimes neget terra proventus· A te principium. in te finis exultat. vel potius tuum est ut terminum nesciamus· Neque enim Domine omnipotens Pater virtutum tuarum nescii. aquarum merita laudamus. sed in his operis tui prædicamus insignia· Suscipe igitur noxios. solve captivos. redde quod in paradiso Adam perdidit. quod uxor amisit. quod intemperantia crudelis absorbuit· Da salutarem potum male saturis acerbitate pomorum. Ut indigesta mortalium & annosa pernicies divino salvatur antidoto. Ablue terram squaloris illuvie. discutite paradisi macheram flammeis obicibus fluctuantem· Pateat redeuntibus floribus ruris ingressus. recipiant imaginem deitatis olim perditam livore serpentis· Quicquid noxium de prævaricatione contractum est. huius gurgitis puritate deponant· Surgant ad requiem. producantur ad veniam· Ut mystici corporis invocati. & redemptos se noverint & renatos· per Christum Filium **302** tuum Dominum nostrum tecum viventem atque regnantem Deum. in unitate Spiritus Sancti. per omnia sæcula sæculorum· Amen. 535

Post hæc mittendum est chrima in ipsam aquam. et deinde cum ingressus fuerit presbiter et diaconus in ipsum fontem. Interrogantur a sacerdote qui fontes benedixit· Quid venisti?

℟. Baptizare·

Et dicit sacerdos· Ite baptizate in nomine Patris. & Filii & Spiritus Sancti·

Interrogatio symboli· Creditis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ?

℟. Credimus·

Int. Et in Ihesum Christum Filium eius unicum Dominum natum & passum?

℟. Credimus·

Int. Creditis & in Spiritum Sanctum. sanctam ecclesiam catholicam. remissionem peccatorum. carnis resurrectionem. & vitam æternam?

℟. Credimus·

Dicit sacerdos Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti· 536

Dum signantur renati chrismate. dicit sacerdos

Deus omnipotens Pater Domini nostri Ihesu Christi. qui te regeneravit ex aqua. & Spiritu Sancto. quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum. ipse te linit chrismate salutis. in Christo Ihesu Domino nostro. in vitam eternam· Amen. 537

Oratio post regressum a fonte.

Celebratis atque perfectis divini baptismatis **303** sacramentis. Domino cæli & terræ Deo Patri omnipotenti indefessas gratias referamus. ipsumque supplices postulemus. ut nos atque omnem familiam suam gloriosæ resurrectionis Domini nostri Ihesu Christi annuat esse participes· Præstante ipso Domino nostro Ihesu Christo Filio suo. secum vivente atque regnante Deo. In unitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum. 538

(1) Hic mutilus est Codex. Quæ sequuntur usque ad paginam 301, supplenda duximus ex ambrosiano fonte Sacramentarii triplicis ritus quod publici juris fecit anno 1777, typis San-Blasianis, Martinus Gerbertus. (*Monumenta Vet. Liturg. Aleman.* vol. I. p. 88.)

LXXXVIII

IN VIGILIIS PASCHÆ

IN ECCLESIA MINORI.

Epistola ad Romanos.

Fratres. Paulus servus Christi Ihesu vocatus apostolus. segregatus in evangelium Dei. quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis. de Filio suo. qui factus est ei ex semine David secundum carnem. qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Ihesu Christi Domini nostri. per quem accepimus gratiam & apostolatum. ad obœdiendum fidei in omnibus gentibus. pro nomine eius. in quibus & vocati estis Ihesu Christi. omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei vocatis sanctis. gratia vobis & pax a Deo Patre nostro & Domino Ihesu Christo.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Erat homo ex phariseis Nicodemus nomine princeps **304** Iudæorum· Hic venit ad Ihesum nocte. & dixit ei· Rabbi. scimus quia a Deo venisti magister· Nemo enim potest hæc signa facere. quæ tu facis. nisi fuerit Deus cum eo· Respondit Ihesus & dixit ei· Amen amen dico tibi nisi quis renatus fuerit denuo. non potest videre regnum Dei· Dicit ad eum Nicodemus· Quomodo potest homo nasci. cum sit senex? Numquid potest in ventre matris suæ iterum intrare. & nasci? Respondit Ihesus. & dixit ei· Amen amen dico tibi. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto. non potest introire in regnum Dei· Quod natum est ex carne caro est. & quod natum est ex Spiritu spiritus est. quia Deus Spiritus est· Non mireris quia dixi tibi. oportet vos nasci denuo· Spiritus ubi vult spirat. & vocem eius audis. sed non scis unde veniat. & quo vadat· Sic est omnis. qui natus est ex Spiritu· Respondit Nicodemus. & dixit ei· Quomodo possunt hæc fieri? Respondit Ihesus. & dixit ei· Tu es magister in Israel. & hæc ignoras? Amen amen dico tibi. quia quod scimus loquimur. & quod vidimus testamur. & testimonium nostrum non accipitis· Si terrena dixi vobis & non creditis. quomodo si dixero vobis cælestia credetis? **305** Et nemo ascendit in cælum. nisi qui descendit de cælo Filius hominis. qui est in cælo.

Super Sindonem.

Deus qui hanc sacratissimam noctem. gloria dominicæ resurrectionis illustras. conserva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum quem dedisti· Ut corpore & mente renovata. puram tibi exhibeat servitutem· per eundem in unitate. 539

Super Oblata.

Deus cuius munere. honoranda baptismatis sunt impleta mysteria. concede populo tuo originalis delicti errore mundato. post sacratissimum fontem. terram tuæ promissionis intrare. ut dulcia sacramentorum tuorum iam nunc alimenta percipiat· per. 540

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. quia vetustate destructa. vitæ nobis in Christo reparatur integritas· Propterea profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat· Sed & supernæ Virtutes & angelicæ concinunt Potestates. Ymnum gloriæ tuæ perpetim sine cessatione dicentes. Sanctus. 541

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut divino munere satiati. & sacris mysteriis innovemur & moribus. per. 542

LXXXIX

ITEM ALIA MISSA IN ECCLESIA MAIORI.

Oratio super populum.

Omnipotens sempiterne Deus. qui in omnium operum tuorum dispensatione es mirabilis. Intellegant **306** redempti tui non fuisse excellentius. quod initio factus est mundus. quam quod in fine sæculorum Pascha nostrum immolatus est Christus· Qui tecum. & cum Spiritu Sancto vivit. 543

Epistola ad Ephesios.

Fratres. Obsecro vos ego vinctus in Domino. ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis. cum omni humilitate & mansuetudine. cum patientia supportantes invicem in caritate. solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis· Unum corpus. & unus Spiritus. sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ· Unus Deus. una fides. unum baptisma· Unus Deus & Pater omnium. qui super omnes. & per omnia & in omnibus.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Vespere sabbati. quæ lucescit in prima sabbati. venit Maria Magdalene. & altera Maria videre sepulcrum· Et ecce terremotus factus est magnus· Angelus autem Domini descendit de cælo. & accedens revolvit lapidem. & sedebat super eum· Erat autem aspectus eius sicut fulgur. & vestimenta eius candida sicut nix· Præ timore autem eius exterriti sunt custodes. & facti sunt velut mortui· Respondens autem angelus Domini dixit mulieribus· Nolite timere vos· Scio enim quod Ihesum qui cruci- **307** fixus est quæritis. non est hic. surrexit enim sicut dixit· Venite & videte locum. ubi positus erat Dominus· Et cito euntes dicite discipulis eius. quia surrexit. ecce præcedit vos in Galileam. ibi eum videbitis. ecce prædixit vobis.

Super Sindonem.

Deus qui sollemnitate paschali cælestia mundo remedia benignus operaris annue festivitatis huius nobis dona prosequere· Ut per observantiam temporalem. ad vitam perveniamus æternam· per. 544

Super Oblata.

Accipe Domine munera exultantis ecclesiæ· Et cui causam tanti gaudii contulisti. perpetuæ fructum concede letitiæ· per. 545

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare· Nos te quidem Domine omni tempore benedicere. sed in hac potissimum nocte. profusius exultantibus animis prædicare. cum Pascha nostrum immolatus est Christus· Ille est enim verus agnus. qui abstulit peccata mundi· Qui mortem nostram moriendo destruxit. & vitam nobis resurgendo reparavit· Unde profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat· Sed & supernæ Virtutes & angelicæ concinunt Potestates. Ymnum gloriæ tuæ sine fine dicentes. Sanctus. 546

Post Sanctus.

Vere sanctus. vere benedictus Dominus noster Ihesus Christus Filius tuus· qui cum Dominus esset maiestatis. **308** descendit de cælo. formam servi qui primus perierat suscepit. & sponte pati dignatus est. ut eum quem ipse fecerat de morte liberaret· Unde & hoc paschale sacrificium tibi offerimus. pro his quos ex aqua & Spiritu sancto regenerare dignatus es dans eis remissionem omnium peccatorum. ut invenires eos in Christo Ihesu Domino nostro· Pro quibus tibi Domine supplices fundimus preces. ut nomina eorum pariterque famuli tui illius Imperatoris scripta habeas in libro viventium per Christum Dominum nostrum· Qui pridie quam pro nostra & omnium salute pateretur. accipiens panem. elevavit oculos. a[d]. c[ælos]. 547

Post Comm.

Cibi salutaris ác poculi dona libantes quæsumus Domine ut qui pascale mysterium sumpsimus. prodesse nobis in perpetuum gaudeamus· per. 548

Ad Vesperum.

Perveniant ad te Domine supplicum preces. Ut quibus tuam clementiam nosse tribuisti. hanc eis facias iugiter non deesse· per. 549

Alia.

Da misericors Deus ut in resurrectione Domini nostri Ihesu Christi percipiamus veraciter portionem· per eundem. 550

Ad Matutinum.

Da universis famulis tuis quæsumus Domine plenius atque perfectius omnia paschalis festivitatis introire mysteria· Ut incunctanter pia corda cognoscant. quantum debeant de **309** confirma[ta] in Christo credentium glorificatione gaudere· per eundem. 551

Alia.

Paschalia nobis Domine gaudia quæsumus futuræ salutis æternitate confirma· per Dominum. 552

XC

MANE DIE SANCTO PASCHÆ IN ECCLESIA MINORI PRO BAPTIZATIS.

Oratio super populum.

Deus qui humanam naturam supra primæ originis reparas dignitatem. Respice ad pietatis tuæ ineffabile sacramentum· Ut quos regenerationis mysterio dignatus es innovare. in his dona tuæ perpetis gratiæ benedictionisque conserva· per. 553

Ad Romanos.

Fratres. Commendat suam caritatem Deus in nobis· Quoniam si cum adhuc peccatores essemus. Christus pro nobis mortuus est. multo magis iustificati nunc in sanguine ipsius. salvi erimus ab ira per ipsum· Si enim cum inimici essemus. reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius. multo magis reconciliati. salvi erimus in vita ipsius· Non solum autem hoc. sed & gloriamur in Deo per Dominum nostrum Ihesum Christum. per quem nunc reconciliationem accepimus.

Secundum Iohannem.

In die magno festivitatis. stabat Dominus Ihesus. & clamabat dicens· Si quis sitit. veniat ad me & bibat· Qui credit in me sicut dicit Scriptura. flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ· **310** Hoc autem dixit de Spiritu. quem accepturi erant credentes in eum.

Super Sindonem.

Deus qui credentes in te. fonte baptismatis innovasti. hanc renatis in Christo concede custodiam. ut nullo erroris incursu. gratiam tuæ benedictionis amittant· per eundem. 554

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine plebis tuæ. & tuorum hostias renatorum· Ut & confessione tui nominis. & baptismate renovati. sempiternam beatitudinem consequantur· per Dominum. 555

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & pro humani generis mirabili reparatione exultantibus te gaudiis hac die laudare· quæ omnibus diebus temporibusque præcellens. & suæ crucis interitu. & beatæ resurrectionis est clara primatu· In hac enim Unigenitus tuus. ut primogenitus esset ex mortuis. ad glorificandam in se carnis nostræ animæque naturam. qua potestate occubuit. eadem resurrexit· Unde profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat· Sed & supernæ Virtutes & angelicæ concinnunt Potestates. Ymnum. g. t. c. s. f. d. 556

Post Comm.

Digne nos tuo nomini quæsumus Domine famulari salutaris cibus & sacer potus instituat· Ut renovatio **311** conditionis humanæ. quam mysterio continet. in nostris sensibus iugiter operetur· per. 557

XCI

ITEM ALIA MISSA IN ECCLESIA MAIORI.

Oratio super populum.

Deus qui ad æternam vitam in Christi resurrectione nos reparas. da populo tuo fidei. speique constantiam· Ut non dubitemus implenda. quæ te novimus auctore promissa· per eundem. 558

Epistola ad Corinthios. I.

Fratres. Tradidi vobis in primis. quod accepi. quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas. & quia sepultus est. & quia surrexit tertia die secundum Scripturas. & quia visus est Cephæ & post hæc illis undecim· Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul. ex quibus multi manent usque adhuc. quidam autem dormierunt· Deinde visus est Iacobo. deinde Apostolis omnibus· Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est & mihi· Ego enim sum minimus apostolorum. qui non sum dignus vocari apostolus. quoniam persecutus sum ecclesiam Dei· Gratia autem Dei sum id quod sum. & gratia eius in me egena non fuit.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Maria stabat ad monumentum foris plorans· Dum ergo fleret. inclinavit se. & prospexit in monumentum· Et vidit **312** duos angelos in albis sedentes. unum ad caput. & unum ad pedes. ubi positum fuerat corpus Ihesu· Dicunt ei illi· Mulier quid ploras? Dicit eis· quia tulerunt Dominum meum. & nescio ubi posuerunt eum· Hæc cum dixisset. conversa est retrorsum. & vidit Ihesum stantem. & non sciebat quia Ihesus est· Dicit ei Ihesus· Mulier quid ploras quem queris? Illa existimans quia ortulanus est. dicit ei· Domine si tu sustulisti eum. dicito mihi ubi posuisti eum. & ego eum tollam· Dicit ei Ihesus· Maria. conversa illa dicit ei Rabboni. quod dicitur Magister· Dicit ei Ihesus· Noli me tangere. nondum enim ascendi ad Patrem meum· Vade autem ad fratres meos. & dic eis· Ascendo ad Patrem meum. & Patrem vestrum. ad Deum meum. & Deum vestrum· Venit Maria Magdalene annuntians discipulis. quia vidi Dominum. & hæc dixit mihi.

Super Sindonem.

Deus qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum. devicta morte reserasti. erige ad te fidelium corda· Ut a terrenis cupiditatibus liberati. ad cælestia desideria transeamus· per eundem. 559

Super Oblata.

Quæsumus Domine ut iam non teneamur obnoxii **313** damnationis humanæ sententia. cuius nos vinculis hæc hostia paschalis absolvit· per. 560

Prefatio.

Vere quia dignum & iustum est. æquum & salutare· Nos tibi sancte Deus omnipotens gratias agere. nos devotas laudes referre. Pater inclyte omnium auctor & conditor· Quia cum Dominus esset maiestatis Christus Ihesus Filius tuus. ob liberationem humani generis. crucem subire dignatus est· Quem dudum Abraham perfigurabat in filio. turba mosayca immaculati agni immolatione signabat· Ipse est enim quem sacra tuba cecinerat prophetarum. qui omnium peccata portare[t]. aboleret & crimina· Hoc est illud Pasca Christi nobilitatum cruore. in quo fidelis populus præcipua devotione resultat· O mysterium gratia plenum· O ineffabile divini muneris sacramentum. O sollemnitatum omnium. honoranda sollemnitas· In qua ut servos redimeret. mortalibus se præbuit occidendum· Quam utique beata mors. quæ mortis nodos resolvit· Iam nunc sentiat se tartareus princeps attritum. & nos de profondi labe eductos. ad cæleste regnum conscendisse gratulemur· Et ideo cum angelis. & archangelis. 561

Infra Canonem.

314 Communicantes & diem sacratissimum celebrantes resurrectionis Domini nostri Ihesu Christi secundum carnem. sed & memoriam venerantes In primis gloriosæ... 562

Post Confractionem.

Divino magisterio edocti. & salutaribus monitis instituti audemus dicere· Pater noster. 563

Post Comm.

Perpetuo Deus ecclesiam tuam. pio favore tuere· Ut pascalibus resuscitata mysteriis. ad resurrectionis perveniat claritatem· per. 564

Ad Vesperum.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut qui resurrectionis dominicæ sollemnia colimus. innovatione Spiritus a morte animæ resurgamus· per eundem. In unitate. 565

Præsta quæsumus omnipotens Deus. Ut qui gratiam dominicæ resurrectionis agnovimus. ipsi per amorem Spiritus. a morte animæ resurgamus· per eumdem. In unitate. 566

Ad Fontes.

Deus qui nos fecisti hodierna die paschalia festa celebrare. fac nos quæsumus in cælesti regno gaudere· per Christum. 567

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut qui resurrectionis dominicæ sollemnia colimus. ereptionis nostræ suscipere lætitiam mereamur· per eundem. 568

XCII

FERIA II IN ALBIS.

MISSA PRO BAPTIZATIS.

[*Oratio super populum.*]

Deus qui populum tuum de hostis callidi servitute liberasti. preces eius misericorditer respice **315** & adversantes ei tua virtute prosterne· per. 569

Epistola ad Corinthios. I.

Fratres. expurgate vetus fermentum. ut sitis nova conspersio. sicut estis azimi· Etenim Pasca nostrum immolatus est Christus· Itaque epulemur. non in fermento veteri. neque in fermento malitiæ & nequitiæ. sed in azimis sinceritatis. & veritatis.

Evangelium secundum Matheum. In illo tempore videns Dominus Ihesus turbas ascendit in montem. *Require retro. feria II. ebdomada I. de Quadragesima.*

Super Sindonem.

Da quæsumus omnipotens Deus. ut ecclesia tua & suorum firmitate membrorum. & nova semper fecunditate letetur· per. 570

Super Oblata.

Clementiam tuam supplices exoramus omnipotens Deus. ut populum tuum quem sacro baptismate renovare dignatus es. per hæc paschalia munera. ad æternæ vitæ gaudia pervenire concedas· per. 571

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. redemptionis nostræ festa recolentes. quibus humana substantia vinculis prævaricationis exutam. spem resurrectionis per renovatam sumpsit originis dignitatem. per Christum. 572

Post Comm.

Solita quæsumus Domine quos salvasti pietate custodi. Ut qui tua passione sunt redempti. tua resurrectione lætentur· qui vivis & regnas. 573

XCIII

ITEM MISSA IN ECCLESIA MAIORI.

Oratio super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut huius paschalis festivitatis **316** mirabile sacramentum. & temporalem nobis tranquillitatem tribuat. & vitam conferat sempiternam· per. 574

Epistola ad Romanos.

Fratres. quicumque baptizati sumus in Christo Ihesu. in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem· Ut quemadmodum surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris. ita & in novitate vitæ ambulemus.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. Una sabbati valde diluculo. venerunt mulieres ad monumentum. portantes quæ paraverant aromata. & invenerunt lapidem revolutum a monumento· Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Ihesu· Et factum est dum mente consternatæ essent de isto. ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti· Cum timerent autem & declinaverunt vultum in terram. dixerunt ad illas· Quid quæritis viventem cum mortuis? Non est hic sed surrexit· Recordamini qualiter locutus sit vobis cum adhuc in Galilea esset dicens· Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum. & crucifigi. & die tertia resurgere· Et recordatæ sunt verborum eius. & regressæ **317** a monumento. nuntiaverunt. hæc omnia illis undecim. & ceteris omnibus· Erat autem Maria Magdalene. & Iohanna. & Maria Iacobi. & ceteræ quæ cum eis erant. quæ dicebant ad Apostolos hæc· Et visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista. & non credebant illis· Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum. & procumbens videt linteamina posita & abiit secum mirans. quod factum fuerat.

Super Sindonem.

Perfice Domine benignus in nobis paschalium munerum votiva commercia· Ut a terrenis affectibus. ad cæleste desiderium transferamur· per. 575

Super Oblata.

Plebis tuæ Domine munera placatus admitte. Ut quæ mysteriis paschalibus exhibet. in tuæ remunerationis veritate percipiat· per. 576

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. qui semper in nobis paschale perficiat sacramentum· Ut per initiata remedia continuis educare non desistat augmentis· Unde profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat· Sed & supernæ Virtutes & angelicæ concinnunt Potestates. ymnum. 577

Post Comm.

Spiritum in nobis Domine caritatis infunde· Ut quos sacramentis paschalibus satiasti. tua facias pietate **318** concordes· per in unitate. 578

Ad Vesperum.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut qui paschalis festivitatis sollemnia colimus. in tua semper sanctificatione vivamus per Dominum nostrum. 579

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus spiritualibus gaudiis nos repleri· Ut quod actu gerimus. mente sectemur· per. 580

XCIV

FERIA III. IN ALBIS.

MISSA PRO BAPTIZATIS.

[Oratio super populum.]

Deus qui ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas. concede famulis tuis ut sacramentum vivendo teneant. quod fide perceperunt· per. 581

Super Sindonem.

Deus qui renatis ex aqua & Spiritu Sancto cælestis regni pandis introitum. auge super famulos tuos gratiam quam dedisti· Ut qui ab omnibus sunt purgati peccatis. a nullis priventur promissis· per Dominum in unitate. 582

Super Oblata.

Suscipe Domine quæsumus oblationes familiæ tuæ· Ut sub tuæ protectionis auxilio collata non perdant. & ad æterna dona perveniant· per. 583

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare· Nos te quidem Domine omni tempore benedicere. sed in hoc præcipue die. quo Domini nostri Ihesu Christi rssurrectio celebratur. omni devotione laudare· Hoc itaque die quo Christus a mortuis resurrexit. potestas diaboli cecidit. tartarea sunt inferni vincula resoluta. cyrographum est antiquæ prævaricationis **319** extinctum. & aculeus mortis obtritus· Nos quoque de servitutis iugo dominationis Ægyptiæ per spiritales aquas educens. triumphans resurrexit in gloriam· Propterea profusis gaudiis totus in orbe. t. m. e. 584

Post Comm.

Impleatur in nobis quæsumus Domine sacramenti paschalis sancta libatio. nosque de terrenis affectibus. ad cæleste transferat institutum· per. 585

XCV

ITEM MISSA IN ECCLESIA MAIORI.

Oratio super populum.

Omnipotens sempiterne Deus. qui populum tuum Unigeniti tui sanguine redemisti. solve opera diaboli. rumpe vincula peccati· Ut qui æternam vitam in confessione tui nominis sunt adepti. nihil debeant mortis auctori· per eundem. 586

Ad Corinthios. I.

Fratres. esca nos non commendat Deo. Neque si manducaverimus abundavimus neque si non manducaverimus deficiemus· Videte autem ne forte hæc licentia vestra. offendiculum fiat infirmis· Si enim quis viderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem. nonne conscientia eius cum sit infirma. ædificabitur ad manducandum idolotita? Et peribit infirmus in tua scientia frater. propter quem Christus mortuus est· Sic autem peccantes in fratres. & percutientes conscientiam ipsorum infirmam. in Christo peccatis· Quapropter **320** si esca scandalizat fratrem meum. non manducabo carnes in æternum. ne fratrem meum scandalizem.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Maria Magdalene & altera Maria exierunt cito de monumento. cum timore & gaudio magno. currentes nuntiare discipulis eius· Et ecce Ihesus occurrit illi dicens· Avete? Illæ autem accesserunt. & tenuerunt pedes eius. & adoraverunt eum· Tunc ait illis Ihesus· Nolite timere· Ite nuntiate fratribus meis. ut eant in Galileam. ibi me videbunt· Quæ cum abissent. ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem & annuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quæ facta fuerant· Et congregati cum senioribus. consilio accepto. pecuniam copiosam dederunt militibus dicentes· Dicite quia discipuli eius nocte venerunt. & furati sunt eum nobis dormientibus· Et si hoc auditum fuerit a præside. nos suadebimus ei. & securos vos faciemus· At illi accepta pecunia fecerunt sicut erant docti· Et divulgatum est verbum istud apud Iudæos. usque in hodiernum diem.

Super Sindonem.

Exaudi nos misericors Deus. & redemptionis nostræ subsidia. devota nos effice semper mente tractare· per. 587

Super Oblata.

Sacrificia Domine paschalibus gaudiis immolamus. **321** quibus ecclesia tua mirabiliter pascitur & nutritur· per. 588

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. tuam magnificentiam deprecantes. ut qui alligans fortem nostri generis inimicum. vasa eius diripere non desistis. ad consortium nos Christi tui facias venire vincentes. per eumdem Christum. 589

Post Comm.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut pascalis perceptio sacramenti. continua in nostris mentibus perseveret· per. 590

Ad Vesperum.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur. a cunctis malis imminentibus. per hæc paschalia festa liberemur· per. 591

Deus qui conspicis familiam tuam omni humana virtute destitui paschali interveniente sollemnitate. tui eam brachii protectione custodi· per. 592

XCVI

FERIA IIII. IN ALBIS.

MISSA PRO BAPTIZATIS.

[*Oratio super populum.*]

Tuere familiam tuam quæsumus Domine paschali mysterio gloriantem· Ut cuius salutarem fidei veneratur originem. iugiter instituta custodiat· per. 593

Super Sindonem.

Deus qui conditor totius creaturæ. famulos tuos quos fonte baptismatis renovasti. quosque gratiæ tuæ plenitudine solidasti. in adoptionis sorte facias dignanter ascribi· per. 594

Super Oblata.

Clementiam tuam Domine suppliciter exoramus. ut quod pascalis muneris sacramentum fide recolimus. & spem desideramus. intenti per tuam dilectionem **322** capiamus· per. 595

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. qui se pro nobis optulit immolandum. ut

corpore eius & sanguine. quo a peccatis redempti sumus ad æternam vitam sacrificiis cælestibus pasceremus· Propterea profusis paschalibus gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. 596

Post Comm.

Ecclesia tua Domine cælesti gratia repleatur. atque ab omnibus vitiis expiata. percipiat sempiternæ redemptionis augmentum· per. 597

XCVII

ITEM ALIA MISSA.

IN ECCLESIA MAIORI.

Oratio super populum.

Deus qui nos resurrectionis dominicæ annua sollemnitate lætificas. concede propitius ut per temporalia festa quæ agimus. pervenire ad gaudia æterna mereamur· per eundem Dominum. 598

Ad Corinthios. I.

Fratres. Nolo vos ignorare. quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt. & omnes mare transierunt. & omnes in Moyse baptizati sunt in nube. & in mari· Et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt. & omnes eundem potum spiritalem biberunt· Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. petra autem erat Christus.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. Duo ex discipulis Ihesu ibant in castellum. quod erat in spatio stadiorum sexaginta **323** ab Ierusaiem. nomine Emmaus· Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant· Et factum est dum fabularentur. & secum quererent. & ipse Ihesus appropinquans ibat cum illis· Oculi autem eorum tenebantur. ne eum agnoscerent· Et ait ad illos· qui sunt hi sermones. quos confertis ad invicem ambulantes. & estis tristes? Et respondens unus cui nomen Cleopas dixit ei· Tu solus peregrinus es in Ierusalem. & non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? quibus ille dixit· Quæ? Et dixerunt· De Ihesu Nazareno. qui fuit vir propheta. potens in opere & sermone coram Deo. & omni populo· Et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes. & principes nostri in damnationem mortis. & crucifixerunt eum· Nos autem sperabamus. quia ipse esset redempturus Israel· Et nunc super hæc omnia. tertia dies est hodie. quo hæc facta sunt· Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos. quæ ante lucem fuerunt ad monumentum· Et non invento corpore eius. venerunt dicentes se etiam visionem angelorum vidisse. qui dicunt eum vivere· Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum. & ita invenerunt. sicut mulieres dixerunt· Ipsum vero non invenerunt· Et ipse **324** dixit ad eos· O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus. quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum. & ita intrare in gloriam suam? & incipiens a Moyse & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant· Et appropinquaverunt castello quo ibant. & ipse se finxit longius ire· Et coegerunt illum dicentes· Mane nobiscum. quoniam vesperascit. & inclinata est iam dies· Et intravit cum illis· Et factum est dum recumberet cum illis. accepit panem. & benedixit. & fregit. & porrigebat illis· Et aperti sunt oculi eorum. & cognoverunt eum. & ipse evanuit ex oculis eorum· Et dixerunt ad invicem· Nonne cor nostrum ardens erat in nobis. dum loqueretur in via. & aperiret nobis Scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem. & invenerunt congregatos undecim. & eos qui cum ipsis erant dicentes· Quod surrexit Dominus vere. & apparuit Symoni· Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via. & quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus. qui resurgens a mortuis passione cassata. potentiorem te tuis discipulis **325** reddidisti. concede propitius. ut nos quoque maiestatis tuæ mysteria celebrantes. præsentiæ divinæ beneficia consequamur. qui vivis. 599

Super Oblata.

Accipe Domine preces nomini tuo dicatas. cum oblationibus supplicantium· Et quod mysteriis pascalibus fideliter exequuntur. in tuæ remunerationis veritate percipiant· per. 600

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. quia refulsit in æternum dies nostræ resurrectionis. & gloriæ Domini nostri Ihesu Christi· Qu[i] idem sacerdos & hostia dignanter extitit. non solum qui sanctificet populum. sed ipsos quoque dicatos maiestati tuæ commendet· Ut profusis. 601

Post Comm.

Ab omni nos quæsumus Domine vetustate purgatos. sacramenti tui veneranda perceptio. in novam transferat creaturam· per. 602

Oratio ad Vesperum.

Deus qui nos per paschalia festa lætificas. concede propitius ut ea quæ devote agimus. te adiuvante fideliter teneamus· per. 603

Alia.

Tribue quæsumus omnipotens Deus. ut illuc tendat christianæ devotionis affectus. quo tecum [est] nostra substantia· per. 604

Da nobis quæsumus Domine ut quæ piis operibus celebramus. & intellegere possimus. & assequi· per. 605

XCVIII

FERIA V. IN ALBIS.

MISSA PRO BAPTIZATIS.

[*Oratio super populum.*]

Deus qui diversitatem gentium in confessione tui **326** nominis adunasti. da ut renatis fonte

baptismatis una sit fides mentium & pietas actionum· per. 606

Super Sindonem.

Deus qui multiplicas sobolem renascentium. fac eos gaudere propitius de suorum venia peccatorum· per. 607

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine munera populorum tuorum propitius· Ut in confessione tui nominis & baptismate renovati sempiternam beatitudinem consequantur· per. 608

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum· De cuius morte vita surrexit. de passione salus ascendit. de pœna crucis remedium pietatis. gloria de damnatione medicina de vulnere· Unus namque mori voluit ne omnes moreremur· Immo unus mori dignatus est. ut omnes nos perpetuo viveremus· Propterea profusis. 609

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut qui paschalia sacramenta percepimus. æternæ vitæ gaudia percipere mereamur· per. 610

XCIX

ITEM ALIA MISSA IN ECCLESIA MAIORI.

[*Oratio super populum.*]

Deus qui nobis ad cælebrandum paschale sacramentum liberiores animos præstitisti. doce nos & metuere quo irasceris. & amare quod præcipis· per. 611

Ad Corinthios. I.

Fratres. Calix benedictionis cui benedicimus. nonne communicatio sanguinis **327** Christi est? Et panis quem frangimus nonne participatio corporis Domini est? quoniam unus panis. unum corpus multi sumus. omnesque de uno pane participamus.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Undecim discipuli abierunt in Galileam. in montem ubi constituerat illis Ihesus· Et videntes eum adoraverunt. quidam autem dubitaverunt· Et accedens Ihesus locutus est eis dicens· Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra· Euntes ergo docete omnes gentes. baptizantes eos in nomine Patris. & Filii. & Spiritus Sancti. docentes eos servare omnia. quæcumque mandavi vobis· Et ecce ego vobiscum sum omnibus. diebus usque ad consummationem sæculi.

Super Sindonem.

Deus qui ad æternam vitam in Christi resurrectione nos reparas. erige nos ad consedentem in dextera tua nostræ salutis auctorem· Ut qui propter nos iudicandus advenit. pro nobis iudicaturus mitis adveniat· qui tecum. 612

Super Oblata.

Concede misericors Deus. ut quod paschalibus exequimur institutis. fructiferum nobis omni tempore sentiamus· per. 613

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Qui oblationem sui corporis. remotis sacrificiis carnalibus victimarum. **328** seipsum tibi pro salute nostra offerens. idem sacerdos & sacer agnus exhibuit· Unde profusis. 614

Post Comm.

Exaudi Domine preces nostras. ut redemptionis nostræ sacrosancta commercia. & vitæ nobis conferant presentis auxilium. & gaudia sempiterna concilient· per. 615

C

FERIA VI. IN ALBIS.

MISSA PRO BAPTIZATIS.

Omnipotens sempiterne Deus. qui populum tuum quondam Iordane transiecto. terram fecisti promissionis intrare. præsta quæsumus ut significationis antiquæ. & veritatis patefacta mysteria. per sacramenta baptismastis. adoptionis tuæ filii regno cælesti mereamur asscribi· per. 616

Super Sindonem.

Deus qui credentes populos gratiæ tuæ largitate multiplicas. respice propitius ad electionem tuam· Ut qui sacramento baptismatis sunt renati regni cælestis mereantur introitum· per. 617

Super Oblata.

Hostias Domine quæsumus placatus assume. quas & pro renatorum expiatione deferimus. & pro acceleratione cælestis auxilii· per. 618

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum. qui secundum promissionis suæ incommutabilem veritatem. cælestis pontifex factus in æternum. solus **329** omnium sacerdotum peccati remissione non eguit. sed potius peccatum mundi idem verus agnus abstersit· per quem maiestatem. 619

Post Comm.

Fac quæsumus omnipotens Deus. ut qui pascalibus remediis innovati similitudinem terreni parentis evasimus. ad formam cælestis transferamur auctoris· qui tecum. 620

CI

ITEM ALIA MISSA IN ECCLESIA MAIORI.

[*Oratio super populum*].

Omnipotens sempiterne Deus. qui paschale sacramentum in reconciliationis humanæ federe contulisti. da mentibus nostris. ut quod professione celebramus imitemur affectu· per. 621

Ad Corinthios. I.

Fratres. Si Christus predicatur. quod resurrexit a mortuis. quomodo quidam dicunt in vobis. quod resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est. neque Christus resurrexit· Si autem Christus non resurrexit. inanis est ergo prædicatio nostra. inanis est fides nostra· Invenimur autem & falsi testes Dei. quoniam testimonium diximus adversus Deum. quod suscitaverit Christum. quem non suscitavit si mortui non resurgunt· Nam si mortui non resurgunt· neque Christus resurrexit· Quod si Christus non resurrexit. vana est fides vestra· Adhuc enim estis in peccatis vestris· Ergo qui dormierunt in Christo perierunt· Si in hac vita
330 tantum in Christo sperantes sumus. miserabiliores sumus omnibus hominibus· Nunc autem Christus resurrexit a mortuis. primitiæ dormientium· Quoniam quidem per hominem mors. & per hominem resurrectio mortuorum· Et sicut in Adam omnes moriuntur. ita in Christo omnes vivificabuntur.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Una sabbatorum Maria Magdalene & Maria Iacobi. & Salome abeuntes emerunt aromata. ut ungerent corpus Ihesu. Et valde mane una sabbati. veniunt ad monumentum. orto iam sole. Et dicebant ad invicem· Quis revolvet nobis lapidem. ab ostio monumenti? Et respicientes viderunt revolutum lapidem· Erat quippe magnus valde· Et introeuntes in monumentum. viderunt iuvenem sedentem in dextris coopertum stola candida. & obstupuerunt· Qui dicit illis· Nolite expavescere. Ihesum quæritis Nazarenum crucifixum. surrexit. non est hic. ecce locus ubi posuerunt eum· Sed ite dicite discipulis eius. & Petro. quia præcedit vos in Galileam· Ibi eum videbitis. sicut dixit vobis.

Super Sindonem.

Da nobis Domine quæsumus paschalia gaudia. ut quæ lætanter exequimur. perpetua virtute nos
331 tueantur & salvent· per. 622

Super Oblata.

Accipe Domine fidelium preces. cum oblationibus hostiarum· Ut per hæc piæ devotionis officia. ad cælestem gloriam transeamus· per. 623

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. poscentes ut cuius muneris mysticum pignus accepimus. manifesta dona comprehendere valeamus· Et quæ nobis fideliter speranda paschale contulit sacramentum. attingere mereamur resurrectionis dominicæ firmitate per eumdem Christum. 624

Post Comm.

Respice quæsumus Domine populum tuum· Et quem æternis dignatus es renovare mysteriis. a temporalibus culpis dignanter absolve· per. 625

Ad Vesperum.

Deus per quem nobis & redemptio venit. & præstatur adoptio. respice in opera misericordiæ tuæ· Ut in Christo renatis. & æterna tribuatur hereditas. & vera libertas· per eundem. 626

Alia.

Adesto quæsumus Domine familiæ tuæ & dignanter impende. ut quibus fidei gratiam contulisti. & coronam largiaris æternam· per. 627

CII

DIE SABBATI [IN] ALBIS DEPOSITIS.

MISSA PRO BAPTIZATIS.

[*Oratio super populum.*]

Deus humani generis reparator & rector. fac ecclesiam tuam in nova plebe semper augeri. & devotione cunctorum crescere filiorum· per. 628

Super Sindonem.

332 Largire quæsumus ecclesiæ tuæ Deus. & a suis semper. & ab alienis abstinere delictis· Ut pura tibi mente serviens. pietatis tuæ remedia sine cessatione percipiat· per. 629

Super Oblata.

Familiam tuam Domine. quam per paschalia festa lætificas. his quoque sacrificiis a cunctis defende periculis· per. 630

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare nos te omnipotens Domine suppliciter exorare. ut fidelibus tuis dignanter impendas. quo & paschalia capiant sacramenta. & desideranter expectent ventura· Ut in mysteriis quibus renati sunt permanentes. ad novam vitam his operantibus perducantur· Et ideo cum angelis. 631

Post Comm.

Exaudi nos omnipotens Deus. & familiæ tuæ corda. cui perfectam baptismatis gratiam contulisti ad promerendam beatitudinem aptes æternam· per. 632

CIII

ITEM ALIA MISSA IN ECCLESIA MAIORI.

[*Oratio super populum.*]

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut qui festa paschalia venerando egimus. per hæc pertingere ad gaudia æterna mereamur· per. 633

Epistola ad Timotheum. I.

Karissime. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes orationes. postulationes. gratiarum actiones pro omnibus hominibus· Pro regibus. & omnibus. qui in sublimitate sunt. ut quietam **333**
& tranquillam vitam agamus. in omni pietate & castitate· Hoc enim bonum est. & acceptum coram Salvatore nostro Deo qui omnes homines vult salvos fieri. & ad agnitionem veritatis venire·

Unus enim Deus. unus & mediator Dei & hominum homo Christus Ihesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus· Cuius testimonium datum est temporibus suis. in quo positus sum ego prædicator & apostolus. veritatem dico. non mentior. doctor gentium in fide. & veritate.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Manifestavit se iterum Dominus Ihesus ad mare Tiberiadis manifestavit autem se sic. Erant simul Symon Petrus. & Thomas qui dicitur Didymus. & Nathanael qui erat a Cana Galileæ. & filii Zebedei. & alii ex discipulis eius duo· Dicit eis Symon Petrus· Vado piscari· Dicunt ei· Venimus & nos tecum· Et exierunt. & ascenderunt navem. & illa nocte nihil prendiderunt· Mane autem iam facto. stetit Ihesus in litore· Non tamen cognoverunt discipuli quia Ihesus esset· Dicit ergo eis Ihesus· Pueri. numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei· Non? Et dixit eis· Mittite in dexteram navigii rete. & invenietis· Miserunt ergo **334** & non valebant illud trahere a multitudine piscium· Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Ihesus Petro· Dominus est· Symon Petrus cum audisset quia Dominus est. tunicam succincxit se. erat enim nudus. & misit se in mare· Alii autem discipuli navigio venerunt· Non enim longe erant a terra. sed quasi cubitis ducentis. trahentes rete piscium· Ut ergo descenderunt in terram. viderunt prunas positas. & piscem superpositum & panem· Et dicit eis Ihesus· Afferte de piscibus. quos nunc cœpistis· Ascendit Symon Petrus. & traxit rete in terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus· Et cum tanti essent. non est scissum rete· Dicit eis Ihesus Venite prandete· Et nemo audebat discumbentium interrogare eum. tu quis es. scientes quia Dominus est· Et venit Ihesus. & accepit panem. & dedit eis. & piscem similiter· Hoc iam tertio manifestatus est Ihesus discipulis suis. cum resurrexisset a mortuis.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus. quem docentem Spiritu Sancto. paterno nomine invocare præsumimus. effice in nobis filiorum corda fidelium· Ut hereditatem promissam mereamur ingredi. per debitam servitutem· per. 634

335 *Super Oblata.*

Accipe Domine fidelium preces. cum oblationibus supplicantium· Ut pascalibus initiata mysteriis. ad æternitatis nobis proficiant hæc dona suffragium· per. 635

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & nunc maxime gratulari. quando dies salutis nostræ. & tuæ erga nos pietatis mysterium sollemniter celebratur. quo de tenebris captivitatis antiquæ. filii lucis & libertatis efficimur. & terrenis exuti. ad cælestia regna transimus· Propterea profusis gaudiis totus in orbe. m. e. 636

Post Comm.

Redemptionis nostræ munere vegetati. quæsumus Domine ut hoc perpetuæ salutis auxilium. fideles semper vera perficiat· per. 637

Ad Vesperum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut nova proles ecclesiæ. sempiterna retributione percipiat. quod magnis est mysteriis assecuta· per. 638

Alia.

Deus qui multiplicas ecclesiam tuam in subole renascentium. fac eam gaudere propitius de suorum profectibus filiorum· per. 639

CIV

DOMINICA IN ALBIS DEPOSITIS.

Oratio super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut qui paschalia festa peregimus. hæc te largiente moribus. & vita teneamus· per. 640

Ad Colossenses.

Fratres. Videte ne quis vos decipiat **336** per philosophiam. & inanem fallaciam. secundum traditionem hominum. secundum elementa mundi. & non secundum Christum· Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. & estis in illo repleti. qui est caput omnis principatus & potestatis· In quo & circumcisi estis circumcisione non manufacta. in expoliationem corporis carnis in circumcisione Christi. consepulti ei in baptismo· In quo & consurrexistis per fidem operationis Dei. qui suscitavit illum a mortuis· Et vos cum mortui essetis in delictis. & præputio carnis vestræ convivificavit cum illo. donans vobis omnia delicta. delens quod adversus nos erat cyrografum decreti. quod erat contrarium nobis· Ei ipsum tulit de medio affigens illud cruci. expolians Principatus & Potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso Ihesus Christus Dominus noster.

[*Evangelium secundum Iohannem.*]

In illo tempore. Cum esset sero die illo una sabbatorum. & fores essent clausæ. ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum venit Ihesus. & stetit in medio. & dicit eis· Pax vobis· Et cum hoc dixisset. ostendit eis **337** manus & latus· Gavisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dicit ergo eis iterum· Pax vobis· Sicut misit me Pater. & ego mitto vos· Hæc cum dixisset insufflavit. & dixit eis· Accipite Spiritum Sanctum· Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. & quorum retinueritis retenta sunt· Thomas autem unus ex duodecim qui dicitur Didymus. non erat cum eis. quando venit Ihesus· Dixerunt ergo ei alii discipuli· Vidimus Dominum· Ille autem dixit eis· nisi videro in manibus eius fixuram clavorum. & mittam digitum meum in locum clavorum. & mittam manum meam in

latus eius. non credam· Et post dies octo. iterum erant discipuli eius intus. & Thomas cum eis· Venit Ihesus ianuis clausis. & stetit in medio. & dixit· Pax vobis· Deinde dicit Thomæ· Infer digitum tuum huc. & vide manus meas & affer manum tuam. & mitte in latus meum. & noli esse incredulus. sed fidelis· Respondit Thomas. & dicit ei· Dominus meus. & Deus meus· Dicit ei Ihesus· Quia vidisti me credidisti? Beati qui non viderunt & crediderunt· Multa quidem & alia signa fecit Ihesus in conspectu discipulorum suorum. quæ non sunt scripta in libro hoc· Hæc autem scripta sunt **338** ut credatis. quia Ihesus est Christus Filius Dei· Et ut credentes vitam habeatis in nomine eius·

Super Sindonem.

Deus innocentiæ restitutor & amator. dirige ad te tuorum corda famulorum· Ut quos de infidelitatis tenebris liberasti. numquam a tuæ veritatis luce discedant· per. 641

[*Super Oblata.*]

Respice Domine munera exultantis ecclesiæ & saluti credentium perpetua sanctificatione sumenda concede· per. 642

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus suppliciter exorantes. ne nos ad illum sinas redire actum. cui iure dominatur inimicus· Sed in hac potius facias absolutione persistere per quam diabolus extitit filio tuo vincente captivus· & ideo cum angelis. 643

Post Comm.

Exuberet quæsumus Domine mentibus nostris paschalis gratia sacramenti. ut donis suis ipsa nos dignos efficiat· per. 644

CV

DOMINICA II. POST PASCHA.

Oratio super populum.

Misericors Domine fidelium tuorum consolator & doctor. auge in ecclesia tua desideria quæ dedisti. & de intellegenda altitudine promissionum. sperantium in te corda confirma· Ut omnes adoptionis filii. lumen quod nundum ostendis. fidei oculis incunctanter intueantur. & patienter expectent· per. 645

Ad Philippenses.

Fratres. Imitatores mei estote. & obsecrate eos qui ita ambulant sicut habetis **339** formam nostram· Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis. nunc autem & flens dico. inimicos crucis Christi. quorum finis interitus Deus venter. & gloriam in confusione ipsorum. qui terrena sapiunt· Nostra autem conversatio in cælis est· Unde etiam Salvatorem expectamus Dominum nostrum Ihesum Christum. qui reformavit corpus humilitatis nostræ. configuratum corpori claritatis suæ secundum operationem qua possit etiam subi[ce]re sibi omnia· Itaque fratres mei karissimi. & desideratissimi. gaudium & corona mea. sic state in Domino.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Vidit Iohannes Baptista Dominum Ihesum venientem ad se. & ait· Ecce agnus Dei. ecce qui tollit peccatum mundi· Hic est de quo dixi. post me venit vir. qui ante me factus est. quia prior me erat· Et ego nesciebam eum· Sed ut manifestetur in Israel. propterea veni ego in aqua baptizans· Et testimonium perhibuit Iohannes dicens· quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo. & mansit super eum. & ego nesciebam eum· Sed qui misit me baptizare in aqua. ille mihi dixit· Super quem videris Spiritum descendentem. & manentem super eum. hic est qui baptizat in Spiritu Sancto· Et ego vidi. & testimonium perhibui. **340** quia hic est Filius Dei.

Super Sindonem.

Deus qui in Filii tui humilitate iacentem mundum erexisti. fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam· Ut quos perpetuæ mortis eripuisti casibus. gaudiis facias perfrui sempiternis· per eundem. 646

Super Oblata.

Deus qui nos per huius sacrificii veneranda commercia unius summæ divinitatis participes effecisti. præsta quæsumus ut sicut tuam cognoscimus veritatem. sic eam dignis moribus assequamur· per Dominum. 647

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui omnia mundi elementa fecisti & varias disposuisti temporum vices. atque homini ad tuam imaginem condito universa simul animantia rerumque miracula subiecisti· Cui licet origo terrena sit. tamen regeneratione baptismatis. cælestis ei vita confertur· Nam devicto mortis auctore. immortalitatis est gratiam consecutus· Et prævaricationis errore quassato. viam repperit veritatis per Christum Dominum nostrum. 648

Post Comm.

Præsta nobis omnipotens & misericors Deus. ut vivificationis tuæ gratiam consequentes. in tuo semper munere gloriemur· per. 649

CVI

DOMINICA III. POST PASCHA.

Oratio super populum.

Deus qui fidelium mentes unius efficis voluntatis da populis tuis id amare quod præcipis. id desiderare quod promittis· Ut inter mundanas **341** varietates. ibi nostra fixa sint corda. ubi vera sunt gaudia· per. 650

Ad Corinthios. II.

Fratres. Tristitia quæ secundum Deum est pœnitentiam in salutem stabilem operatur· Sæculi

autem tristitia mortem operatur· Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos. quantam in vobis operatur sollicitudinem· Sed defensionem. sed indignationem. sed timorem. sed desiderium. sed æmulationem. sed vindinctam· In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio· Igitur & si scripsi vobis. non propter eum qui fecit incuriam. nec propter eum qui passus est. sed ad manifestandam sollicitudinem nostram quam pro vobis habemus ad vos coram Deo. in Christo Ihesu Domino nostro.

Secundum Iohannem.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Modicum & iam non videbitis me. & iterum modicum & videbitis me. quia vado ad Patrem· Dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem· Quid est hoc quod dicit nobis. modicum. & non videbitis me. & iterum modicum & videbitis me. quia vado ad Patrem? Dicebant ergo· quid est hoc quod dicit modicum? Nescimus quid loquatur· Cognovit autem Ihesus quia volebant eum interrogare. & dixit eis· De hoc quæritis inter vos quia dixi. **342** modicum. & non videbitis me. & iterum modicum & videbitis me? Amen amen dico vobis quia plorabitis & flevitis vos. mundus autem gaudebit· Vos autem contristabimini. sed tristitia vestra vertetur in gaudium· Mulier cum parit tristitiam habet. quia venit hora eius· Cum autem pepererit puerum. iam non meminit prasseuræ propter gaudium. quia natus est homo in mundum· Et vos igitur nunc quidem tristitiam habebitis. iterum autem videbo vos. & gaudebit cor vestrum· Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Super Sindonem.

Deus qui misericordiæ ianuam fidelibus patere voluisti. respice in nos & miserere nostri· Ut qui voluntatis tuæ viam donante te sequimur. a vitæ numquam tramite deviemus· per. 651

Super Oblata.

Benedictionem tuam Domine nobis conferat salutarem sacra semper oblatio· Ut quod agit mysterio. virtute perficiat· per. 652

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Qui humanis misertus erroribus. per virginem nasci dignatus est. & per passionem mortis a perpetua nos morte liberavit. ac resurrectione sua æternam nobis contulit vitam Ihesus Christus Dominus noster· quem una tecum omnipotens. 653

Post Comm.

Sacramenta quæ sumpsimus Domine quæsumus ut & spiri- **343** talibus nos instruant alimentis. & corporalibus tueantur auxiliis· per. 654

CVII

MISSA IN MEDIANTE DIE FESTO.

[*Oratio super populum.*]

Deus per cuius providentiam. nec preteritorum momenta deficiunt. nec ulla superest expectatio futurorum tribue permanentem. peractæ quam recolimus sollemnitatis affectum· Ut quod recordatione percurrimus. semper in opere teneamus· per. 655

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Die festo mediante ascendit Ihesus in templum. & docebat· Et mirabantur Iudæi dicentes· Quomodo hic litteras scit cum non didicerit? Respondit eis Ihesus. & dixit· Mea doctrina non est mea. sed eius qui misit me· Si quis voluerit voluntatem eius facere. cognoscet de doctrina. utrum ex Deo sit. an ego a meipso loquar· Qui a semetipso loquitur. gloriam propriam quærit· Qui autem quærit gloriam eius qui misit illum. hic verax est. & iniustitia in illo non est· Nonne Moyses dedit vobis legem. & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba & dixit· Dæmonium habes· quis te quærit interficere? Respondit Ihesus. & dixit eis· Unum opus feci. & omnes miramini· Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem. non quia ex Moyse **344** est. sed ex patribus. & in sabbato circumciditis hominem· Si circumcisionem accipit homo in sabbato. ut non solvatur lex Moysi. mihi indignamini. quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem. sed iustum iudicium iudicate· Dicebant ergo quidam ex Ierosolimis· Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce palam loquitur. & nihil ei dicunt· Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit. Christus autem cum venerit nemo scit unde sit· Clamat ergo docens in templo Ihesus. & dicens· Et me scitis & unde sim scitis. & a meipso non veni. sed est verus qui misit me. quem vos non scitis· Ego scio eum. quia ab ipso sum· Et si dixero quia nescio eum. ero similis vobis mendax· Et ego scio eum quia ab ipso sum. & ipse me misit· Quærebant ergo eum apprehendere & nemo misit in illum manus quia nondum venerat hora eius· De turba autem multi crediderunt in eum.

Super Sindonem.

Populus tuus quæsumus Domine renovata semper exultet animæ iuventute· Ut qui antea in peccatorum veternosæ mortis venerat senio. nunc **345** letetur in pristinam se gloriam restitutum· per. 656

Super Oblata.

Munera tibi Domine oblata sanctifica. ut tui nobis Unigeniti corpus. & sanguis fiant. qui tecum. 657

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. per mediatorem Dei & hominum Ihesum Christum Dominum nostrum· Qui mediante die festo ascendit in templum docere. qui de cælo descendit mundum ab ignorantiæ tenebris liberare· Cuius descensus genus humanum doctrina salutari instruxit. mors a perpetua morte redemit ascensio ad cælestia regna perduxit· Per quem te summe Pater poscimus ut eius institutione edocti salutaris parsimoniæ devotione purificati. ad tua perveniamus promissa securi per eundem Christum. 658

Post Comm.

Adiuvet nos quæsumus Domine sanctum istud paschale mysterium. & ut devotis mentibus exequamur optineat· per. 659

CVIII

DOMINICA IIII. POST PASCHA.

Oratio super populum.

Deus qui erranti populo. ut in viam possint redire. veritatis tuæ lumen ostendis. da cunctis his qui christiana professione censentur & illa respuere quæ huic inimica sunt nomini. & ea quæ sunt apta sectari· per. 660

Ad Philippenses.

Fratres obœdite Deo. sicut semper **346** obœdistis· Non in præsentia mei tantum sed multo magis nunc in absentia mea. & cum metu & tremore vestram salutem operamini· Deus est enim qui operatur in vobis. & velle & perficere pro bona voluntate· Omnia autem facite sine murmurationibus & hesitationibus ut sitis sine quærela. & simplices filii Dei. sine reprehensione in medio nationis pravæ & perversæ· Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. verbum vitæ continentes. ad gloriam meam in diem Christi· Quia non in vacuum cucurri. neque in vacuum laboravi· Sed & si immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestræ. gaudeo & congratulor omnibus vobis· Idipsum autem & vos gaudete. & congratulamini mihi. in Christo Ihesu Domino nostro.

Evangelium secundum Ioannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Vado ad eum qui me misit. & nemo ex vobis interrogat me. quo vadis· Sed quia hæc locutus sum vobis tristitia implevit cor vestrum· Sed ego veritatem dico vobis expedit vobis ut ego vadam· Si enim ego non abiero. Paraclytus non veniet ad vos· Si autem abiero. mittam eum ad vos· Et cum venerit. ille arguet mundum **347** de peccato & de iustitia. & de iudicio· De peccato quidem quia non crediderunt in me· De iustitia quia ad Patrem vado. & iam non videbitis me· De iudicio autem. quia princeps mundi huius iudicatus est· Adhuc multa habeo vobis dicere. sed non potestis portare modo· Cum autem venerit ille Spiritus veritatis. docebit vos omnem veritatem· Non enim loquetur a semetipso. sed quæcumque audiet loquetur. & quæ ventura sunt annuntiabit vobis· Ille me clarificabit. quia de meo accipiet. & annuntiabit vobis.

Super Sindonem.

Actiones nostras quæsumus Domine & aspirando præveni. & adiuvando prosequere· Ut cuncta nostra operatio & a te semper incipiat. & per te cœpta finiatur· per. 661

Super Oblata.

His nobis Domine mysteriis conferatur. quo terrena desideria mitigantes. discamus habere cælestia· per. 662

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. postulantes ut tempora quibus post resurrectionem Dominus noster Ihesus Christus. cum discipulis suis corporaliter habitavit. pia devotione tractemus· quem una tecum. 663

Post Comm.

Adesto Domine Deus noster. ut per hæc quæ fideliter sumpsimus. & purgemur a vitiis. & a periculis omnibus **348** exuamur· per. 664

CIX

DOMINICA V. POST PASCHA.

Oratio super populum.

Deus qui hoc nobis confers gratia ut iusti ex impiis. & beati efficiamur ex miseris. adesto operibus tuis adesto muneribus· Ut quibus inest fidei iustificatio non desit perseverantiæ fortitudo· per. 665

Ad Hebræos.

Fratres. Deponentes omne pondus. & circumstans nos peccatum. per patientiam curramus ad propositum nobis certamen. aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Ihesum. qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. atque in dextera sedis Dei sedet· Recogitate enim eum. qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem ut ne fatigemini animis vestris deficientes· Nondum enim usque ad sanguinem restistitis adversus peccatum repugnantes. & obliti estis consolationis. quæ vobis tamquam filiis loquitur dicens· Fili mi noli neglegere disciplinam Domini. neque fatigeris dum ab eo argueris· quem enim diligit Dominus castigat. flagellat autem omnem filium quem recipit. In disciplina perseverate. tamquam fIliis vobis offert [se] Deus.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Amen amen dico vobis. si quid petieritis Patrem **349** in nomine meo dabit vobis· Usque modo non petistis quicquam in nomine meo· Petite & accipietis. ut gaudium vestrum sit plenum· Hæc in proverbiis locutus sum vobis·

Venit hora. cum iam non in proverbiis loquar vobis. sed palam de Patre annuntiabo vobis· Illo die in nomine meo petetis· Et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis· Ipse enim Pater amat vos. quia vos me amastis. & credidistis quia ego a Deo exivi· Exivi a Patre & veni in mundum· Iterum relinquo mundum. & vado ad Patrem· Dicunt ei discipuli eius· Ecce nunc palam loqueris. & proverbium nullum dicis· Nunc scimus quia scis omnia & non opus est tibi ut quis te interroget· In hoc credimus. quia a Deo existi.

Super Sindonem.

Auxiliare Domine temporibus nostris. & tua nos ubique dextera protegente. & religionis integritas. & christiani nominis securitas reparata consistat· per. 666

Super Oblata.

Concede nobis hæc quæsumus Domine frequentare mysteria· quia quotiens huius hostiæ commemoratio celebratur. opus nostræ redemptionis exercetur· per. 667

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & maiestatem tuam indeffessis **350** precibus exorare. ut mentes nostras bonis operibus semper informes· Quia sic erimus præclari muneris prompta sinceritate cultores. si ad meliora iugiter transeuntes paschale mysterium studeamus habere perpetuum· per Christum. 668

Post Comm.

Tribue nobis quæsumus Domine cælestis mensæ ac virtutis societatem. & desiderare quæ recta sunt. & desiderata percipere· per Dominum. 669

CX

MISSA IN VIGILIA ASCENSIONIS DOMINI.

[*Oratio super populum.*]

Præsta quæsumus omnipotens Pater. ut nostræ mentis intentio. quo sollemnitatis hodiernæ gloriosus auctor ingressus est semper intendat. & quo fide pergit. conversatione perveniat· per eundem. 670

Super Sindonem.

Tribue quæsumus omnipotens Deus. ut munere festivitatis hodiernæ illuc filiorum tuorum dirigatur intentio. quo in tuo Unigenito tecum est nostra directa substantia· per eundem. 671

Super Oblata.

Suscipe Domine munera. quæ pro Filii tui gloriosa ascensione deferimus· Et concede propitius ut a præsentibus periculis liberemur. & ad vitam perveniamus æternam· per eundem. 672

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus in hoc præcipue die quo Ihesus Christus Filius tuus Dominus noster divini consumato fine mysterii. dispositionis antiquæ **351** munus explevit· Ut scilicet & diabolum quæm cælestis operis inimicum per hominem subiugarat elideret & humanam reduceret ad superna dona substantiam. & ideo cun angelis. 673

Post Comm.

Tribue quæsumus Domine. ut per hæc sacra quæ sumpsimus. illuc tendat nostræ devotionis affectus. quo tecum [est] nostra substantia· qui vivis. 674

CXI

ORATIONES AD VESPERUM VEL AD MATUTINUM.

Deus qui ad declaranda tuæ miracula maiestatis. post resurrectionem a mortuis hodie in cælos Apostolis astantibus ascendisti. concede nobis tuæ pietatis auxilium· Ut secundum tuam promissionem. & tu nobiscum semper in terris. & nos tecum in cælo vivere mereamur· qui. 675

Alia.

Deus qui ad cælos ascendens discipulis tuis Spiritum Sanctum collaturum te dignatus es polliceri. præsta quæsumus ut sicut Apostoli tui multifaria doctrinæ cælestis munera perceperunt ita nobis quoque spiritualia dona concedas· qui cum Patre. 676

Alia.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut qui hodierna die Unigenitum tuum redemptorem nostrum. ad cælos ascendisse credimus. ipsi quoque mente in cælestibus habitemus· Qui tecum. 677

Alia.

Adesto Domine supplicationibus nostris· Ut sicut **352** humani generis Salvatorem considere tecum in tua maiestate confidimus. ita usque ad consummationem sæculi. manere nobiscum quemadmodum est pollicitus sentiamus· qui tecum. 678

Alia.

Da quæsumus omnipotens Deus illuc subsequi tuorum membra fidelium. quo caput nostrum principiumque præcessit· qui. 679

CXII

MANE AD MISSAM.

Oratio super populum.

Deus qui ecclesiam tuam. evangelicæ doctrinæ exhortatione. quæ sursum sunt iubes sapere. & ad eandem se altitudinem. ad quam mundi Salvator ascendit erigere. da populis tuis intellectu capere quod multi viderunt conspectu· Ut in secundo mediatoris adventu. ditentur donis qui promissis crediderunt· per eundem. 680

Ad Ephesios.

Fratres. Unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi· Propter

quod dicit. ascendens in altum. captivam duxit captivitatem. dedit dona hominibus· Quod autem ascendit. quid est nisi quia & descendit primum in inferiores partes terræ? Qui descendit. ipse est & qui ascendit super omnes cælos ut impleret omnia· Et ipse dedit quosdam quidem apostolos. quosdam autem prophetas· Alios vero evangelistas. alios autem pastores **353** & doctores. ad consummationem sanctorum. in opus ministerii. in ædificationem corporis Christi.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Stetit Dominus Ihesus in medio discipulorum suorum. & dicit eis· Pax vobis· Ego sum nolite timere· Conturbati vero & conterriti. existimabant se spiritum videre· Et dicit eis· Quid turbati estis. & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes. quia ipse ego sum· Palpate & videte. quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere· Et cum hoc dixisset ostendit eis manus & pedes· Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio. dixit· Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi optulerunt ei partem piscis assi. & favum mellis· Et cum manducasset coram eis. sumens reliquias dedit eis. & dixit ad eos· Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos. cum adhuc essem vobiscum· Quoniam necesse est impleri omnia. quæ scripta sunt in lege Moysi. & prophetis. & psalmis de me· Tunc aperuit illis sensum. ut intellegerent Scripturas· Et dixit eis· Quoniam sic scriptum est. & sic oportebat Christum pati. & resurgere a mortuis die tertia. & prædicari in nomine eius pœnitentiam. & remissionem peccatorum in omnes gentes. incipientibus ab Ierosolima· Vos **354** autem estis testes horum. & ego mittam promissum Patris mei in vos· Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto· Eduxit autem eos foras in Bethaniam. & elevatis manibus suis benedixit eis· Et factum est dum benediceret illis. recessit ab eis. & ferebatur in cælum· Et ipsi adorantes regressi sunt Ierusalem. cum gaudio magno· Et erant semper in templo laudantes. & benedicentes Deum.

Super Sindonem.

Exultationem conditionis humanæ substantiæ conditor respice Deus· Ut tua dignatione mundati. sacramentis magnæ pietatis aptemur· per. 681

Super Oblata.

Sacrificium Domine supplices pro Filii tui venerabili nunc ascensione deferimus· Præsta quæsumus ut & nos per ipsum his commerciis sacrosanctis ad cælestia consurgamus· per eundem. 682

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Qui post resurrectionem sæculis omnibus gloriosam. discipulis suis visu conspicuus. tactuque palpabilis. usque in quadragesimum diem manifestus apparuit· Ipsisque cernentibus. est elevatus in cælum in id proficientibus intra has moras primitias. ut & certius fieret quod credidissent. & ple- **355** nius discerent quod docerent· per eundem. 683

Infra canonem.

Communicantes & diem sacratissimum celebrantes. quo Dominus noster unigenitus Filius tuus. unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ tuæ dextera collocavit· Sed & memoriam venerantes. 684

Post Comm.

Deus cuius Filius in alta cælorum potenter ascendens. captivitatem nostram. sua duxit virtute captivam. tribue quæsumus. ut dona quæ suis participibus contulit. largiatur & nobis· qui tecum vivit. 685

CXIII

DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

Oratio super populum.

Imploramus Domine misericordiam tuam populos fideles propitius intuere· Ut qui præter te alium non noverunt. tuis beneficiis glorientur· per. 686

Ad Romanos.

Fratres. Scimus quoniam quæcumque lex loquitur. his qui in lege sunt loquitur. ut omne os obstruatur. & subditus fiat omnis mundus Deo. quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo· Per legem enim cognitio pęccati· nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est testificata a lege & prophetis· Iustitia autem Dei per fidem Ihesu Christi. super omnes qui credunt· Non enim est distinctio· Omnes enim peccaverunt. & egent gloria Dei. iusti- **356** ficati gratis per gratiam ipsius. per redemptionem quæ est in Christo Ihesu. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius. ad ostensionem iustitiæ suæ. propter remissionem præcedentium delictorum. in sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ in hoc tempore. ut sit ipse iustus. & iustificans eum qui ex fide est Ihesu Christi Domini nostri.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Sublevatis Dominus Ihesus oculis in cælum dixit· Pater. venit hora. clarifica Filium tuum. ut Filius tuus clarificet te· Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis ut omne quod dedisti ei. det eis vitam æternam· Hæc est autem vita æterna. ut cognoscant te solum verum Deum. & quem misisti Ihesum Christum· Ego te clarificavi super terram. opus consummavi. quod dedisti mihi ut perficiam· Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui. priusquam mundus esset apud te· Manifestavi nomen tuum hominibus. quos dedisti mihi de mundo· Tui erant. & mihi eos dedisti. & sermonem tuum servaverunt· Et nunc cognoverunt.

quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt· Quia verba quæ dedisti mihi dedi eis· & ipsi acceperunt. & cognoverunt vere quia a te exivi· Et crediderunt. quia **357** tu me misisti· Et ego pro eis rogo. non pro mundo rogo. sed pro his quos dedisti mihi. quia tui sunt. & mea omnia tua sunt. & tua mea sunt· Et clarificatus sum in eis· Et iam non sum in mundo. & hi in mundo sunt· Et ego ad te venio· Pater sancte serva eos in nomine tuo. quos dedisti mihi. ut sint unum. sicut & nos· Cum essem cum eis. ego servabam eos in nomine tuo· Quos dedisti mihi custodivi. & nemo ex his periit. nisi filius perditionis. ut Scriptura impleretur· Nunc autem ad te venio· Et hæc loquor in mundo. ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis· Ego dedi eis sermonem tuum. & mundus odio eos habuit. quia non sunt de mundo. sicut & ego non sum de mundo· Non rogo ut tollas eos de mundo. sed ut serves eos ex malo· De mundo non sunt. sicut & ego non sum de mundo· Sanctifica eos in veritate. sermo tuus veritas est· Sicut me misisti in mundum. & ego misi eos in mundum· Et pro eis ego sanctifico meipsum. ut sint & ipsi sanctificati in veritate· Non pro his autem rogo tantum. sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me. ut omnes unum sint. sicut tu Pater in me. & ego in te· Ut & ipsi in nobis unum sint. ut mundus credat. quia tu me misisti· **358** Et ego claritatem quam dedisti mihi. dedi eis. ut sint unum. sicut & nos unum sumus. ego in eis. & tu in me· Ut sint consummati in unum. & cognoscat mundus. quia tu me misisti. & dilexisti eos. sicut & me dilexisti· Pater quos dedisti mihi. volo ut ubi ego sum. & illi sint mecum· Ut videant claritatem meam quam dedisti mihi. quia dilexisti me ante constitutionem mundi· Pater iuste. & mundus te non cognovit. ego autem te cognovi· Et hi cognoverunt quia tu me misisti· Et notum feci eis nomen tuum. & notum faciam. ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit. & ego in ipsis.

Super Sindonem.

Sancti nominis tui Domine timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum· Quia numquam a tua gubernatione destituis. quos in soliditate tuæ dilectionis instituis· per. 687

Super Oblata.

Oblatio nos Domine tuo nomini dicanda purificet. & de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem· per. 688

Prefatio.

Vere Dignum. Æterne Deus. poscentes ut sensibus nostris clementer infundas. ne terrenis affectionibus inherendo. oculos ad cælestia non levemus· Ne in infimis voluptatibus occupati. mentes **359** non valeamus attollere. quo noster Salvator ascendit· Ne diabolica sectando vestigia a Christi consortio recedamus· Quia nemo potest summi verique Regis celsitudine delectari. nisi qui pestifera destructa subversaque tyranni iura calcaverit per eundem Christum Dominum. 689

Post Comm.

Præsta nobis quæsumus omnipotens & misericors Deus. ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus. invisibili consequamur affectu· per. 690

CXIV

INCIPIUNT ORATIONES QUÆ DICENDÆ SUNT IN LÆTANIIS VEL IN VIGIL. COTIDIANORUM DIERUM.

Die primo.

I. — Deus qui ad ineffabilis observantiam sacramenti. famulorum tuorum præparas voluntates. donis tuis corda nostra purifica· Ut quod sancta est devotione tractandum. sinceris mentibus exequamur· per. 691

II. — Inclina Domine precibus nostris aures pias· Ut qui auxilium tuæ miserationis implorant. sanctificationis gratiam referant· Et quæ pie precantur optineant. quodque fideliter postulant. efficaciter consequi mereantur· per. 692

III. — Exaudi nos Deus salutaris noster. & æternitatis tuæ nobis dona concede· Ut qui te totis sensibus confitemur. nulla fraude diaboli capiamur· Qui vivis. 693

360 IIII. — Domine Deus omnipotens in cuius iudicio misericordia semper optinet principatum. tribue indulgentiam reis· Ut maiestatis tuæ parcente iam dextera. non iudicium. sed indulgentiam sentiamus· per. 694

V. — Omnipotens sempiterne Deus cui potestas est sine fine miserendi. preces humilitatis nostræ placatus intende· Ut quod delictorum nostrorum catena constrinxit. a tua nobis misericordia relaxetur· per. 695

VI. — Omnipotens sempiterne Deus. qui ad correptionem plebis tuæ. indulgentiæ magis. quam iustitiæ uteris potestate. confidentium tibi parce peccatis· Ut quos salubri emendas verbere clementi foveas lænitate· per. 696

VII. — Propitiare Domine iniquitatibus nostris. & exorabilis tuis esto supplicibus· Non extendatur super nos ira iustitiæ nec differatur medicinæ misericordia· Ut concessa peccatorum venia quam precamur. perpetuo maiestatis tuæ munere gloriemur· per. 697

VIII. — Deus qui confitentium tibi corda purificas. & accusantem se conscientiam. ab omni vinculo iniquitatis absolvis. da indulgentiam reis. & medicinam tribue vulneratis· Ut exclusa dominatione peccati liberis tibi mentibus serviamus· per. 698

VIIII. — **361** Respice propitius quæsumus Domine afflictionem populi tui· Et ne ad perden-

dum nos peccata nostra prævaleant. tua nos propitius ad salvandum misericordia copiosa præveniat· per. 699

X. — Omnipotens sempiterne Deus. cuius bonitatis immensitas. nullo fine concluditur. præsta ut qui de nostris meritis diffidimus. de tua tibi indulgentia placeamus· per. 700

XI. — Exaudi nos Deus salutaris noster. & ne dies nostros ante finiri iubeas quam peccata dimittas· Et quia in inferno superflua pœna est. & nullum spatium corrigendi. hic te supplices rogamus & petimus. ut ubi das spatium supplicandi. iubeas & peccata dimitti· qui vivis. 701

XII. — Omnipotens sempiterne Deus. da populo tuo digne atque sapienter ad confessionem tuæ laudis accedere· Ut si qua in nobis sunt sauciata per culpas. sentiamus reparari posse per gratiam. per. 702

CXV

ITEM AD MISSAM.

Oratio super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut qui in afflictione nostra. de tua pietate confidimus. contra adversa omnia. tua semper protectione muniamur· per. 703

Lectio Iohelis prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus. Convertimini ad me in toto corde vestro. in ieiunio & **362** fletu & in planctu. & scindite corda vestra. & non vestimenta vestra· Et convertimini ad Dominum Deum vestrum. quia benignus & misericors est. & præstabilis super malitia· Quis scit si convertatur. & ignoscat. & relinquat post se benedictionem· Sacrificium & libamen Domino Deo nostro· Canite tuba in Sion. sanctificate ieiunium vocate cœtum. congregate populum. sanctificate ecclesiam. coadunate senes. congregate parvulos & suggentes ubera· Egrediatur sponsus de cubili suo. & sponsa de thalamo suo· Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini. & dicent· Parce Domine parce populo tuo. & ne des hereditatem tuam in obproprium. ut dominentur eis nationes· Quare dicunt in populis. ubi est Deus eorum? Zelatus est Dominus terram suam. & pepercit populo suo· Et respondit Dominus. & dixit populo suo· Ecce ego mittam vobis frumentum. & vinum & oleum. & replebimini eo. & non dabo vos ultra oppobrium in gentibus· Et eum qui ab aquilone est longe faciam a vobis & expellam eum in terram inviam. & desertam. facies eius contra mare orientale & extremum eius **363** ad mare novissimum· Et ascendet fetor eius & ascendet putredo eius. quia superbe egit· Noli timere terra. exulta & lætare. quoniam magnificavit ut faceret opera sua Dominus Deus noster.

Evangelium secundum Matheum. require retro feria II. in Quadragesima ebdomada prima. In illo tempore. videns Dominus Ihesus turbas ascendit in montem.

Super Sindonem.

Domine Deus quia ad hoc irasceris ut subvenias. ad hoc minaris ut parcas. lapsis manum porrige. & laborantibus multiplici miseratione succurre· Et qui per te redempti sunt. ad spem vitæ æternæ tua moderatione serventur· qui vivis. 704

Super Oblata.

Ieiunantium Domine quæsumus supplicum vota propitius intuere. & munera præsentia sanctificans. perceptionem eorum occulta cordis nostri remedia. tua effice pietate· Ut opera carnalia & fluxa non teneant. quos institutor ieiunii Christus reparavit redemptor· qui tecum. 705

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. Nos te in observatione ieiunii quærere qui es panis verus & vivus de cælo descendens· Te itaque humiliantes ieiunio corpora. menteque famulantes devota. per huius sacrificii immolationem rogamus. ut humiliatione ieiunii huius. quam pro nostris reatibus in hac triduana observantia persolvamus. intuearis placatus· Et a delictis ieiunantes **364** absolvens. quos incontinentia ciborum in pravitatis transgressionem inmersit eosdem continentia revocet ad salutem· quem laudant. 706

Post Comm.

Vitia cordis humani. hæc Domine Deus medicina conspecat (compescat). quæ mortalitatis nostræ venit curare languores· per Dominum. 707

CXVI

ITEM ORATIO IN DIE SECUNDO.

I. — Domine Deus qui timore sentiris. qui te diligentium ore caneris. confessione placaris. misericordiam tuam nobis tuis ostende supplicibus· Ut qui de meritorum qualitate diffidimus. de tua semper potentia gloriemur· per. 708

II. — Omnipotens sempiterne Deus. cuius indignatio tarda est. & cita propitiatio. cuius continua est pietas. & misericordia sempiterna. impendere supplicationibus nostris. & ad preces famulorum tuorum aures pias inclina· Ut tuo beneficio roborati. ea quæ præcipis implere possimus· per. 709

III. — Deus cui nihil est impossibile. nihilque difficile. concede propitius. ut ad omnipotentiæ tuæ beneficia. dignæ conversationis provocemur obsequio. per. 710

IIII. — Conserva in nobis quæsumus Domine maiestatis tuæ consuetudinem miserendi· Ut sicut humanitatem nostram. sine merito redemisti. ita

redemptionis tuæ **365** operam. per nostram cassari non patiaris offensam· Qui vivis. 711

V. Deus qui sola nos miseratione reservas. tribue quæsumus ut eam iugiter consequentes. austeritatem possimus evitare iudicii. quod nemo nisi per tuam gratiam securus ingreditur· per. 712

VI. — Exaudi Domine tuorum supplicum preces. & confitentium tibi parce peccatis· Ut quos conscientiæ reatus accusat. indulgentia tuæ miserationis absolvat· per. 713

In Basilica Apostolorum.

VII. — Adesto Domine supplicationibus nostris. & sperantes in tua misericordia. intercedentibus omnibus Apostolis tuis. cælesti protege benignus auxilio· per. 714

VIII. — Deus qui diligentibus te facis cuncta prodesse. da cordibus nostris inviolabilis caritatis affectum· Ut desideria de tua inspiratione concepta. nulla possint temptatione mutari· per. 715

VIIII. — Omnipotens sempiterne Deus. qui nos castigandos sanas. & ignoscendo conservas. præsta quæsumus. supplicibus tuis. ut sanitatis optate consolatione fruamur. & ad correptionis effectum. tuam mereamur consequi medicinam· per. 716

X. — Omnipotens sempiterne Deus. qui facturam tuam pio semper gubernas affectu. inclina aurem tuam supplicationibus nostris· Et famulos tuos nimia tribulatione laborantes. **366** placido intuere optutu· per. 717

XI. Domine Deus omnipotens. qui pulsantibus misericordiæ ianuam pandis. respice propitius super famulos tuos remissionem peccatorum poscentes· Ut qui lacrimarum gemitibus suppliciter obsecramus. serena tranquillitate portum salutis arripere valeamus. 718

XII. — Propitiare Domine famulis tuis. & clementer gratiæ tuæ super eos dona multiplica· Ut spei fideique & caritatis amore ferventes semper in mandatis tuis vigili custodia perseverent· per. 719

CXVII

ITEM AD MISSAM.

Oratio super populum.

Deus qui culpas delinquentium districte feriendo percutis. fletus quoque lugentium non recuses· Ut qui pondus tuæ animadversionis cognovimus. etiam pietatis gratiam consequamur· per. 720

Lectio Esaiæ Prophetæ.

Hæc dicit Dominus. Convertere Israel ad Dominum Deum tuum. quoniam corruisti iniquitate tua· Tollite nobiscum verba. & convertimini ad Dominum· Dicite ei omnem iniquitatem. & accipite bonum. & reddemus vitulos labiorum nostrorum· Asur non salvavit nos. super equum non ascendemus. neque dicemus ultra. dii nostri opera manuum nostrarum. quia eius qui in te est misereberis populi· Sanabo contritiones eorum. diligam eos spontaneæ. quia aversus est **367** furor meus ab eis· Ero quasi ros. Israel germinabit quasi lilium· Erumpet radix eius ut Libani. ibunt rami eius. & erit quasi oliva gloria eius. & odor eius ut Libani· Convertentur sedentes in umbra eius vivent contriti. & germinabunt quasi vinea memoriale sicut vinum Libani· Ego exaudiam & dirigam eum. ego ut abietem virentem ex me fructus eius. fructus eius ex me inventus est· Qui sapiens & intelleget ista. intellegens sciet hæc. quia recte viæ Domini. & iusti ambulabant in eis.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Venit Dominus Ihesus secus mare Galileæ. & ascendens in montem sedebat ibi· Et accesserunt ad eum turbæ multæ. habentes secum mutos. clodos. cæcos. debiles. & alios multos· Et proiecerunt eos ad pedes eius. & curavit eos. ita ut turbæ mirarentur. videntes mutos loquentes. clodos ambulantes cæcos videntes. & magnificabant Deum Israel.

Super Sindonem.

Parce Domine parce populo tuo. & nullis iam patiaris adversitatibus fatigari. quos pretioso Filii tui sanguine redemisti· qui tecum vivit. 721

Super Oblata.

Hæc munera quæsumus Domine. & vincula nostræ pravitatis absolvant. & tuæ nobis misericordiæ dona concilient· per. 722

368 *Prefatio.*

Vere dignum. Æterne Deus. & maiestatem tuam suppliciter exorare. ut non nostræ malitiæ. sed indulgentiæ tuæ preveniat nos semper affectus qui & a noxiis voluptalibus indesinenter expediat. & a mundanis cladibus dignanter eripiat· per Christum. 723

Post Comm.

Vota mea quæsumus Domine pio favore prosequere. Ut dum dona tua in tribulatione percipimus. de consolatione nostra in tuo amore crescamus· per. 724

CXVIII

ITEM ORAT. DE DIE TERTIO.

I. — Deus qui per adoptionem. gratiæ lucis nos esse filios voluisti. præsta quæsumus ut errorum non involvamur tenebris. sed in splendore veritatis semper maneamus conspicui. per. 725

II. — Deus cuius spiritu regimur. cuius protectione servamur. pretende nobis misericordiam tuam. & exorabilis tuis esto supplicibus· Ut in te credentium fides. tuis semper beneficiis adiuvemur· per. 726

III. — Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maxime. & miserendo manifestas. multiplica super nos gratiam tuam· Ut ad tua promissa currentes. cælestium bonorum facias esse consortes· per. 727

IIII. — Deus qui es mirabilis in operibus. iustus in iudiciis. largus in donis. multiplica super nos **369** misericordiam tuam· Et quia tu nobis bonorum causa meritorum. custodi quod tribuis. ut invenias quos corones· per. 728

V. — Omnipotens sempiterne Deus doce nos facere voluntatem tuam. & quæcumque præcipis ut agamus. ipse adiuva ut implere possimus· per. 729

VI. — Deus qui omnem animam confitentium tibi magis vis emendare quam perdere. averte a nobis iram indignationis tuæ. & dimitte omnia peccata nostra· per. 730

VII. — Deus apud quem nemo per se est innocens nemo de suis meritis gloriosius. concede propitius. ut cum nobis nostra opera prodesse non possunt. gloriosius tua misericordia succurrat indignis· per. 731

VIII. — Preces populi tui Domine clementer exaudi· Et quos conscientiæ reatus accusat. indulgentiæ tuæ virtus absolvat· per. 732

VIIII. — Domine Deus omnipotens qui concreta humani pectoris vulnera. studio pietatis incidis respice ad infirmitatem mentis nostræ. & vitiosis actibus verbo oris tui poculum salutis infunde· Ut solatio pietatis tuæ. diabolicæ artis blandimenta valeamus excludere· per. 733

In sancto Laurentio.

X. — Mentem familiæ tuæ quæsumus Domine. intercedente beato Laurentio martyre tuo. & munere compunctionis **370** aperi. & largitate pietatis exaudi· per. 734

XI. — Afflictionem familiæ tuæ quæsumus Domine intende placatus· Ut indulta venia peccatorum. de tuis semper beneficiis gloriemur· per. 735

XII. — Præsta populo tuo Domine quæsumus consolationis auxilium & diuturnis calamitatibus laborantem. propitius respirare concede· per. 736

XIII. — Quæsumus omnipotens Deus. ut qui nostris fatigamur offensis. & merito nostræ iniquitatis affligimur. pietatis tuæ gratiam consequi mereamur· per. 737

XIIII. — Deus qui nos conspicis in tot perturbationibus non posse subsistere. afflictorum gemitum propitius respice. & mala omnia quæ meremur averte· per. 738

XV. — Clamantium ad te Domine preces dignanter exaudi· Ut sicut Ninevitis in afflictione positis pepercisti. ita & nobis in præsenti tribulatione succurras· per. 739

XVI. — Auxiliare Domine quærentibus misericordiam tuam. & da veniam confitentibus. parce supplicibus· Ut qui nostris meritis flagellamur. tua miseratione salvemur· per. 740

XVII. — Deus qui culpa offenderis pænitentia placaris. preces populi supplicantis propitius respice. & flagella tuæ iracundiæ quæ pro peccatis nostris meremur averte· per. 741

XVIII. — Deus refugium pauperum. spes humilium. salusque **371** miserorum. supplicationem populi tui clementer exaudi· Ut quos iustitia verberum fecit afflictos. abundantia remediorum faciat consolatos· per. 742

XVIIII. — Aures tuæ pietatis quæsumus Domine precibus nostris inclina· Ut qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur. miserationis tuæ gratia liberemur· per. 743

In sanctam Mar[*iam*].

XX. — Miserere iam quæsumus Domine. intercedente beata & gloriosa semperque virgine Dei genetrice Maria. populo tuo· Et continuis tribulationibus laborantem. celeri propitiatione lætifica· per eundem. 744

CXIX

ITEM AD MISSAM.

Oratio super populum.

Deus qui culpas nostras. piis verberibus percutis. ut nos a nostris iniquitatibus emundes. da nobis & de verbere tuo proficere. & de tua citius consolatione gaudere· per. 745

Lectio libri Sapientiæ require retro in Quadrag. sabb. I. ebd. 1. Miserere nostri Deus.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Convocatis Dominus Ihesus discipulis suis dixit· Misereor turbæ. quia triduo iam perseverant mecum. & non habent quod manducent. & dimittere eos ieiunos nolo ne deficiant in via· Et dicunt ei discipuli· Unde ergo nobis in deserto panes tantos. ut saturemus turbam tantam? Et ait illis Ihesus· **371** Quot panes habetis? At illi dixerunt septem. & paucos discipulos [pisciculos]· Et præcepit turbæ ut discumberent super terram· Et accipiens septem panes. & pisces. & gratias agens fregit. & dedit discipulis suis. & discipuli dederunt populo· Et comederunt omnes & saturati sunt· Et quod superfuit de fragmentis. tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverunt. quatuor milia hominum. extra parvulos & mulieres.

Super Sindonem.

Deus cui soli est elisos erigere. & peccata deflentium condonare. clementer populi tui suspiria inspice. & criminia nostra in ieiuniorum tempore dele· per. 746

Super Oblata.

Hæc hostia quæsumus Domine & ab occultis ecclesiam tuam reatibus semper expediat. & manifestis convenienter expurget· per. 747

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. tuam misericordiam implorantes. ut secundum multitudinem indulgentiarum tuarum. ab omnibus nos absolvas peccatis. & ad omnia pietatis opera. te parcente reparemur· Et quos venia feceris innocentes. auxilio facias efficaces per Christum Dominum nostrum. 748

Post Comm.

Quos munere Domine cælesti reficis. divino tuere præsidio· Ut tuis mysteriis **373** perfruentes. nullis subdamur adversis· per. 749

CXX

OR. PER SINGULAS LECTIONES IN VIGILIA PENTECOSTES.

Da nobis quæsumus Domine per gratiam Spiritus Sancti. novam tui Paraclyti spiritalis observantiæ disciplinam· Ut mentes nostræ sacro purgate ieiunio. cunctis reddantur eius muneribus aptiores· per Dominum nostrum In unitate. 750

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus. lumen indeficiens. qui Spiritum tuum sanctum. cum super aquas in mundi creationis exordio ferretur. humanæ declarasti salutis auctorem. præsta quæsumus ut idem Spiritus veritatis. ecclesiæ tuæ dona multiplicet· per Dominum In unitate. 751

Alia.

Deus qui primis temporibus impleta miracula. Novi Testamenti luce reserasti. quod mare Rubrum forma sacri fontis existeret. & liberata plebs ab Ægyptia servitute. christiani populi sacramenta perferret. da ut omnes gentes Israhelis privilegium merito fidei consecuti. Spiritus tui participatione regenerentur· per Dominum In unitate. 752

Alia.

Deus qui nos ad celebrandam festivitatem. utriusque testamenti paginis instruis. da nobis intellegere misericordiam tuam· Ut ex perceptione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum· per. 753

Alia.

Concede nobis omnipotens Deus. ut qui sollemnitatem dono Spiritus Sancti colimus. cælestibus desideriis **374** accensi. fontem vitæ sitiamus· per Dominum in unitate. 754

CXXI

ITEM MISSA IN VIGIL. PENTECOSTES.

Oratio super populum.

Deus cuius Spiritu totum corpus ecclesiæ multiplicatur & regitur. conserva in nova familiæ tuæ progeniæ sanctificationis gratiam. quam dedisti· Ut corpore & mente renovati. in unitate fidei ferventes. tibi Domino servire mereamur. per Dominum. in unitate. 755

Ad Corinthios. I.

Fratres. Nobis revelabit Deus per Spiritum suum· Spiritus enim omnia scrutatur. etiam profunda Dei quis enim scit hominum quæ sunt hominis. nisi spiritus hominis. qui in ipso est? Ita & quæ Dei sunt. nemo cognovit. nisi Spiritus Dei· Nos autem non spiritum mundi accepimus. sed Spiritum qui ex Deo est. ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis· Quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbi[s]. sed in doctrina Spiritus Sancti. spiritalibus spiritalia comparantes· Animalis autem homo non percepit ea quæ sunt Spiritus Dei· Stultitia enim est illi. & non potest intellegere. quia spiritaliter diiudicatur· Spiritalis autem diiudicat omnia. & ipse a nemine diiudicatur· Quis enim cognovit sensum Domini. qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.

Evangelium secundum Ioannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis **375** Cum venerit Paraclitus. quem ego mittam vobis a Patre. Spiritum veritatis. qui a Patre procedit. ille testimonium perhibebit de me. & vos testimonium perhibetis. qui ab inicio mecum estis· Hæc locutus sum vobis. ut non scandalizemini. absque synagogis facient vos· Sed venit hora. ut omnis qui interficit vos. arbitretur obsequium se præstare Deo· Et hæc facient vobis. quia non noverunt Patrem. neque me· Sed hæc locutus sum vobis. ut cum venerit hora eorum reminiscamini. quia ego dixi vobis· Hæc autem vobis ab initio non dixi. quia vobiscum eram. At nunc vado ad eum qui me misit. & nemo ex vobis interrogat me. quo vadis· Sed quia hæc locutus sum vobis. tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis. expedit vobis ut ego vadam· Si enim non abiero. Paraclitus non veniet ad vos· Si autem abiero. mittam eum ad vos· Et cum venerit ille arguet mundum de peccato & de iustitia. & de iudicio· De peccato quidem. quia non crediderunt in me· De iustitia vero. quia ad Patrem vado. & iam non videbitis me· De iudicio autem. quia princeps mundi huius iudicatus est· Adhuc multa habeo vobis dicere. sed non potestis portare modo· **376** Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem· Non enim loquetur a semetipso. sed quæcumque audiet loquetur. & quæ ventura sunt annuntiabit vobis· Ille me clarificabit. quia de meo accipiet. & annuntiabit vobis.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut qui tuæ maiestatis effectu. per Filii tui mirabile sacramentum. cooperante Spiritu Sancto sunt renati. cælestis vitæ fiant conversatione perpetui. per eundem. in unitate. 756

Super Oblata.

Virtute Sancti Spiritus Domine munera nostra continge· Ut quod sollemnitate præsenti. suo nomine dedicavit. & intellegibile nobis faciat. & æternum. per in [unitate]. 757

[Præfatio.]

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Per quem te supplices rogamus & petimus. ut sicut nobis æternæ securitatis aditum. passione Domini nostri Ihesu Christi. & Spiritus Sancti inluminatione reserasti. sic etiam tranquillitatem vitæ præsentis indulgeas. per quam tanti doni participes devotio quieta proficiat. & neglegentiæ terror illatus. ad fidei tranferatur augmentum. per eundem Christum Dominum nostrum. 758

In Frac.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ. sed & cunctæ familiæ tuæ. quam tibi **377** offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu Sancto. tribuens eis remissionem omnium peccatorum. quæsumus Domine ut placatus suscipias. diesque nostros. 759

Post Comm.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut paschalis perfectio sacramenti. mentibus nostris continua perseveret· per. 760

Ad Vesp.

Deus qui credentium in te primitias. tui Spiritus adventu mirifico decorasti. da nobis de tua maiestate præsumere. non de nostris meritis superbire· per Dominum nostrum. In unitate. 761

Alia.

Domine Deus omnipotens. qui primitias Spiritus tui dedisti credentibus. da nobis eundem Spiritum divinæ virtutis interpretem. & æternæ sanctificationis auctorem· per. 762

Ad Matutinum.

Deus qui hodierna die. corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti. da nobis in eodem Spiritu recta sapere. & de eius semper consolatione gaudere· per Dominum nostrum. In unitate. 763

Alia.

Exaudi Domine preces nostras· Et sicut profanas mundi caligines. Sancti Spiritus luce evacuasti. sic hostes nostros. & inimicos catholicæ professionis expugna· per Dominum. In unitate eiusdem. 764

CXXII

MANE DIE SANCTO PENTECOST.

MISSA PRO BAPTIZATIS.

Oratio super populum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut claritatis tuæ super nos **378** splendor effulgeat. & lux tuæ lucis corda eorum. qui per gratiam tuam renati sunt. Sancti Spiritus illustratione confirmet· per Dominum. In unitate. 765

Secundum Iohannem.

In novissimo die magno festivitatis. stabat Dominus Ihesus & clamabat dicens· Si quis sitit. veniat ad me. & bibat· Qui credit in me sicut dicit Scriptura. flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ· Hoc autem dixit de Spiritu. quem accepturi erant credentes in eum· Nondum enim erat Spiritus datus. quia Ihesus nondum fuerat glorificatus.

Super Sindonem.

Bonorum omnium Deus auctor atque largitor. fac quæsumus ut ecclesiæ tuæ proles. te instituente succrescens in nova Filii tui creatura. Sancto fovente Spiritu nutriatur· per Dominum nostrum In unitate. 766

Super Oblata.

Munera nostra Domine. Sancti Spiritus sacrentur adventu. per quem a peccatis omnibus absoluti. adoptionis tuæ filii renascentur· per Dominum In unitate. 767

[Præfatio.]

Vere dignum. Æterne Deus. quia hodie Sancti Spiritus celebramus adventum· Qui principiis nascentis ecclesiæ. cunctis gentibus imbuendis. & deitatis scientiam indidit. & loquelam· In diversitate donorum mirabilis operator. unitatis variarumque gratiarum distributor idem & unius **379** effector. & predicantium dispensator ipse linguarum· Propterea profusis gaudiis totus in urbe terrarum mundus exultat· Sed & supernæ Virtutes. & angelicæ concinnunt Potestates. Ymnum gloriæ tuæ sine fine dicentes Sanctus. 768

Post Comm.

Sacris cælestibus Domine vitia nostra purgentur. ut muneribus tuis possimus semper aptari· per. 769

CXXIII

ITEM MISSA IN ECCLESIA MAIORI.

Oratio super populum.

Deus qui discipulis tuis. Spiritum Sanctum Paraclytum. in ignis fervore tui amoris mittere dignatus es· da populis tuis in unitate fidei esse ferventes· Ut in tua semper dilectione permanentes. & in fide inveniantur stabiles. & in opere efficaces· Qui vivis & regnas In unitate. 770

Ad Corinthios. I.

Fratres. De spiritalibus nolo vos ignorare· Scitis quoniam cum gentes essetis. ad simulacra muta. prout ducebamini euntes· Ideo notum facio vobis. quod nemo in Spiritu Dei loquens dicit anathema Ihesu· Et nemo potest dicere Dominus Ihesus. nisi in Spiritu Sancto· Divisiones vero gratiarum sunt. Idem autem Spiritus. Et divisiones mynisteriorum sunt. idem autem Dominus· Et divisiones operationum sunt. idem vero Deus qui operatur **380** omnia in omnibus· Unicuique

autem datur manifestatio Spiritus. ad utilitatem· Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ. alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum. alteri fides in eodem Spiritu. alii gratia sanitatum in uno Spiritu· Alii operatio virtutum. alii prophetia. alii discretio spirituum· Alii genera linguarum. alii interpretatio sermonum· Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Si diligitis me. mandata mea servate· Et ego rogabo Patrem. & alium Paraclytum dabit vobis. ut maneat vobiscum in æternum. Spiritum veritatis quem hic mundus non potest accipere. quia non videt eum. nec scit eum· Vos autem cognoscetis eum. quia apud vos manebit. & in vobis erit· non relinquam vos orfanos. veniam ad vos· Adhuc modicum & mundus me iam non videt· Vos autem videbitis me. quia ego vivo. & vos vivetis· In illo die vos cognoscetis. quia ego in Patre meo. & vos in me. & ego in vobis· Qui audit mandata mea & servat ea· ille est qui diligit me· Qui autem diligit me. diligetur a Patre meo. & ego **381** diligam eum. & manifestabo ei meipsum· Dicit ei Iudas. non ille Scariothis· Domine quid factum est. quia nobis manifestaturus es teipsum. & non mundo? Respondit Ihesus. & dixit ei· Si quis diligit me. sermonem meum servabit. & Pater meus diligit eum. & ad eum veniemus. & mansionem apud eum faciemus· Qui non diligit me. sermones meos non servat· Et sermonem quem audistis non est meus. sed eius qui misit me Patris· Hæc locutus sum vobis apud vos manens· Paraclytus autem Spiritus Sanctus. quem mittet Pater in nomine meo. ille vos docebit omnia & suggeret vobis omnia. quæcunque dixero vobis· Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus. qui paschale sacramentum. quinquaginta dierum voluisti mysterio contineri. præsta ut gentium facta dispersio divisione linguarum. ad unam confessionem tui nominis cælesti munere congregetur· per. 771

Super Oblata.

Præsta Domine quæsumus. ut secundum promissionem Filii tui Domini nostri Ihesu Christi. Spiritus Sanctus & huius nobis sacrificii copiosius revelet arcanum. & omnem propitius reseret veritatem· per eundem in unitate. 772

Prefatio.

382 Vere dignum. Æquum & salutare· Nos in hac præcipua festivitate gaudere qua sacratissimum Pascha quinquaginta dierum mysteriis tegitur. & mysticus numerus adimpletur· Et dispersio linguarum. quæ dudum per superbiam in confusione facta fuerant. nunc per Spiritum Sanctum adunatur· Hodie enim de cælis repente sonum audientes Apostoli. unius fidei symbolum exceperunt. & linguis variis evangelii tui gloriam. cunctis gentibus tradiderunt. per Christum Dominum nostrum. 773

In Frac.

Communicantes. & diem sacratissimum Pentecosten celebrantes. quo Spiritus Sanctus Apostolis innumeris linguis apparuit plebemque credentium sua maiestate implevit. sed & memoriam venerantes. 774

Post Comm.

Hæc nobis Domine munera sumpta proficiant. ut illo iugiter ferveamus Spiritu. quem Apostolis tuis ineffabiliter infudisti· per Dominum nostrum. una cum eodem Spiritu Sancto. 775

Ad Vesper.

Deus qui sacramento festivitatis hodiernæ. universam ecclesiam tuam. in omni genere & natione sanctificas. in totam mundi latitudinem. Spiritus tui dona multiplicas· Ut quod inter ipsa evangelicæ prædicationis exordia **383** operata est divina dignatio. nunc quoque credentium corda diffundat· per Dominum in unitate. 776

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus. deduc nos ad societatem cælestium gaudiorum· Ut Spiritu Sancto renatos. regnum tuum facias introire. atque eo perveniat humilitas gregis. quo præcessit celsitudo pastoris· per eundem una cum eodem. 777

CXXIV

DOM. I. POST PENTECOST.

Oratio super populum.

Deus in te sperantium fortitudo adesto propitius invocationibus nostris· & quia sine te nihil potest mortalis infirmitas. præsta auxilium gratiæ tuæ. ut in exequendis mandatis tuis. & voluntate tibi. & actione placeamus· per. 778

Ad Corinthios. I.

Fratres. Cum evacuaverit Deus Pater omnem principatum. & potestatem. & virtutem. oportet Christum regnare. donec ponat omnes inimicus sub pedibus eius· Novissima autem inimica destruetur mors· Omnia enim subiecit sub pedibus eius· Cum autem dicat omnia ei subiecta sunt. sine dubio præter eum. qui subiecit ei omnia· Cum autem subiecta illi fuerunt omnia. tunc ipse Filius subiectus erit illi. qui sibi subiecit omnia. ut sit Deus omnia in omnibus· Alioquin. quid **384** facient quid baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt. ut quid & baptizantur pro illis. ut quid & nos pereclitamur omni hora? Cotidie morior per vestram gloriam. quam habeo in Christo Ihesu Domino nostro· Si secundum hominem ad bestias pugnavi Ephesi. quid mihi prodest. si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus. cras enim moriemur· Nolite

seduci· Corrumpunt mores bonos colloquia mala· Evigilate iuste. & nolite peccare· Ignorantiam enim Dei quidam habent· Ad reverentiam vobis loquor· Sed dicit aliquis. quomodo resurgunt mortui quali autem corpore veniunt? Insipiens tu quod seminas. non vivificatur. nisi prius moriatur· Et quod seminas non corpus quod futurum est seminas. sed nudum granum. ut puta tritici. aut alicuius ceterorum generum· Deus enim dat illi proprium corpus. prout vult.

Secundum Marcum.

In illo tempore. Recumbentibus undecim discipulis apparuit eis Dominus Ihesus. & exprobravit incredulitatem illorum. & duritiam cordis. quia his qui viderant eum resurrexisse. & nuntiantibus **385** illis non crediderant· Et dixit eis· Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ· Qui crediderit & baptizatus fuerit. salvus erit· Qui vero non crediderit. condemnabitur· Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur· In nomine meo dæmonia eicient. linguis loquentur novis. serpentes tollent· Et si mortiferum quid biberint. non eos nocebit· Super ægros manus imponent. & bene habebunt· Et Dominus quidem Ihesus postquam loquutus est eis. assumptus est in cælum. & sedet a dextris Dei· Illi autem profecti. prædicaverunt ubique Domino cooperante. & sermonem confirmante. sequentibus signis.

Super Sindonem.

Deus qui te rectis ac sinceris manere pectoribus asseris. da nobis tua gratia tales existere in quibus habitare digneris· per. 779

Super Oblata.

Hostias nostras tibi Domine dicatas placatus assumme. & ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium· per. 780

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui ecclesiæ tuæ filios. sicut erudire non cessas. ita non desinis adiuvare· Ut scientiam recta faciendi. & possibilitatem **386** capiant exequi per Christum Dominum nostrum. 781

Post Comm.

Tantis Domine repleti muneribus. præsta quæsumus ut & dona salutaria capiamus. & a tua laude numquam cessemus· per. 782

CXXV

DOM. II. POST PENTECOST.

Oratio super populum.

Timentium te Domine salvator & custos. averte ab ecclesia tua mundanæ sapientiæ oblectamenta fallacia· Ut Spiritus tui eruditione formatos. prophetica & apostolica. potius instituta quam philosophiæ verba delectent. ne vanitatis (vanitas) mendaciorum decipiat. quos eruditio veritatis inluminat· per. 783

Epistola ad Galatas.

Fratres. Spiritu ambulate. & desideria carnis non perficietis· Caro enim concupiscit adversus Spiritum. Spiritus autem adversus carnem· Hæc enim sibi invicem adversantur. ut non quæcumque vultis illa faciatis· Quod si Spiritu ducimini. non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis. quæ sunt. fornicatio. immunditia. impudicitia. luxuria. idolorum servitus. veneficia. inimicitiæ. contensiones. æmulationes. iræ. rixæ. dissensiones. sectæ. invidiæ. homicidia. ebrietates. commessationes. & his similia. quæ prædico vobis sicut prædixi. quoniam qui **387** talia agunt. regnum Dei non consequentur· Fructus autem Spiritus est. caritas. gaudium. pax. patientia. bonitas. longanimitas. benignitas. fides. modestia. continentia· Adversus huiusmodi non est lex· Quia autem sunt Christi. carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis· Si vivimus Spiritu. Spiritu & ambulemus· Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. invicem provocantes. invicem invidentes.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Discumbente Domino Ihesu in domo Levi. ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum eo. & discipulis eius· Et videntes pharisei dicebant discipulis eius· quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester· At Ihesus audiens ait· Non est opus valentibus medicus. sed male habentibus· Euntes autem discite quid est misericordiam volo & non sacrificium· Non enim veni vocare iustos. sed peccatores· Tunc accesserunt ad eum discipuli Iohannis dicentes· Quare nos & pharisæi ieiunamus frequenter. discipuli autem tui non ieiunant? Et ait illis Ihesus· Numquid possunt filii sponsi ieiunare. quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies. cum auferetur ab eis sponsus. & tunc ieiunabunt in illis diebus.

Super Sindonem.

388 Omnipotens & misericors Deus· Ad cuius beatitudinem sempiternam. non fragilitate carnis sed alacritate mentis ascenditur· Fac nos atria supernæ civitatis. & te inspirante semper ambire & tuam indulgentiam fideliter introire· per. 784

Super Oblata.

Remotis obumbrationibus carnalium victimarum. spiritalem tibi summe Pater hostiam supplici servitute deferimus· Quæ miro ineffabiliquæ mysterio & immolatur semper. & eadem semper offertur pariterque & devotorum munus & remunerantis est præmium· per. 785

Post Comm.

Lætificet nos quæsumus Domine [hujus] sacramenta[i] veneranda. sollemnitas pariterque mentes nostras. & corpora spiritali sanctificatione fecundet. & castis gaudiis semper exerceat· per. 786

CXXVI

DOM. III. POST PENTECOST.

Oratio super populum.

Sancti nominis tui Domine. timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum· Quia numquam a tua gubernatione destituis. quos in soliditate tuæ dilectionis instituis· per. 787

Ad Romanos.

Fratres. In hoc Christus mortuus est & resurrexit. ut & vivorum & mortuorum dominetur· Tu autem quid iudicas fratrem tuum. aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes **389** enim stabimus ante tribunal Dei· Scriptum est enim· Vivo ego dicit Dominus. quoniam mihi flectet omne genu. & omnis lingua confitebitur Deo· Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo· Non ergo amplius invicem iudicemus. sed hoc iudicate magis. ne ponatis offendiculum fratribus vel scandalum· Scio & confido in Domino Ihesu. quia nihil commune per ipsum. nisi ei qui existimat quid commune esse illi commune est· Si enim propter cibum frater tuus contristatur. iam non secundum caritatem ambulas· Noli cibo tuo illum perdere. pro quo Christus mortuus est. non ergo blasphemetur bonum nostrum· Non est enim regnum Dei esca & potus. sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu Sancto· Qui enim in hoc servit Christo. placet Deo. & probatus est hominibus.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis Estote misericordes. sicut Pater vester misericors est· Nolite iudicare. & non iudicabimini· Nolite condemnare & non condemnabimini· Dimittite & dimittetur vobis· Date & dabitur vobis· Mensuram bonam & confertam· & coagitatam. & supereffluentem dabunt in sinum vestrum· Eadem quippe mensura qua mensi fueritis remetietur vobis· Dicebat autem **390** illis & similitudinem· Numquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus super magistrum· Perfectus autem omnis erit. si sit sicut magister eius· Quid autem vides festucam in oculo fratris tui. trabem autem quæ in oculo tuo est. non consideras? & quomodo potes dicere fratri tuo. frater sine eiciam festucam de oculo tuo. ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita. eice primum trabem de oculo tuo. & tunc perspicies. & educas festucam de oculo fratris tui.

Super Sindonem.

Deus qui te rectis ac sinceris manere pectoribus asseris· Da nobis tuam gratiam tales existere in quibus habitare digneris· per. 788

Super Oblata.

Oblatio nos Domine tuo nomini dicanda purificet· Et de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem· per. 789

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. cuius hoc mirificum opus ac salutare mysterium ut perdita salvaremur fuit· Quoniam sicut tua clementia. non solum beneficia prestat in meritis. sed effectum quoque nobis quo gratias referamus inspirat ita nos convenit laudes tuas. quia non possumus competenter explere. saltem sine cessatione deprimere· Ut quas numquam **391** sufficienter exsolvimus. numquam. reddere desinamus. cum angelis & archangelis. 790

Post Comm.

Præsta Domine quæsumus ut tua sancta nos excipient dignosque semper sui perceptione percipiant· per. 791

CXXVII

DOM. IIII. POST PENTECOST.

Oratio super populum.

Deus spei luminis sincerum mentium luxquæ perfecta bonorum. qui verum es lumen ecclesiæ tuæ· Da cordibus nostris & dignam tibi orationem persolvere. & te semper præconiorum munere conlaudare· per. 792

Ad Colosenses.

Fratres. Induite vos sicut electi Dei sancti. & dilecti viscera misericordiæ· Benignitatem. humilitatem. modestiam. patientiam. supportantes invicem & donantes vobis ipsis· Si quis adversus aliquem habet querelam. sicut & Dominus donavit vobis. ita & vos· Super hæc autem omnia caritatem habete. quæ est vinculum perfectionis. & pax Christi exultet in cordibus vestris. in qua & vocati estis in uno corpore & gratia· Verbum Christi inhabitet in vobis habundanter in omni sapientia. docentes & commonentes vesmetipsos psalmis. ymnis. canticis spiritalibus. in gratia cantantes in cordibus vestris Deo.

Secundum Lucam.

In illo tempore. locutus est Dominus Ihesus parabolam **392** hanc ad turbas. & ad discipulos suos dicens· Homo quidam erat dives. & induebatur purpura & bysso. & epulabatur cotidie splendide· Et erat quidam mendicus nomine Lazarus. qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus. cupiens saturari de micis. quæ cadebant de mensa divitis· Sed & canes veniebant. & linguebant ulcera eius· factum est autem ut moreretur mendicus & portaretur ab angelis in sinu Abrahæ· Mortuus est autem & dives & sepultus est in inferno· Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis vidit Habram a longe. & Lazarum in sinum eius. & ipse exclamans dixit· Pater Abraham miserere mei· Et mitte Lazarum ut intinguat extremum digiti sui in aqua. ut refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma· Et dixit illi Abraham· fili recordare. quia recepisti bona in vita tua. & Lazarus

similiter mala· Nunc autem hic consolatur. tu vero cruciaris· Et in his omnibus inter vos & nos chaos magnum firmatum est. ut hi qui volunt transire ad vos non possint. neque inde huc transmeare· Et ait· Rogo ergo te pater ut mittas eum **393** in domum patris mei· Habeo enim quinque fratres ut testetur illis. ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum· Et ait illi Abraham· Habent Moysen & prophetas. audiant illos· At ille dixit· Non pater Abraham. sed si quis ex mortuis ierit ad eos. pœnitentiam agent· Ait autem illi· Si Moysen et prophetas non audiunt. neque si quis ex mortuis resurrexerit. credent.

Super Sindonem.

Tempora nostra quæsumus Domine pio favore prosequere· Et quibus cursum tribuis largiorem præsta continuum benignus auxilium· per. 793

[*Super Oblata.*]

Munera Domine oblata sanctifica ut tui nobis Unigeniti corpus & sanguis fiat· per. 794

[*Præfatio.*]

Vere dignum. Æterne Deus. illa quippe facta remaneant. quibus nostræ mortalitati procuratur inmortale commercium. ac temporali vitæ subrogatur æternitas· De peccati pœna. peccata mundantur. Meritis quem odis [mirisque modis] conficitur. de perditione salvatio· Ut status conditionis humanæ que. qui per felicitatis insolentiam. venit ad tristitiam per memore. [humilis & modestus ad æterna gaudia redeat per mœrorem.] per Christum. 795

Post Comm.

Hæc communio nos Domine purget a crimine. & cælestibus remediis faciat esse consortes· per. 796

CXXIX

394 INCIPIT LAUS MISSÆ.

GLORIA IN EXCELSIS DEO
ET IN TERRA PAX HOMINIBUS
BONÆ VOLUNTATIS
LAUDAMUS TE
BENEDICIMUS TE
ADORAMUS TE
GLORIFICAMUS TE
GRATIAS AGIMUS TIBI
PROPTER MAGNAM GLORIAM TUAM·
DOMINE DEUS REX CÆLESTIS·
DEUS PATER OMNIPOTENS·
DOMINE FILI UNIGENITE JESU CHRISTE
DOMINE DEUS AGNUS DEI FILIUS PATRIS·
QUI TOLLIS PECCATA MUNDI MISERERE NOBIS
QUI TOLLIS PECCATA MUNDI.
SUSCIPE DEPRECATIONEM NOSTRAM
QUI SEDES AD DEXTERAM PATRIS
MISERERE NOBIS
QUONIAM TU SOLUS SANCTUS
TU SOLUS DOMINUS
TU SOLUS ALTISSIMUS IHESU CHRISTE
CUM SANCTO SPIRITU IN GLORIA DEI PATRIS.
AMEN.
KYRIE KYRIE KYRIE. (1) 809

. . . .

(1) In hac parte codicis, quod maxime dolendum est, & mox, Canone jam desinente, nonnulla folia desunt. Integrum tamen ordinem ambrosianæ missæ subjicimus ex alio codice, sæc. nempe XI, qui Mediolanum in Ecclesiæ metropolitanæ thesauro servatur, de quo videsis v. cl. LEOPOLD DELISLE in suo opere : *Mémoire sur d'Anciens Sacramentaires antérieurs au XIIe siècle.* Paris 1886, p. 203, no LXXIV.

(Ex CODICE METROPOLITANO ; fol. 186-195.)

CXXVIII

Oratio ante altare.

Rogo te altissime Deus Sabaoth. Pater sanctæ. ut me tonica castitatis digneris accingere. & meos lumbos balteo tui timoris ambire renes cordis mei tuæ caritatis igne urere. ut pro peccatis meis possim intercedere. & adstantibus veniam peccatorum promereri. & pacificas singulorum hostias immolare. me quoque audacter accedentem non sinas perire sed dignare lavare. ornare & leniter suscipere per Ihesum Christum Filium. 797

Alia excusatio ante altare.

Indignum me Domine sacris tuis esse fateor. qui innumeris cottidie peccatis fuscor. quid ergo te blandiis verbis rogare præsumo. quem inprobis sæpissime factis offendo. Tu enim mihi medicinam ingeris egro. ego sanitati meæ contraria ago. legem tuam sacris inditam paginis lego sanam vero disciplinam infelix neglego ad tuum quidem altare quasi devotus accedo. sed a præceptis tuis contumaci corde recedo. Da ergo mihi cor conpunctum quod veraciter odio habeat peccatum. meum est si donaveris delicta deflere. tuum est ea ut nubem cito delere. ut licet palmam amiserim. cordium inimico fraudante. ad veniam saltem perveniam te miserante. per. 798

Oratio ante Secreta pro se ipso.

Omnipotens sempiterne Deus placabilis & acceptabilis sit tibi hæc oblatio quam ego indignus pro me misero peccatore & pro delictis innumerabilibus meis tibi offero. ut veniam & remissionem peccatorum meorum mihi concedas & iniquitates meas ne respexeris. sed sola misericordia tua mihi prosit indigno. per. 799

Alia.

Suscipe quæsumus Domine propitius hanc oblationem quam tibi offero ego licet indignus & peccator famulus tuus pro universis culpis & peccatis & cunctis sceleribus meis ac diluendis ad honorem sanctum nominis tui Deus. 800

* Bartholomei	Iohannis	Felicis
Mathei	Et Pauli	Calymeri
Symonis	Cosmæ	Materni
Et Tahddei	Et Damiani	Eustorgii
Syxti	Apollinaris	Dionisii
Laurentii	Vitalis	Ambrosii
Ypoliti	Nazarii	Simpliciani
Vincentii	Et Celsi	Martini
Cornelii	Protasii	Eusebii
Cypriani	Gervasii	Hylarii
Clementis	Victoris	Et Iulii.
Grisogoni	Naboris	Adque Benedicti

Et omnium sanctorum tuorum. quorum meritis precibusque concedas. ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio per Christum Dominum nostrum. 815

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ. sed & cunctæ familiæ tuæ quæsumus Domine ut placatus suscipias. diesque nostros in tua pace disponas. atque ab æterna nos damnatione eripi. & in electorum tuorum iubeas grege numerari per Christum Dominum nostrum. 816

Quam oblationem. quam pietati tuæ offerimus. tu Deus in omnibus quæsumus ✠ Benedictam. ✠ Ascriptam. ✠ Ratam rationabilem. acceptabilemque facere digneris. **396** quæ nobis corpus. & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini autem Dei nostri Ihesu Christi· 817

Pro aliis.

Omnipotens sempiterne Deus. placabilis & acceptabilis sit tibi hæc oblatio quam ego indignus offero pro omnibus familiaribus meis qui se commendaverunt meis indignis orationibus ut tuam misericordiam clementiamque consequi mereantur. per. 801

Item offersiones quando presbiter offert.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus pro regimine & custodia atque unitate catholicæ fidei. pro veneratione quoque omnium simul sanctorum tuorum pro salute & incolomitate famulorum. famularumque tuarum. illorum omnium pro quibus clementiam tuam implorare polliciti sumus. & quorum quarumque elemosinam suscepimus & omnium fidelium Christianorum ut te miserante remissionem omnium peccatorum & æterna beatitudinis præmia in laudibus tuis fideliter perseverando percipere mereantur ad gloriam & honorem nominis tui Deus misericordissime rerum conditor. Et suscipe hanc oblationem pro emundatione mea ut mundes & purges me ab universis peccatorum maculis quatenus tibi digne ministrare merear Deus & clementissime Domine. ✠ Benedictio Dei Patris ✠ & Filii & Spiritus Sancti ✠ copiosa descendat super hanc nostram oblationem. accepta tibi sit hæc oblatio Domine sanctissime Pater omnipotens æterne Deus. 802

Alia.

Suscipe Domine propitius munera hæc quæ tibi offerimus ad laudem & gloriam & magnum honorem nominis tui Deus pro incolumitate famuli tui illius ut omnia ejus peccata clementer ignoscas. 803

Pro universa ecclesia.

Accepta tibi sit Domine hæc oblatio quam tibi offero pro ecclesia tua sancta catholica quam Christi Filii tui sanguine redemisti. per. 804

Pro infirmo.

Suscipe clementissime Pater propitius munera hæc quæ tibi offero ad honorem nominis tui Deus pro famulo tuo illo ut medelam tuam non solum in corpore sed etiam in anima sentiat quatenus de salute eius tibi Domino gratias referamus. per. 805

Alia.

Domine Deus omnipotens suscipere digneris hoc sacrificium laudis quod tibi ego indignus tuus famulus offero ad honorem & gloriam nominis tui pro famulo tuo illo ut ex tua pietate & sanitatem illi retribuas & indulgentiam peccatorum percipere mereatur, ut & hoc sacrificium & elemosinæ illius ascendant in conspectum tuum cum odore suavitatis. per. 806

Pro Defuncto.

Suscipe Domine sanctæ Pater omnipotens æterne Deus propitius munera hæc quæ tibi offerimus pro spiritu & anima famuli tui illius quam de hoc sæculo migrare iusisti. ut per tuam modo inmensam pietatem libærare eum a gehennæ digneris ignibus tortoribusque inferni & ab omnibus angustiis quibus ipsius anima cruciatur. ut receptus inter agmina beatorum spirituum loca nesciat inferorum. per. 807

Alia. (nec eadem manu scripta).

Domine Deus omnipotens suscipere digneris hoc sacrificium laudis hanc oblationem quam tibi ego indignus Offero ad honorem et gloriam nominis tui pro famulo tuo illo qui defunctus est. ut dones ei requiem sempiternam. ut hoc sacrificium et elemosinæ illius ascendant in conspectum tuum cum odore suavitatis. Amen. 808

CXXIX

IN CHRISTI NOMINE INCIPIT MISSA CANONICA.

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus rex cælestis Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Ihesu Christe. Domine Deus agnus Dei Filius Patris. Qui tollis peccata mundi miserere nobis. Qui tollis peccata mundi. Suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus altissimus Ihesu Christe. Cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen. 809

Kyrie eleison. Kyr. Kyr.

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Or. super populum.

Ecclesiæ tuæ Domine voces placatus admitte. ut destructis adversantibus universis secura tibi serviat libertate. per. 810

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Epistola beati Pauli Apostoli ad Galatas.

Fratres. Nolite errare. Deus non irridetur. Quæ enim seminaverit homo hæc & metet. quoniam qui seminat

Qui pridie quam pro nostra. & omnium salute pateretur. Accipiens panem elevavit oculos ad cælos. ad te Deum Patrem suum omnipotentem. tibi gratias agens ✠ Benedixit. fregit. deditque discipulis suis dicens ad eos· Accipite & manducate ex hoc omnes· Hoc est enim corpus meum· Simili modo posteaquam cenatum est. Accipiens calicem elevavit oculos ad cælos. ad te Deum Patrem suum omnipotentem· Item tibi gratias agens ✠ Benedixit. tradidit discipulis suis dicens ad eos· Accipite & bibite ex eo omnes· Hic est enim calix sanguinis mei novi æterni testamenti. mysterium fidei. qui pro vobis & pro multis effundetur. in remissionem peccatorum. 817[a]

Mandans quoque & dicens [ad] eos· Hæc quotienscumque feceritis. in meam commemorationem facietis. Mortem meam prædicabitis. resurrectionem meam annuntiabitis. adventum meum sperabitis donec iterum de cælis veniam ad vos· 817[b]

Unde & memores sumus Domine nos tui servi sed & plebs tua sancta Domini nostri Ihesu Christi passionis **397** necnon & ab inferis mirabilis resurrectionis. sed & in cælos gloriosissimæ ascensionis. offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis ac datis. ✠ Hostiam puram. ✠ Hostiam sanctam. ✠ Hostiam immaculatam. Hunc panem sanctum vitæ æternæ. & calicem salutis perpetuæ· 818

Supra quæ propitio. ac sereno vultu tuo

in carne sua de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in Spiritu. de Spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus operemur bonum ad omnes maxime autem ad domesticos fidei.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore. dicebat Dominus Ihesus discipulis suis. Si peccaverit frater tuus. increpa illum. & si pœnitentiam egerit. dimitte illi. & si septies in die peccaverit in te & septies in die conversus fuerit ad te dicens. pænitet me. dimitte illi. & dixerunt apostoli Domino. Adauge nobis fidem. Dixit autem Dominus. si haberetis fidem sicut granum sinapis. diceretis huic arbori moro. eradicare & transplantare in mare & obœdiret vobis. quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem. qui regresso de agro dicat illi statim transi recumbe & non dicat ei para quod cænem & præcinge te & ministra mihi donec manducem & bibam & post hæc tu manducabis & bibes. numquid gratiam habet servo illi quia fecit quæ sibi imperaverat. non puto. Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis. dicite servi inutiles sumus quod debuimus facere fecimus.

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Kyr. Kyr. Kyr.

Pacem habete corrigite vos ad orationem. ℟. *Ad te Domine.*

Super Sindonem.

Porrige dexteram quæsumus Domine. plebi tuæ misericordiam postulanti. per quam & terrores declinet humanos. & solacia vitæ immortalis accipiat & sempiterna gaudia comprehendat. per. 811

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Sequitur symbolum.

Credo in unum Deum. Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ. Visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum Ihesum Christum Filium Dei unigenitum. Ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo lumen de lumine. Deum verum de Deo vero. Genitum non factum consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto & Maria virgine. Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato. Passus & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Ascendit ad cælos sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos & mortuos Cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem. Qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre simul adoratur & conglorificatur. Qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma. In remissionem peccatorum. Ex expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam futuri sæculi. Amen.

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum.*

Adesto Domine supplicationibus nostris. & his muneribus præsentiam tuæ majestatis intersere ut quod nostro servitio geritur te potius operante firmetur. per omnia sæcula sæculorum. amen. 812

Dominus vobiscum. ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Sursum corda. ℟. *Habemus ad Dominum.*

Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟. *Dignum et iustum est* (1).

Vere quia dignum & iustum est æquum & salutare. Nos tibi semper hic & ubique gratias agere Domine Sancte Pater omnipotens æterne Deus. per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli. venerantur Archangeli Throni Dominationes Virtutes. Principatus & Potestates adorant. Quem Cherubim & Seraphim socia exultatione concelebrant. Cum quibus & nostras voces ut admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes SANCTUS SANCTUS SANCTUS DOMINUS DEUS SABAOTH. PLENI SUNT CELI ET TERRA GLORIA TUA OSSANNA IN EXCELSIS BENE[DICTUS QUI VENIT] IN NOMINE DOMINI OSSANNA IN EXCELSIS. 813

TE IGITUR CLEMENTISSIME PATER PER DOMINUM NOSTRUM IHESUM CHRISTUM FILIUM TUUM.

(1) *Hic, in loco membranæ primitus vacuo, legitur, altera manu scriptus textus Præfationis romanæ communis, quem nos quoque describimus, ut facilius genuinæ Præfationis Ambrosianæ variantes lectiones deprehendantur : Vere dignum et justum est æquum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere Domine sancte. Pater omnipotens æterne Deus per Christum Dominum nostrum. Per quem majestatem tuam laudant Angeli. Adorant Dominaciones. tremunt Potestates. Cæli cœlorumque Virtutes. Ac beata Seraphim socia exultacione concelebrant. Cum quibus, et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur. Supplici confessione dicentes. Sanctus Sanctus Sanctus Dominus Deus.*

respicere digneris. & accepta habere. sicuti accepta habere dignatus es munera iusti pueri tui Abel. & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ. & quod tibi optulit summus sacerdos tuus Melchisedech. sanctum sacrificium immaculatam hostiam· 818[a]
Supplices te rogamus omnipotens Deus· Iube hæc perferri. per manus sancti angeli tui. in sublime altare tuum. ante conspectum tremendæ maiestatis tuæ. Ut quotquot ex hoc altari sanctificationis sacrosanctum corpus. & sanguinem Domini nostri Ihesu Christi sumpserimus. omni benedictione cælesti. & gratia repleamur per Christum Dominum nostrum· 818[b]

Memento etiam Domine famulorum tuorum. qui nos præcesserunt cum signo fidei. & dormiunt in somno pacis· Ipsis Domine. & omnibus in Christo quiescentibus. locum refrigerii lucis. & pacis. ut indulgeas **398** deprecamur per Christum Dominum nostrum. 819

Nobis quoque minimis & peccatoribus famulis tuis. de multitudine misericordiæ tuæ sperantibus partem aliquam. & societatem donare digneris. Cum tuis sanctis apostolis & martyribus

Cum Iohanne	Agne	Eufymia
Et Iohanne	Cecilia	Lucia Tecla
Stefano	Felicitate	Iustina & Pellegia
Andrea	Perpetua	Sabina
Petro	Anastasia	Et cum omnibus
Marcellino	Agathe	sanctis tuis·

Supplices rogamus & petimus uti accepta habeas & benedicas ✠ hæc dona ✠ hæc munera ✠ Hæc sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica. Quam pacificare custodire. Adunare & regere digneris toto orbe terrarum. Una cum famulo tuo Papa nostro illo. Seu & antistite nostro illo. Regibusque nostris illis cum conjugibus suis illis & prole. Sed & omnibus orthodoxis. atque catholicæ & apostolicæ fidei cultoribus. Nec non & pro famulis tuis illis. 814

Memento Domine famulorum famularumque tuarum & omnium circumastantium quorum tibi fides cognita est & nota devotio. Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis. Pro se suisque omnibus. Pro redemptione animarum suarum. Pro spe salutis & incolomitatis sue. Reddunt tibi vota sua æterno Deo vivo & vero. Communicantes & memoriam venerantes. In primis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei & Domini nostri Ihesu Christi. Sed & beatissimorum apostolorum & martirum tuorum.

Petri	Cornelii	Kalemari
Et Pauli	Cypriani	Materni
Andreæ	Clementis	Eustorgii
Jacobi	Crisogoni	Dionisii
Iohannis	Iohannis	Ambrosii
Thomæ	Et Pauli	Simpliciani
Iacobi	Cosme	Martini
Philippi	Et Damiani	Eusebii
* Bartholomei	Apollinaris	Hilarii
Mathei	Vitalis	Julii
Symonis	Nazarii	Benedicti
Et Tahddei	Celsi	Sisinnii
Xisti	Protasii	Martini
Laurenti	Gervasii	Atque Alexandri
Ypoliti	Victoris	
Vincenti	Naboris	
	Felicis	

Et omnium sanctorum tuorum. Quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. per Christum Dominum nostrum. 815

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ. Sed & cunctæ familiæ tuæ. quæsumus Domine ut placatus suscipias. diesque nostros in tua pace disponas. Atque ab æterna nos damnatione eripi & in electorum tuorum jubeas grege numerari.
per Christum Dominum nostrum. 816

Quam oblationem quam pietati tuæ offerimus. Tu Deus in omnibus quæsumus ✠ Benedictam ✠ Asscriptam ✠ Ratam rationabilem. acceptabilemque facere digneris. Quæ nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini autem Dei nostri Ihesu Christi. 817
Qui pridie quam pro nostra & omnium salute pateretur. Accipiens panem elevavit oculos ad cælos. ad te Deum Patrem suum omnipotentem. Tibi gratias agens ✠ Benedixit fregit Deditque discipulis suis dicens ad eos. Accipite & manducate ex hoc omnes. HOC EST ENIM CORPUS MEUM. Simili modo posteaquam cænatum est. Accipiens calicem elevavit oculos ad cælos. Ad te Deum Patrem suum omnipotentem. Item tibi gratias agens ✠ Benedixit tradidit discipulis suis dicens ad eos. Accipite & bibete ex eo omnes.

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI. Novi & æterni testamenti. Mysterium fidei. qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 817[a]
Mandans quoque & dicens ad eos Hæc quotienscumque feceritis. in meam commemorationem facietis. Mortem meam prædicabitis. Resurrectionem meam annuntiabitis. Adventum meum sperabitis. donec iterum de cælis veniam ad vos. 817[b]
Unde & memores sumus Domine nos tui servi sed plebs tua sancta Domini nostri Ihesu Christi Passionis. necnon & ab inferis mirabilis Resurrectionis. Sed & in cælos gloriosissimæ Ascensionis. Offerimus præclare maiestati tuæ de tuis donis ac datis ✠ Hostiam puram ✠ Hostiam sanctam ✠ Hostiam immaculatam. Hunc panem sanctum vitæ æternæ. & calicem salutis perpetuæ. 818
Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris Et accepta habere sicuti accepta habere dignatus es munera iusti pueri tui Abel. & sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech SANCTUM SACRIFICIUM IMMACULATAM HOSTIAM. 818[a]

Supplices te rogamus omnipotens Deus. iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum. Ante conspectum tremendæ majestatis tuæ. Ut quotquot ex hoc altari sanctificationis. sacrosanctum Corpus & Sanguinem Domini nostri Ihesu Christi sumpserimus. omni benedictione cælesti & gratia repleamur.
per Christum Dominum nostrum. 818[b]

Memento etiam Domine & eorum nomina qui nos præcesserunt cum signo fidei & dormiunt in somno pacis. illorum. Istis & omnibus in Christo quiescentibus

Intra quorum nos consortium. non æstimator meriti. sed veniæ quæsumus largitor admitte per Christum Dominum nostrum. 820

Per quem. hæc omnia Domine semper bona creas. ✠ Sanctificas. ✠ vivificas. ✠ benedicis. & nobis famulis tuis largiter præstas. ad augmentum fidei. ad remissionem omnium peccatorum nostrorum· Et est tibi Deo Patri omnipotenti ex ipso. & per ipsum. & in ipso. omnis honor. virtus. laus. gloria. imperium. perpetuitas. & potestas· In unitate Spiritus Sancti. Per infinita sæcula sæculorum· Amen. 821

Commixtio consecrati corporis & sanguinis Domini nostri Ihesu Christi. nobis edentibus & sumentibus. (1) 822

. . . . , ...

locum refrigerii lucis & pacis ut indulgeas deprecamur. *per eundem Christum Dominum nostrum.* 819

Nobis quoque minimis & peccatoribus famulis tuis de multitudine misericordiæ tuæ sperantibus partem aliquam & societatem donare digneris. cum tuis sanctis apostolis & martiribus.

Cum Iohanne	Agne	Eufumia
Et Iohanne	Cæcilia	Lucia
Stephano	Felicitate	Justina
Andrea	Perpetua	Sabina
Petro	Anastasia	Et cum omnibus
Marcellino	Agatha	sanctis tuis

Intra quorum nos consortium non æstimator meriti sed veniæ quæsumus largitor admitte.
per Christum Dominum nostrum. 820

Per quem hæc omnia Domine semper bona creas ✠ Sanctificas ✠ Vivificas ✠ Benedicis. Et nobis famulis tuis largiter præstas. Ad augmentum fidei Ad remissionem omnium peccatorum nostrorum. Et est tibi Deo Patri omnipotenti Ex ipso & per ipsum & in ipso. Omnis honor virtus laus gloria Imperium perpetuitas & potestas in unitate Spiritus Sancti Per infinita sæcula sæculorum. Amen. 821

Dum mittis particulam oblatæ in calicem dic secretæ hoc.

Commixtio consecrati corporis & sanguinis Domini nostri Ihesu Christi. Nobis edentibus & sumentibus in vitam æternam. amen. 822

Oremus.

Præceptis salutaribus moniti. & divina institutione formati audemus dicere 823

Pater noster qui es in cælis. sanctificetur nomen tuum Adveniat regnum tuum. fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra.

Panem nostrum cottidianum da nobis hodie & dimitte nobis debita nostra. sicut & nos dimittimus debitoribus nostris

Et ne nos inducas in temptationem. ℟. Sed libera nos a malo. 824

Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis. præteritis præsentibus & futuris.

Et intercedente pro nobis beata Maria genetrice Dei ac Domini nostri Ihesu Christi.

Et sanctis apostolis tuis. Petro & Paulo atque Andrea.

Et sanctis confessoribus tuis Ambrosio & Simpliciano atque Benedicto. una cum omnibus sanctis tuis.

Da propitius pacem in diebus nostris ut ope misericordiæ tuæ adjuti.

Et a peccato simus semper liberi. & ab omni perturbatione securi.

Præsta per eum cum quo beatus vivis & regnas Deus. in unitate spiritus Sancti. *per omnia sæcula sæculorum. Amen.* 825

Pax & communicatio Domini nostri Ihesu Christi sit semper vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. 826

Dicit diaconus hoc.

Offerte vobis pacem. 827

Oratio post communionem.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum.

Quod ore sumpsimus Domine. mente capiamus. ut de corpore & sanguine Domini nostri Ihesu Christi fiat nobis remedium sempiternum. per eundem. 828

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Kyrie Kyrie Kyrie.

Benedicat & exaudiat nos Deus. ℟. Amen. 829

Diaconus. Procedamus cum pace. ℟. In nomine Christi. 830

DIE DOMINICA MISSA DE SANCTA TRINITATE.

Oratio super populum... &c.

(1) En rursus hiatum supra mox a nobis indigitatum. Canonis ea quæ desiderantur usque ad finem possunt quidem e metropolitano codice jam in præcedenti nota descripto congruenter suppleri. Quod integritatem postmodum Sacramentarii Bergomensis spectat, quot folia deficiant, quosve Missarum ordines descriptos hæc exhibuerint, prorsus incertum. Satius forsitan erit, si fragmento Præfationis sequentis & Post Communionis subnexæ *Gratias tibi agimus* assueri curaverimus mutilæ tantum hujus missæ cæteras preces e Codice triplicis ritus Gerbertino. (Monum. Vet. Let. Aleman. vol. I, p. 240.)

CXXX

Item Cottidianis diebus Missa Ambr.

Exaudi, Domine, vocem tibi supplicantis Ecclesiæ quæ in modum vineæ Filii tui propagata cultoribus, firmis in te nititur stare radicibus, ut præsentis sæculi fluctibus aliena, pullulantis in se populi nativitate ditata, ubertatis suæ fructibus glorietur. Per eund. 850

Alia. (i. e *super Sindonem*).

Deus qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum ; ut te in omnibus & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. per. 851

Secreta. (i. e. *Super oblata*).

Propitiare Domine supplicationibus nostris, & has populi tui oblationes benignus assume, & ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, præsta quæsumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. per. 852

Præfatio.

Vere dignum. æterne Deus. Majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut qui rei sumus meritis, non efficiamur nostra duritia contumaces ; nec te protervis sensibus accusare nitamur, &c., (*cætera ut supra*). 853

Post Comm.

Gratias tibi agimus, (*ut supra*). 854

399 Nec te protervis sensibus accusare nitamur· cum tua nobis quæ non meremur beneficia retardentur· Sed hinc potius & nostras cognoscamus offensas. & opem tuam iugiter imploremus. quia multo amplius continuata subsidia devotis mentibus ministrabis. qui eadem largiris indignis. per Christum Dominum nostrum. 853

Post Comm.

Gratias tibi agimus Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus. qui nos corporis & sanguinis Domini nostri Ihesu Christi communione satiasti· Tuamque misericordiam humiliter imploramus. ut hoc tuum Domine sacramentum. non sit nobis reatus ad pœnam. sed sit intercessio salutaris ad veniam· Sit ablutio scelerum. sit fortitudo fragilium. sit contra mundi pericula firmamentum· Hæc nos communio mundet a crimine. & cælestis gaudiis tribuat esse participes· per eundem. 854

CXXXI

ITEM ALIA MISSA COTIDIANA.

Oratio super populum.

Deus qui ecclesiam tuam nova semper prole fecundas. auge eam cotidie credentium puritate & divinæ gratiæ infusione multiplica· Ut repulsa inpugnatione malorum omnium. in tranquillitate pacis & fidei. tuo semper ditata **400** munere glorietur· per. 855

Super Sindonem.

Deus qui nos in tantis periculis constitutos. humana conspicis fragilitate non posse subsistere. da nobis salutem mentis & corporis· Ut ea quæ pro peccatis nostris patimur. te adiuvante vincamus· per. 856

Super Oblata.

Deus qui legalium differentias hostiarum. unius sacrificii perfectione sanxisti. accipe sacrificium a devotis tibi famulis. & pari benedictione sicut munera Abel sanctifica· Ut quod optulerunt ad maiestatis tuæ honorem. cunctis proficiat ad salutem· per. 857

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Implorantes clementiam tuam. ut gubernare digneris. onera divinæ militiæ sustinentes· Et quia necesse est. ut ab eo cui plus creditur amplius exigatur. tu nostras propitius dirigas actiones ut & propriis non implicemur erroribus. & exuamur externis. per Christum. 858

Post Comm.

Sit nobis Domine quæsumus medicina mentis & corporis. quod de sancti altaris tui benedictione percepimus. Ut nullis adversitatibus fatigemur. qui tanti remedii participatione munimur· per. 859

CXXXII

ITEM ALIA MISSA COTIDIANA.

Oratio super populum.

401 Omnipotens sempiterne Deus. in protectione fidelium populorum. antiqua brachii tui operare miracula· Ut hostibus nostris tua virtute compressis. secura tibi serviat catholica fides. & devotio Christiana· per. 860

Super Sindonem.

Deus qui creaturæ tuæ misereris potius eligis quam irasci. cordis nostri infirma considera. & tuæ nosgratia pietatis illustra· per. 861

Super Oblata.

Suscipe munera quæsumus Domine. quæ tibi de tua largitate deferimus· Ut hæc sacrosancta mysteria gratiæ tuæ operante virtute. & præsentis vitæ nos conversatione sanctificent. & ad gaudia sempiterna perducant· per Dominum. 862

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. ut te auctorem nostrum pronis visceribus humana famulatio religioso excolat affectu· Et ideo obsecramus misericordiam tuam. ne pro nostra nos iniquitate condemnes. sed pro tua pietate in viam rectam semper disponas· Ne sicut meremur delinquentibus irascaris sed fragilitati nostræ invicta tua bonitate subvenias per Christum Dominum nostrum. 863

Post Comm.

Sumpsimus Domine sacri dona mysterii humiliter deprecantes. ut quæ in tui commemoratione nos facere præcepisti in nostræ proficiant **402** infirmitatis auxilium· per. 864

CXXXIII

ITEM ALIA MISSA COTIDIANA.

Oratio super populum.

Da quæsumus Domine populo. sanitatem mentis & corporis· Da vitare quod nocet. & amare quod salvet· Da ut bonis operibus inerendo. & benedici mereatur. & tua semper virtute defendi· per. 865

Super Sindonem.

Adesto supplicationibus nostris omnipotens Deus· Et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges. consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum· per. 866

Super Oblata.

Sanctificationem tuam Domine nobis his mysteriis placatus operare. quæ nos & a terrenis purget vitiis. & ad cælestia dona perducat· per. 867

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. te deprecantes. ut tua nos gratia protegat & conservet· Et quia

sine te nihil recte valemus efficere. ipsius munere semper capiamus. ut tibi placere possimus. per Christum Dominum nostrum. 868

Post Comm.

Quos cælesti Domine dono satiasti. præsta quæsumus ut a nostris mundemur occultis. & ab hostium liberemur insidiis· per. 869

CXXXIV

DOMINICA V. POST PENTECOST.

Epistola ad Romanos.

Fratres. Scimus quia lex spiritalis est. ego autem carnalis sum venumdatus sub peccato. quod enim operor. non intellego· Non enim **403** quod volo hoc ago. sed quod odi illud facio· Si autem quod illud facio. consentio legi quoniam bona est· Nunc autem iam non ego operor illud. sed quod habitat in me peccatum· Scio enim quia non habitat in me. hoc est in carne mea bonum· Nam velle adiacet mihi. perficere autem bonum non invenio· Non enim quod volo bonum hoc facio. sed quod nolo malum hoc ago· Si autem quod nolo illud facio. non ego operor illud. sed quod habitat in me peccatum· Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum. quoniam mihi malum adiacet· Condelector enim lege Dei secundum interiorem hominem· Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legis mentis meæ & captivantem me in lege peccati. quæ est in membris meis· Infelix ego homo. quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ihesum Christum Dominum nostrum.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. factum est dum iret Dominus Ihesus in Ierusalem. transiebat per mediam Samariam. & Galileam· Et cum ingrederetur quoddam castellum. occurrerunt ei decem viri leprosi· Qui steterunt a longe. & levaverunt vocem **404** dicentes· Ihesu præceptor miserere nostri· Quos ut vidit dixit· Ite ostendite vos sacerdotibus· Et factum est dum irent mundati sunt· Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est. regressus est cum magna voce magnificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius. gratias agens. & hic erat Samaritanus· Respondens autem Ihesus dixit· Nonne decem mundati sunt. & novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret & daret gloriam Deo. nisi hic alienigena· Et ait illi· Surge vade. quia fides tua te salvum fecit·

CXXXV

DOMINICA VI POST PENTECOST.

Epistola ad Romanos.

Fratres. Obsecro vos per misericordiam Dei. ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. sanctam Deo placentem. rationabile obsequium vestrum· Et nolite conformari huic sæculo. sed reformamini in novitate sensus vestri. ut probetis quæ sit voluntas Dei. bona & beneplacens. & perfecta· Dico enim per gratiam quæ data est mihi. omnibus qui sunt inter vos non plus sapere quam oportet sapere. sed sapere ad sobrietatem· Et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.

[*Secundum Lucam.*]

In illo tempore. Locutus est Dominus Ihesus parabolam hanc ad turbas. & ad discipulos suos dicens· **405** Homo quidam fecit cænam magnam. & vocavit multos· Et misit servum suum hora cenæ dicere invitatis. ut venirent. quia iam parata sunt omnia· Et cœperunt simul omnes excusare· Primus dixit ei· Villam emi. & necesse habeo exire. & videre illam· Rogo te habe me excusatum· Et alter dixit· Iuga boum emi quinque. & eo probare illa. rogo te habe me excusatum· Et alius dixit· Uxorem duxi. & ideo non possum venire· Et reversus servus nuntiavit hæc domino suo· Tunc iratus pater familias dixit servo suo· Exi cito in plateas & vicos civitatis. & pauperes ac debiles. & cæcos & claudos introduc huc· Et ait servus· Domine factum est ut imperasti. & adhuc locus est· Et ait Dominus servo· Exi in vias. & circa sæpes. & compelle intrare ut impleatur domus mea· Dico autem vobis quod nemo virorum illorum qui vocati sunt gustabunt cænam meam.

CXXXVI

DOMINICA VII POST PENTECOST.

Epistola ad Romanos.

Fratres. Unum corpus sumus in Christo Ihesu. singuli autem alter alterius membra. Habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis differentes. sive prophetiam secundum rationem fidei. sive **406** mynisterium in ministrando. sive qui docet in doctrina· Qui exhortatur in exortando. qui tribuit in simplicitate. qui preest in sollicitudine. qui miseretur in hylaritate· Dilectio sine simulatione· Odientes malum. adhærentes bono· Caritatem fraternitatis invicem diligentes· Honorem mutuo prævenientes. sollicitudine non pigri· Spiritu ferventes Domino servientes· Spe gaudentes. in tribulatione patientes· Orationi instantes memoriis sanctorum communicantes· Hospitalitatem sectantes· Benedicite persequentibus vos. benedicite. & nolite maledicere· Gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus· Idipsum invicem sentientes. non alta sapientes. sed humilibus consentientes.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Egrediente Domino Ihesu ab Iericho. secutæ sunt eum turbæ multæ· Et ecce duo cæci sedentes secus viam audierunt quia Ihesus transiret clamaverunt dicentes· Domine

miserere nostri fili David· Turba autem increpabat eos ut tacerent· At illi magis clamabant dicentes· Domine miserere nobis fili David· Et stetit Ihesus. & vocavit eos. & ait· Quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi· Domine ut aperiantur **407** oculi nostri· Misertus autem eorum Ihesus. tetigit oculos eorum. & confestim viderunt. & secuti sunt eum.

CXXXVII

DOM. VIII. POST PENTECOST.

Epistola ad Galatas.

Fratres. Nolite errare. Deus non irridetur· Quæ enim seminaverit homo. hæc & metet· Quoniam qui seminat in carne sua. de carne metet corruptionem· Qui autem seminat in Spiritu. de Spiritu metet vitam æternam· Bonum autem facientes non deficiamus. Tempore enim suo metemus non deficientes· Ergo dum tempus habemus. operemur bonum ad omnes. maxime autem ad domesticos fidei.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Erant appropinquantes ad Dominum Ihesum publicani & peccatores. ut audirent illum· Et murmurabant pharisæi & scribæ dicentes· Quia hic peccatores recipit. & manducat cum illis· Et ait ad illos parabolam istam dicens· Quis ex vobis homo. qui habet centum oves. & si perdiderit unam ex illis. nonne dimittet nonaginta novem in deserto. & vadet ad illam quæ perierat donec inveniat illam? Et cum invenerit eam imponet in umeros suos gaudens· Et veniens domum. convocat amicos & vicinos dicens illis· Congratulamini mihi. quia inveni ovem meam quæ perierat· Dico vobis. quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore **408** pœnitentiam agente. quam super nonaginta novem iustis. qui non indigent pœnitentia· Aut quæ mulier habens dragmas decem. & si perdiderit dragmam unam. nonne accendit lucernam. & evertit domum. & quærit diligenter donec inveniat? Et cum invenerit. convocat amicas & vicinas dicens· Congratulamini mihi. qui inveni dragmam quam perdideram· Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

CXXXVIII

DOM. VIIII. POST PENTECOST.

Epistola ad Romanos.

Fratres. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ· Sicut enim exibuistis membra vestra servire immunditiæ. & iniquitati ad iniquitatem. ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiæ in sanctificationem· Cum enim servi essetis peccati. liberi fuistis iustitiæ· Quem ergo fructum habuistis tunc. in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est· Nunc ergo liberati a peccato. servi autem facti Deo. habetis fructum vestrum in sanctificationem. finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati mors. gratia autem Dei vita æterna in Christo Ihesu Domino nostro.

Evangelium secundum Lucam. **409**

In illo tempore. Cum turbæ irruerent in Ihesum. ut audirent verbum Dei. & ipse stabat secus stagnum Genesar. & vidit duas naves stantes secus stagnum· Piscatores autem descenderunt. & lavavant retia· Ascendens autem in unam navem quæ erat Symonis. rogavit eum. ut a terra reduceret pusillum· Et sedens docebat de navicula turbas· Ut cessavit autem loqui dixit ad Symonem· Duc in altum. & laxate retia vestra in capturam· Et respondens Symon dixit illi· Preceptor per totam noctem laborantes nihil cepimus. in verbo autem tuo laxabo rete· Et cum hoc fecissent. concluserunt piscium multitudinem copiosam· Rumpebantur autem retia eorum· Et annuerunt sociis. qui erant in alia navi. ut venirent & adiuvarent eos· Et venerunt & impleverunt ambas naviculas. ita ut mergerentur· Quod cum videret Symon Petrus. procidit ad genua Ihesu dicens· Exi a me. quia homo peccator sum Domine· Stupor enim circumdederat eum. & omnes qui cum illo erant [in] captura piscium. quam cœperant· Similiter autem Iacobum & Iohannem **410** filios Zebedei. qui erant socii Symonis· Et ait ad Symonem Ihesus· Noli timere ex hoc iam homines eris capiens· Et subductis ad terram navibus. relictis omnibus secuti sunt eum.

CXXXIX

DOM. X. POST PENTECOST.

Epistola ad Colossenses.

Fratres. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram· Fornicationem. immunditiam. libidinem concupiscentiam malam. & avaritiam. quæ est idolorum servitus· Propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis in quibus & vos ambulastis aliquando cum viveretis in illis· Nunc autem deponite vos omnia. iram. indignationem. malitiam. blasphemiam. turpem sermonem de ore vestro· Nolite mentiri invicem. expoliantes vos veterem hominem cum actibus eius. & induentes novum. eum qui renovatur in agnitionem. secundum imaginem eius. qui creavit eum· Ubi non est gentilis & Iudæus. circumsisio & præputium. barbarus & Scyta. servus & liber. sed omnia. & in omnibus Christus.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Accessit ad Dominum Ihesum quidam homo dicens· Magister dic fratri meo. ut dividat mecum hereditatem· At ille dixit ei· Homo. quis me constituit iudicem. aut divisorem **411** super vos? Dixitque ad illos· Videte & cavete ab omni avaritia· Quia non in habundantia cuius-

quam vita eius est. ex his quæ possidet· Dixit autem & similitudinem ad illos dicens· Hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit & cogitabat intra se dicens· Quid faciam. quod non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit· Hoc faciam· Destruam horrea mea. & maiora faciam. & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi. & bona mea· Et dicam animæ meæ· Anima habes multa bona posita in annos plurimos. requiesce. comede. bibe. epulare· Dixit autem illi Deus· Stulte hac nocte animam tuam repetunt a te. quæ autem parasti cuius erunt? Sic est omnis qui sibi thesaurizat. & non est in Deum dives.

CXL

DOM. XI. POST PENTECOST.

Ad Corinthios. I.

Fratres. Nescitis quoniam angelos iudicabimus. quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur iudicia si habueritis contemptibiles qui sunt in ecclesia. illos constituite ad iudicandum· Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam. qui possit iudicare inter fratrem suum. sed frater cum fratre iudicio **412** contendit· Et hoc apud infideles· Iam quidem omnino delictum est in vobis quod iudicia habetis inter vos· Quare non magis iniuriam accipitis. quare non magis fraudem patimini? Sed vos fraudatis. & iniuriam facitis & hoc fratribus· An nescitis. quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicari. neque idolis servientes. neque adulteri. neque molles. neque masculorum concubitores. neque fures. neque avari. neque ebriosi. neque maledici. neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc quidam fuistis. sed abluti estis. sed sanctificati estis. sed iustificati estis. in nomine Domini nostri Ihesu. & in Spiritu Dei nostri.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Locutus est Dominus Ihesus ad quosdam qui in se confidebant tamquam iusti. & aspernabantur ceteros. parabolam istam dicens· Duo homines ascenderunt in templum ut orarent. Unus pharisæus. & alter publicanus· Pharisæus stans hæc apud se orabat· Deus gratias ago tibi. quia non sum sicut ceteri homines· Raptores. iniusti. adulteri. velut etiam hic publicanus· Ieiuno bis in sabbato. decimas do omnium quæ possideo· Et publicanus a longe stans. nolebat nec oculos ad cælum **413** levare. sed percutiebat pectus suum dicens· Deus propitius esto mihi peccatori· Amen dico vobis descendit hic iustificatus in domum suam ab illo· Quia omnis qui se exaltat humiliabitur. & qui se humiliat exaltabitur.

CXLI

DOM. XII. POST PENTECOST.

Epistola ad Romanos.

Fratres. Nolite fieri prudentes apud vosmetipsos. nulli malum pro malo reddentes. providentes bona non tantum coram Deo sed etiam coram omnibus hominibus· Si fieri potest quod ex vobis est. cum omnibus hominibus pacem habentes· Non vosmetipsos vindicantes carissimi. sed date locum ire· Scriptum est enim. mihi vindictam. ego retribuam dicit Dominus. Sed si esurit inimicus tuus. ciba illum. si sitit. potum dá illi. Hoc enim faciens. carbones ignis congeris super caput eius· Noli vinci malo. sed vince in bono malum.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Amen dico vobis. nisi habundaverit iustitia vestra plusquam scribarum & pharisæorum. non intrabitis in regnum cælorum· Audistis quia dictum est antiquis. non occides? Qui autem occiderit. reus erit iudicio· Ego autem dico vobis. **414** quia omnis qui irascitur fratri suo. reus erit iudicio· Qui autem dixerit fratri suo racha. reus erit concilio· Qui autem dixerit fatue. reus erit gehenne ignis· Si ergo afferes munus tuum ad altare. & ibi recordatus fueris. quia frater tuus habet aliquid adversum te. relinque ibi munus tuum ante altare. & vade prius reconciliare fratri tuo· Et tunc veniens offers munus tuum.

CXLII

DOM. XIII. [POST PENTECOST.]

Epistola ad Romanos.

Fratres. Sicut per unum hominem. peccatum in hunc mundum intravit. & per peccatum mors. ita in omnes homines mors pertransiit. in quo omnes peccaverunt· Usque ad legem enim peccatum erat in mundo· Peccatum autem non imputatur cum lex non est· Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen. etiam in eos qui non peccaverunt. in similitudine prævaricationis Adæ. qui est forma futuri· Sed non sicut delictum. ita & donum Dei. Si enim in unius delicto multi mortui sunt. multo magis gratia Dei & donum. in gratia unius hominis Ihesu Christi in plures habundavit· Et non sicut per unum peccantem. ita & donum· Nam iudicium ex uno in condemnationem. gratia autem ex multis delictis in iustificationem· Si enim **415** in unius delicto mors regnavit per unum. multo magis habundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes in vitam regnabunt per unum Ihesum Christum.

Evangelium secundum Marcum.

In illo tempore. Cum turba multa esset cum Ihesu. nec haberent quod manducarent. Convocatis discipulis suis ait illis· Misereor super turba. quia ecce iam triduo sustinent me. nec habent quod manducent· Et si dimisero eos ieiunos in domum suam. deficient in via· Quidam enim ex eis de longe venerunt· Et responderunt ei discipuli sui· Unde istos poterit quis hic saturare panibus in solitudine? & interrogavit eos· Quot panes habetis? qui dixerunt septem· Et præcepit turbæ

recumbere supra terram· Et accipiens septem panes. gratias agens fregit. & dabat discipulis suis ut apponerent· Et apposuerunt turbæ· Et habebant paucos pisces. & ipsos benedixit. et iussit apponi· Et manducaverunt. & saturati sunt· Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas· Erant autem qui manducaverunt quasi quatuor milia & dimisit eos.

CXLIII

DOM. XIIII. [POST PENTECOST.]

Epistola ad Hebreos.

416 Fratres· Obedite præpositis vestris. & subiacete eis· Ipsi enim pervigilant. quasi rationem pro animabus vestris reddituri ut cum gaudio hoc faciant & non ingemescentes· Hoc enim expedit vobis· Orate pro nobis· Confidimus enim quia bonam conscientiam habemus. in omnibus benevolentes conversari· Amplius autem deprecor vos hoc facere. quod celerius restituar vobis· Deus autem pacis. qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni Dominum nostrum Ihesum Christum. aptet vos in omni bono. ut faciatis voluntatem eius. faciens in vobis quod placeat coram se per Ihesum Christum. cui est honor & gloria in sæcula sæculorum.

Evangelium secundum Marcum.

In illo tempore. Exiens Dominus Ihesus de finibus Tyri. venit per Sydonem ad mare Galileæ. inter medios fines Decapoleos· Et adducunt ei surdum. & mutum. & deprecantur eum. ut imponat illi manum· Et apprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas eius. & expuens tetigit linguam eius & suspiciens in cælum ingemuit. & ait illi· Epheta. quod est adaperire· Et statim apertæ sunt aures eius. & solutum est vinculum linguæ eius. & loquebatur recte· Et præcepit illis ne cui dicerent· 417 Quanto autem eis præcipiebat. tanto magis plus prædicabant. & eo amplius admirabantur dicentes· Bene omnia fecit. & sordos fecit audire. & mutos loqui.

CXLIV

DOM. XV. [POST PENTECOST.]

Epistola ad Hebreos.

Fratres. Caritas fraternitatis maneat in vobis. & hospitalitatem nolite oblivisci· Per hanc enim placuerunt quidam. angelis hospicio receptis· Mementote vinctorum. tamquam simul vincti. & laborantium. tamquam & ipsi in corpore morantes· Honorabile conubium in omnibus. & torus inmaculatus· Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus· Sint mores sine avaritia contenti præsentibus· Ipse enim Dominus dixit. non te deseram. neque derelinquam. ita ut confidenter dicamus· Dominus mihi adiutor est. & non timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum. qui vobis locuti sunt verbum Dei. quorum intuentes exitum conversationis. imitamini fidem· Christus Ihesus heri & hodie. ipse & in sæcula.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Christus Ihesus ibat Ihesus in civitatem. quæ vocatur Naim. & ibant cum illo discipuli eius. & turba copiosa. Cum autem appropinquarent portæ civitatis ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ· Et hæc vidua erat. 418 & turba civitatis multa cum illa· Quam cum vidisset Dominus. misericordia motus super eam dixit illi· Noli flere· Et accessit. & tetigit loculum· Hi autem qui portabant steterunt· Et ait· Adulescens tibi dico surge? Et resedit qui erat mortuus. & cœpit loqui. & dedit illum matri suæ· Cœpit autem omnes timor. & magnificabant Deum dicentes· Quia propheta magnus surrexit in nobis. & quia Deus visitavit plebem suam.

CXLV

DOM. XVI. POST PENTECOST.

Epistola ad Ephesios.

Fratres. Nemo vos seducat inanibus verbis· Propter hæc venit ira Dei in filios diffidentiæ· Eratis enim aliquando tenebræ. nunc autem lux in Domino. ut filii lucis ambulate· Fructus enim lucis est in omni bonitate. & iustitia. & veritate. probantes quid sit beneplacitum Deo· Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum. magis autem & redarguite· Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis. turpe est & dicere· Omnia autem quæ arguuntur a lumine manifestantur· Omne enim quod manifestatur. lumen est· Propter quod dicit. surge qui dormis. & 419 exurge a mortuis. & inluminabit te Christus.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Cum appropinquaret Dominus Ihesus Ierusalem. videns civitatem flevit super illam dicens· Quia si cognovisses & tu· Et quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi· Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis· Quia venient dies in te. & circumdabunt te inimici tui vallo. & circumdabunt te. & coangustabunt te undique. & ad terram prosternent te. & filios tuos qui in te sunt· Et non reliquent in te lapidem super lapidem. eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ· Et ingressus templum. cœpit eicere vendentes in illo. & ementes dicens illis· Scriptum est. quia domus mea domus orationis vocabitur· Vos autem fecistis eam speluncam latronum· Et erat docens cotidie in templo.

CXLV BIS

DOM. POST DECOLLATIONEM SANCTI IOHANNIS EVANGELISTÆ. (*sic.*)

Secundum Lucam.

In illo tempore. Audivit Herodes tetrarcha omnia quæ fiebant a Domino Ihesu. & hesitabat

eo quod diceretur a quibusdam. quia Iohannes surrexit a mortuis. a quibusdam vero quia Helias apparuit. ab aliis autem quia propheta unus de antiquis surrexit· Et ait Herodes· Iohannem ego decollavi. quis autem est iste. de quo **420** audio ego talia? & quærebat videre eum· Et reversi apostoli narraverunt illi quæcumque fecerunt· Et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum. qui est Bethsaida· Quod cum cognovissent turbæ secutæ sunt illum· Et excœpit illos & loquebatur illis de regno Dei. & eos qui cura indigebant. sanabat.

CXLVI

DOM. XVII. POST PENTECOST.

Epistola ad Corinthios II.

Fratres. gratias Deo qui dedit optimam sollicitudinem pro vobis in corde Titi· Quoniam exortationem quidem suscepit· Sed cum sollicitior esset. sua voluntate profectus est ad vos· Misimus etiam cum illo fratrem. cuius laus est in evangelio. per omnes ecclesias· Non solum autem sed & ordinatus est ab ecclesiis comes peregrinationis nostræ. in hac gratia quæ ministratur a nobis. ad ipsius Domini gloriam & destinatam voluntatem nostram. devitantes hoc. ne quis nos vituperet in hac plenitudine. quæ ministratur a nobis· Providemus enim bona non solum coram Deo. sed etiam coram hominibus.

Secundum Mathæum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Attendite a falsis prophetis. qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. intrinsecus autem **421** sunt lupi rapaces· A fructibus eorum cognoscetis eos· Numquid colligunt de spinis uvas. aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit· Mala autem arbor fructus malos facit· Non potest arbor bona fructus malos facere. neque arbor mala fructus bonos facere· Omnis arbor. quæ non facit fructum bonum. excidetur & in igne mittetur· Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos· Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum. sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est. ipse intrabit in regnum cælorum.

CXLVII

DOM. XVIII. [POST PENTECOST.]

Epistola ad Ephesios.

Fratres. Obœdite parentibus vestris in Domino· Hoc enim iustum est· Honora patrem tuum & matrem tuam. quod est mandatum primum in promissione. ut bene sit tibi. & sis longævus super terram· Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros. sed educate illos in disciplina. & correptione Domini· Servi obœdite dominis carnalibus cum timore & tremore. in simplicitate cordis vestri. sicut Christo. non ad oculum servientes quasi hominibus placentes. sed ut servi Christi. facientes voluntatem Dei ex animo cum bona **422** voluntate. servientes. sicut Domino & non hominibus· Scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum. hoc recipiet a Domino sive servus. sive liber· Et vos domini eadem facite illis remittentes minas. scientes quia & illorum. & vester Dominus est in cælis.

Secundum Lucam.

In illo tempore· Accessit ad Dominum Ihesum quidam homo legisperitus. temptans illum & dicens· Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum· In lege quid scriptum est. quomodo legis? Ille respondens dixit· Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. & ex tota anima tua. & ex omnibus viribus tuis. & ex omni mente tua. & proximum tuum sicut teipsum· Dixitque illi· Recte respondisti· Hoc fac. & vives? Ille autem volens iustificare seipsum dixit ad Ihesum· Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Ihesus dixit· Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho. & incidit in latrones· Qui etiam dispoliaverunt eum. & plagis impositis abierunt semivivo relicto· Accidit autem & sacerdos quidam descenderet eandem viam. & viso illo præterivit· Similiter & levita cum esset secus locum. & videret. **423** eum pertransivit· Samaritanus autem quidam iter faciens. venit secus eum. & videns eum misericordia motus est. & approprians alligavit vulnera eius infundens in oleum & vinum· Et imponens illum in iumentum suum duxit in stabulum. & curam eius egit· Et altera die protulit duos denarios. & dedit stabulario. & ait· Curam illius habe. & quodcumque supererogaveris. ego cum rediero reddam tibi· Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi· qui incidit in latrones? At ille dixit· Qui fecit misericordiam in illum· Et ait illi Ihesus· Vade & tu fac similiter.

CXLVIII

DOM. XVIIII [POST PENTECOSTEN.]

Ad Philippenses.

Fratres. Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri semper in cunctis orationibus meis pro omnibus vobis. cum gaudio deprecationem faciens super communicatione vestra in evangelio a prima die usque nunc· Confidens hoc ipsum quia qui cœpit in vobis opus bonum. perficiet usque in diem Christi Ihesu. Sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus vobis. eo quod habeam in corde vos & in vinculis meis. & defensione. & confirmatione evangelii socios gaudii mei omnes vos esse· Testis enim mihi est Deus. quomodo cupiam vos omnes in visceribus Ihesu Christi· Et hoc oro ut caritas vestra magis ac magis **424** abundet in scientia. & omni sensu. ut probetis potiora. & sitis sinceri & sine offensa in die Christi. repleti fructu iustitiæ per Ihesum Christum in gloriam & laudem Dei.

Secundum Matheum.

In illo tempore· Videns Dominus Ihesus arborem fici unam secus viam. venit ad eam. & nihil invenit in ea. nisi folia tantum. Et ait illi· Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum· Et arefacta est continuo ficulnea· Et videntes discipuli mirati sunt dicentes· quomodo continuo aruit? Respondens autem Ihesus ait illis· Amen dico vobis si habueritis fidem. & non hæsitaveritis. non solum de ficulnea facietis. sed si monti huic dixeritis. tolle & mitte te in mare. fiet· Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes. accipietis.

CXLIX

DOM. XX. [POST PENTECOST.]

Epistola ad Colossenses.

Fratres. Omne quodcumque facitis in verbo. aut in opere. omnia in nomine Domini Ihesu. gratias agentes Deo & Patri per ipsum· Mulieres subditæ estote viris sicut oportet in Domino. Viri diligite uxores vestras. & nolite amari esse ad illas· Filii obœdite parentibus per omnia· Hoc enim placitum est in Domino. patres nolite ad indignationem provocare filios vestros. ut non pusillo animo **425** fiant· Servi obœdite per omnia dominis carnalibus non ad oculum servientes. quasi hominibus placentes. sed in simplicitate cordis timentes Dominum· Quodcumque facitis ex animo operamini. sicut Domino & non hominibus. scientes quod a Domino accipietis retributionem hereditatis· Domino Christo servite· Qui enim iniuriam facit. recipit id quod inique gessit· Et non est personarum acceptio apud Deum· Domini quod iustum est & æquum servis prestate. scientes quoniam & vos Dominum habetis in cælo· Orationi instantes. vigilantes in ea in gratiarum actione. orantes simul & pro vobis. ut Deus aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi. propter quod etiam vinctus sum. ut manifestem illud ita ut oportet me loqui· In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt tempus redimentes· Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Locutus est Dominus Ihesus parabolam hanc ad turbas. & ad discipulos suos· Homo quidam erat paterfamilias qui plantavit vineam. & sæpe circumdedit ei. & fodit in ea torcular. & ædificavit turrem. & locavit **426** eam agricolis. & peregre profectus est· Cum autem tempus fructuum appropinquasset. misit servos suos ad agricolas. ut acciperent fructus eius· Et agricolæ apprehensis servis eius alium ceciderunt. alium occiderunt. alium vero lapidaverunt· Iterum misit alios servos plures prioribus & fecerunt illis similiter· Novissime autem misit ad eos filium suum dicens· Verebuntur filium meum· Agricolæ autem videntes filium. dixerunt intra se· Hic est heres. venite occidamus eum. & habebimus hereditatem eius· Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam & occiderunt· Cum ergo venerit dominus vineæ quid faciet agricolis illis? Aiunt illi· Malos male perdet. & vineam locabit aliis agricolis. qui reddant ei fructum temporibus suis· Dicit illis Ihesus· Numquam legistis in Scripturis. lapidem quem reprobaverunt ædificantes. hic factus est in caput anguli. a Domino factum est istud. & est mirabile in oculis nostris· Ita dico vobis. quia auferetur a vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius· Et qui ceciderit super lapidem istum confringetur. super quem autem ceciderit conteret eum· **427** Et cum audissent principes sacerdotum & pharisæi parabolas eius cognoverunt quod de ipsis diceret. & quærentes eum tenere timuerunt turbas. quoniam sicut prophetam eum habebant.

CL

DOM. XXI. POST PENTECOST.

Epistola ad Corinthios. I.

Fratres. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. ut obœdiatis concupiscentiis eius· Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. sed exhibete vos Deo tamquam ex mortuis viventes. & membra vestra arma iustitiæ Deo· Peccatum enim vobis non dominabitur· Non enim sub lege estis. sed sub gratia· Quid ergo? Peccavimus. quoniam non sumus sub lege. sed sub gratia? Absit· Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obœdiendum servi estis eius. cui obœdistis· Sive peccati in mortem. sive obœditionis ad iustitiam? gratias autem Deo quod fuistis servi peccati obœdistis autem ex corde in eam formam doctrinæ. in qua traditi estis· Liberati autem a peccato. servi facti estis iustitiæ·

Secundum Lucam.

In illo tempore· Dicebat Dominus Ihesus similitudinem hanc ad turbas. & ad discipulos suos· Arborem fici habebat quidam homo plantatam in vinea sua· Et venit quærens fructum in illa **428** & non invenit· Dixit autem ad cultorem vineæ· Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac. & non invenio· Succide ergo illam· Ut quid etiam terram occupat? At ille respondens dixit illi· Domine dimitte illam & hoc anno usque dum fodiam circa illam. & mittam stercora· Et si quidem fecerit fructum. sin autem in futurum succides eam· Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. & ecce mulier quædam habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo· Et erat inclinata nec omnino poterat sursum respicere· Quam cum videret Ihesus vocavit ad se. & ait illi· Mulier dimissa es ab infirmitate tua· Et imposuit illi manus & confestim erecta est. & glorificabat Deum· Respondens autem archisynagogus. indignans quia sabbato curaret Ihesus. dicebat turbæ· Sex dies sunt. in

quibus oportet operari· In his ergo venite. & curamini. & non in die sabbati· Respondens autem ad illum Dominus dixit· Hypocritæ. unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum. aut asinum a præsepio. & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ. quam alligavit satanas. ecce decem & octo annis non oportuit solvi **429** a vinculo isto die sabbati? Et cum hæc diceret. erubescebant omnes adversarii eius· Et omnis populus gaudebat in universis quæ gloriose fiebant ab eo.

CLI

DOM. XXII. [POST PENTECOST.]

Ad Romanos.

Fratres· Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit· Non est enim potestas nisi a Deo· Quæ autem sunt. a Deo ordinatæ sunt· Itaque qui resistit potestati. Dei ordinationi resistit· Qui autem resistunt. ipsi sibi damnationem adquirunt· Nam principes non sunt timoris boni operis. sed mali· Vis autem non timere potestatem? Bonum fac. & habebis laudem ex illa· Dei enim minister est tibi in bonum· Si autem malum feceris. time· Non enim sine causa gladium portat· Dei enim minister est vindex in iram. ei qui malum agit· Ideoque necessitate subditi estote. non solum propter iram. sed propter conscientiam· Ideo enim & tributa prestatis· Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum deservientes· Reddite ergo omnibus debita· Cui tributum tributum cui vectigal vectigal. cui timorem timorem. cui honorem honorem· Nemini quicquam debeatis. nisi ut invicem diligatis.

Secundum Lucam.

In illo tempore factum est cum intraret Dominus Ihesus **430** in domum cuiusdam principis pharisæorum sabbato manducare panem. & ipsi observabant eum· Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum· Et respondit Ihesus dixit ad legisperitos. & pharisæos dicens· Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt· Ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit· Et respondens ad illos dixit· Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadit. & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi· Dicebat autem & ad invitatos parabolam. intendens quomodo primos accubitos eligerent. dicens ad illos· Cum invitatus fueris ad nuptias. non discumbas in primo loco. ne forte honoratior te sit invitatus ab eo. & veniens is qui te & illum vocavit dicat tibi· Da huic locum· Et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere· Sed cum vocatus fueris. vade recumbe in novissimo loco· Ut cum venerit qui te invitavit dicat tibi· Amice ascende superius· Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus· Quia omnis qui se exaltat humiliabitur. & qui se humiliaverit exaltabitur.

CLI BIS

431. DOM. ANTE DEDICATIONEM ECCLESIÆ

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Perrexit Dominus Ihesus in montem Oliveti. & diluculo iterum venit in templum· Et omnis populus venit ad eum & sedens docebat eos· Adducunt autem scribæ & pharisæi mulierem in adulterio deprehensam· Et statuerunt eam in medio. & dixerunt ei· Magister hæc modo deprehensa est in adulterio· In lege autem Moyses mandabit nobis huiusmodi lapidare· Tu ergo quid dicis? Hæc autem dicebant temptantes eum ut possint accusare eum. Ihesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra· Cum autem perseverarent interrogantes eum erexit se. & dixit eis· Qui sine peccato est vestrum. primus in illam lapidem mittat· Et iterum se inclinans scribebat in terra· Audientes autem illi. unus post unum exiebant. incipientes a senioribus. & remansit solus· Et mulier in medio stans· Erigens autem se Ihesus dixit ei· Mulier ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? Quæ dixit nemo Domine· Dixit autem Ihesus· Nec ego te condemnabo. vade. & amplius noli peccare.

CLII

DOM I. POST DEDICATIONEM ECCLESIÆ.

Epistola ad Corinthios. I.

432 Fratres. Omnes nos in unum corpus baptizati sumus. sive Iudæi. sive Greci. sive servi. sive liberi. & omnes uno spiritu potati sumus· Nam & corpus non est unum membrum. sed multa· Si autem dixerit pes non sum manus non sum de corpore. non ideo non est de corpore. Et si dixerit auris. quia non sum oculus. non sum de corpore. non ideo non est de corpore· Si totum corpus oculus. ubi est auditus? Si totum auditus. ubi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra unumquodque eorum in corpore. sicut voluit· Quod si essent omnia unum membrum. ubi corpus? Nunc autem multa quidem membra. sed unum corpus· Non potest autem dicere oculus manui. opera tua non indigeo. aut iterum capud pedibus non estis mihi necessarii. sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse. necessariora sunt· Et quæ putamus ignobiliora esse membra corporis. his honorem abundatiorem circumdamus. Et quæ inhonesta sunt nostra abundatiorem honestatem habent· Honesta autem nostra. nullius egent· Sed Deus temperavit corpus ei cui deerat. abundatiorem tribuendo honorem.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Locutus est Dominus Ihesus discipulis suis **433** parabolam hanc· Simile est regnum cælorum homini regi. qui voluit rationem ponere cum servis suis· Et cum cœpisset rationem ponere oblatus est eis unus qui debebat decem milia talenta· Cum autem non haberet unde

redderet. iussit eum dominus venumdari. & uxorem eius. & filios. & omnia quæ habebat. & reddi· Procidens autem servus ille orabant eum dicens· Domine patientiam habe in me & omnia reddam tibi· Misertus autem dominus servi illius dimisit eum. & debitum dimisit ei· Egressus autem servus ille. invenit unum de conservis suis. qui debebat ei centum denarios. & tenens suffocabat eum dicens· Redde quod debes· Et procidens conservus eius rogabat eum dicens· Patientiam habe in me. & omnia reddam tibi· Ille autem noluit· Sed abiit & misit eum in carcerem donec redderet debitum· Videntes autem conservi eius quæ fiebant contristati sunt valde· Et venerunt. & narraverunt domino suo omnia quæ facta fuerant· Tunc vocavit illum dominus suus. & ait illi· Serve nequam omne debitum dimisi tibi. quoniam rogasti me· Non ergo oportuit & te miserere conservi tui. sicut & ego tui misertus sum? & iratus dominus **434** eius. tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum· Sic & Pater meus cælistis faciet vobis si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

CLIII

DOM. II. POST DEDICATIONEM ECCLESIÆ.

(1) *Evangelium secundum Matheum.*

In illo tempore. Abeuntes pharisæi concilium inierunt. ut caperent Dominum Ihesum in sermone· Et mittunt ei discipulos suos. cum herodianis dicentes· Magister scimus quia verax es & viam Dei in veritate doces. & non est tibi cura de aliquo· Non enim respicis personam hominum· Dic ergo nobis quid tibi videtur· Licet censum dari Cæsari. an non? Cognita autem Ihesus nequitia eorum ait. Quid me temptatis hypocritæ· Ostendite mihi nomisma census· At illi optulerunt ei denarium. Et ait illis Ihesus· Cuius est imago hæc· & superscriptio? Dicunt ei· Cæsaris? Tunc ait illis· Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari. & quæ sunt Dei Deo.

CLIV

DOM. III. POST DEDICATIONEM ECCLESIÆ.

Secundum Matheum.

In illo tempore· Loquebatur Dominus Ihesus in parabolis discipulis suis. & turbis Iudæorum· Simile factum est regnum cælorum homini regi. qui fecit nuptias filio suo· Et misit servos suos **435** vocare invitatos ad nuptias. & nolebant venire· Iterum misit alios servos dicens· Dicite invitatis. ecce prandium meum paravi. tauri mei & altilia occisa. & omnia parata sunt. venite ad nuptias· Illi autem neglexerunt· Et abierunt alius in villam suam. alios vero ad negotiationem suam· Reliqui vero tenuerunt servos eius. & contumelia affectos occiderunt· Rex autem cum audisset iratus est & missis exercitibus suis. perdidit homicidas illos. & civitatem illorum succendit· Tunc ait servis suis· Nuptiæ quidem paratæ sunt. sed qui invitati fuerant. non fuerunt digni venire· Ite ergo ad exitus viarum. & quoscumque inveneritis vocate ad nuptias· Et egressi servi eius in vias congregaverunt omnes quos invenerunt bonos & malos. & impletæ sunt nuptiæ discumbentium· Intravit autem rex ut videret discumbentes. & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali· Et ait illi· Amice quomodo huc intrastis. non habens vestem nuptialem? Ait ille ommutuit· Tunc dicit rex ministris· Alligatis pedibus eius & manibus mittite eum in tenebras exteriores. **436** ibi erit fletus & stridor dentium· Multi autem sunt vocati. pauci vero electi.

CLV

IIII. ID. MARTII.

DEPOSITIO SANCTI GREGORII PAPÆ.

Oratio super populum.

Concede quæsumus Domine fidelibus tuis. digne sancti Gregorii pontificis tui celebrare mysteria· Ut eius quæ fideliter exequuntur. & hic experiamur auxilia. & æternis affectibus apprehendant· per. 870

Epistola et Evangelium de Confessorum.

Super Sindonem.

Infirmitatem nostram respice omnipotens Deus· Ut quia nos pondus propriæ actionis gravat. beati Gregorii pontificis tui intercessio nos gloriosa protegat· per. 871

Super Oblata.

Hostias Domine quas nomini tuo sacrandas offerimus sancti Gregorii prosequatur oratio. quam nos expiari facias. & defendi· per. 872

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus· Quia sic tribuis ecclesiam tuam sancti Gregorii pontificis tui commemoratione gaudere. ut eam semper illius & festivitate lætifices & exemplo piæ conversationis exerceas. grataque tibi supplicatione tuearis. per. 873

Post Comm.

Prestent nobis Domine quæsumus tua sancta præsidia. quæ intervenientibus beati Gregorii meritis **437** ab omnibus nos absolvant a peccatis· per. 874

CLVI

DIE XXI. MENSIS MARTII.

SANCTI BENEDICTI ABBATIS.

[*Super populum.*]

Aures tuas quæsumus Domine precibus nostris inclina. Ut qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur. intercedente confessore tuo Benedicto. tua gratia liberemur· per. 875

(1) In margine legitur : *Epistolam require ante dedicationem.* Omnis anima potestatibus. (cf. supra, CLI.)

Alia.

Deus qui nos beati Benedicti confessoris tui annua solemnitate lætificas. concede propitius ut cuius natalicia colimus. per eius apud te exempla gradiamur· per. 876

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus qui glorioso in beati Benedicti abbatis exemplo. humilitatis triumphale nobis ostendisti iter. da quæsumus ut viam tibi placitæ obœdientiæ per quam ille venerabilis pater inlæsus antecedebat. nos præclaris eius meritis adiuti. sine errore subsequamur· per. 877

Super Oblata.

Paternis intercessionibus magnifici pastoris Benedicti. quæsumus. familiæ tuæ omnipotens Deus commendetur oblatio. cuius vitalibus decoratur exemplis· per. 878

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus. & gloriam tuam profusis precibus exorare. ut sancti Benedicti patrocinio nos adiuvante. debita nomini tuo servitute placeamus per Christum. 879

[*Post Comm.*]

Perceptis Domine Deus noster sacramentis salutaribus humiliter deprecamur. ut intercedente beato **438** Benedicto abbate. quæ pro illius venerando egimus obitu. nobis proficiant ad medelam· per. 880

CLVII

DIE V. MENSIS APRILIS.

DEPOSITIO SANCTI AMBROSII EPISCOPI.

Oratio super populum.

Deus qui protector ecclesiæ tuæ gubernacula. disponenda. sic eius principes sublimastis. ut minimos quosque non deseras. præsta quæsumus ut apostolicæ fidei doctrineque vestigia vel longe sequamur imitando. quæ licet infirmo comitamur officio· per. 881

Ad Colossenses.

Fratres. Si consurrexistis cum Christo. quæ sursum sunt quærite ubi Christus est in dextera Dei sedens. quæ sursum sunt sapite. non quæ super terram· Mortui enim estis. & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra. tunc & vos apparebitis cum in illo in gloria.

Evangelium secundum Iohannem require in missa sancti Martini Ego sum pastor.

Super Sindonem.

Sancti Ambrosii nos Domine iugiter prosequatur oratio· Ut quod petitio nostra non impetrat. ipso pro nobis interveniente præstetur· per. 882

Super Oblata.

Hæc in nobis sacrificia Deus intercedente beatissimo confessore tuo Ambrosio. & actione permaneant. & operatione firmentur· per. 883

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· In cuius salutifera oportunitatis resurrectione. magnis **439** exultationibus. atque gaudiorum lætitia. totius mundi orbis exultat· Quo etiam sacratissimo sinceritatis die. almificus antistes Ambrosius. ætherium migravit ad regnum· Quem infantum caterva sacri baptimatis perfusione dicata tribunali throno decibiliter consedentem. suis digito parentibus insignabat· Et quia iam ætate vergentes obtecta piaculis lumina gestabant natorum munda corda ferentium creduli demonstratione pariter & animo existebant· O quam digna pastoralis actio declaratur in populis. quæ gloriosius in vita fulgidis prædicationum visibus rutilabat· & ideo cum. 884

Post Comm.

Hæc nos communio Domine purget a crimine. & intercedente beato sacerdote & confessore tuo Ambrosio. cælestibus remediis faciat esse consortes· per. 885

CLVIII

VIII KALENDAS APRILIS.

ANNUNTIATIO SANCTÆ MARIE.

[*Oratio super populum.*]

Omnipotens sempiterne Deus. qui coæternum tibi Filium. hodie pro mundi salute. secundum carnem. Spiritu Sancto concipiendum. angelico mynisterio beatæ Mariæ semper virginis declarasti. adesto propitius populo tuo· Ut ad eius nativitatem. pace concessa liberioribus animis occurramus· per eundem. in unitate. 886

Super Sindonem.

Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus. **440** qui per beatæ Mariæ sacri uteri divinæ gratiæ obumbrationem. universum mundum inluminare dignatus es. maiestatem tuam suppliciter exoramus· Ut quod nostris meritis non valemus obtinere. eius adipisci præsidiis mereamur· per. 887

Super Oblata.

Oblationes nostras quæsumus Domine propitiatus intende. quas in honore beatæ & gloriosæ semperque virginis Dei genetricis Mariæ annua sollemnitate deferimus· Et coæternus Spiritus Sanctus tuus qui illius viscera splendore suæ gratiæ veritatis replevit. nos ab omni facinore delictorum emundet benignus· per Dominum. in unitate. 888

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui nos mirabile mysterium & inenarrabile sacramentum. per venerabilem Mariam servare docuisti· In qua manet intacta castitas. pudor integer. firma constantia· Nam in hoc se matrem Domini fuisse cognovit. quia plus gaudii contulit. quam pudoris· Lætatur ergo quod virgo concepit. quod cæli Dominum clausis portavit visceribus. quod virgo

edidit partum· O magna clementia deitatis. quæ virum non cognovit. & mater est & post filium editum. virgo est· Duobus enim gavisa est muneribus· **441** Miratur quod peperit. lætatur quod edidit. redemptorem Christum Dominum nostrum· Quem una tecum. 889

Post Comm.

Gratiam tuam Domine mentibus nostris infunde· Ut qui angelo nuntiante. Christi Filii tui incarnationem cognovimus. per passionem eius & crucem. ad resurrectionis gloriam perducamur· per eundem. 890

Item alia Oratio.

Protege Domine famulos tuos subsidiis pacis. & beatæ Mariæ patrociniis confidentes. a cunctis hostibus redde securos· per. 891

Alia.

Beatæ & gloriosæ semperque virginis Dei genetricis Mariæ nos Domine quæsumus merita prosequamur. & tuam nobis indulgentiam semper implorent· per. 892

Alia.

Beatæ & gloriosæ semperque virginis Dei genetricis Mariæ quæsumus omnipotens Deus intercessio nos gloriosa protegat. & ad vitam perducat æternam· per. 893

Alia.

Porrige nobis Deus dexteram tuam & per intercessionem beatæ & gloriosæ semperque virginis Dei genetricis Mariæ. auxilium nobis supernæ virtutis impende· per. 894

CLIX

VIII. KALENDAS MAII.

NATAL. SANCTI GEORGII MARTYRIS.

[*Oratio super populum.*]

Fac nos quæsumus Domine beati martyris tui Georgii sollemnitatem multipliciter celebrare· Ut de tanto agonis certamine. discat populus **442** christianus & firmam solidare patientiam. & pie exultare de eius victoria· per Dominum. 895

Ad Corinthios. II.

Fratres. Nolumus vos ignorare de tribulatione nostra. quæ facta est in Asia. quoniam supra modum gravati sumus. supra virtute. ita ut tederet nos etiam vivere· Sed ipsi in nobis responsum mortis habuimus ut non simus fidentes in nobis. sed in Deo qui suscitat mortuos. qui de tantis periculis eripuit nos. & eruet in quem speramus· Quoniam & adhuc eripiet adiuvantibus & vobis in oratione pro nobis. ut ex multarum personis facierum eius quæ in nobis est donationis. per multos gratiæ agantur pro nobis· Nam gloria nostra hæc est. testimonium conscientiæ nostræ. quod in simplicitate & sinceritate Dei & non in sapientia carnali. sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. abundantius autem ad vos· Non enim alia scripsimus vobis. quam quæ legistis & cognovistis· Spero autem quod usque in finem cognoscetis sicut & cognovistis nos ex parte. quia gloria vestra sumus sicut & vos nostra in die Domini nostri Ihesu Christi.

Evangelium de uno martyre. Secundum Matheum. Qui vult post me.

[*Super Sindonem.*]

Sanctus martyr tuus Georgius quæsumus Domine nos ubique lætificet· Ut dum ei merita in præsenti festivitate recolimus. patrocinia in augmentum **443** virtutum sentiamus· per. 896

Super Oblata.

Quæsumus omnipotens Deus ut tanto placabiles nostræ sunt hostiæ. quanto sancti martyris Georgii pro cuius sollemnitate exhibentur tibi grata sunt merita· per. 897

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Qui ita humano generi mysticæ salutis remedia contulit moriendo. ut & totius doli artificem sua passione destrueret. & suis fidelibus exemplum suo pro nomine tribueret moriendi· Unde & non surdus auditor fidelissimus miles ac testis Christi Georgius dum pene tribus exactis mensibus christianitatis professio silentio tegeretur profano. solus inter christicolas intrepidus Dei Filium est confessus· Cui & tantam fidei constantiam gratia divina concessit. ut & tyrannicæ potestatis præcepta contemneret & innumerabilium non formidaret tormenta pœnarum· O felix & inclitus Domini prœliator. quem non solum temporalis regni blanda non persuasit promissio sed persecutore deluso. simulacrorum eius in habyssum portenta deiecit· Ob hoc & gentium regina Persarum crudeli a viro dictata sententia. nondum baptismi gratiam consecuta. gloriosæ passionis meruit palmam· Unde nec dubitare possumus quod rosea perfusa sanguinis unda. reseratas poli **444** ianuas precedens beatissimum Christi martyrem Georgium ingredi meruit. regnumque possidere cælorum· Hæc tua est Domine bonæ voluntatis operatio. quia salvas omnes. nec pateris ullum perire. & magna cum pietate mirabiliter cuncta disponis· & ideo cum angelis. 898

Post Comm.

Beati Georgii martyris tui Domine suffragiis exoratus. percepta sacramenti tui nos virtute defende· per. 899

CLX

KALENDIS MAII.

NAT. APOSTOLORUM PHILYPPI ET IACOBI.

Oratio super populum.

Deus qui conspicis quia nos undique mala nostra conturbant. præsta quæsumus ut beatorum apostolorum tuorum Philippi & [Iacobi] intercessio gloriosa nos protegat· per Dominum. 900

Ad Corinthios. I.

Fratres. Puto quod nos Deus apostolos novissimos ostendit tamquam morti destinatos. quia spectaculum facti sumus huic mundo. & angelis. & hominibus· Nos stulti propter Christum vos autem prudentes in Christo· Nos infirmi. vos autem fortes· Vos nobiles nos autem ignobiles· Usque in hanc horam & esurimus & sitimus. & nudi sumus. & colaphis cedimur. & instabiles sumus. & laboramus operantes manibus nostris· Maledicimur. & benedicimus· **445** Persecutionem patimur & sustinemus· Blasphemamur. & obsecramus· Tamquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsima usque adhuc· Non ut confundam vos hæc scribo. sed ut filios meos carissimos moneo· Nam si decem milia pedagogorum habeatis in Christo. sed non multos patres· Nam in Christo Ihesu per evangelium ego vos genui.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Non turbetur cor vestrum· Creditis in Deum. & in me credite· In domum Patris mei mansiones multæ sunt· Si quominus dixissem vobis quia vado parare vobis locum· Et si abiero & præparavero vobis locum. iterum venio. & accipiam vos ad meipsum· Ut ubi sum ego. & vos sitis. & quo ego vado scitis & viam scitis· Dicit ei Thomas· Domine. nescimus quo vadis. & quomodo possumus viam scire? Dicit ei Ihesus· Ego sum via. veritas & vita· Nemo venit ad Patrem. nisi per me· Si cognovissetis me. & Patrem meum utique cognovissetis· Et amodo cognoscetis eum. & vidistis eum· Dicit ei Philyppus· Domine. ostende nobis Patrem. & sufficit nobis· Dicit ei Ihesus· Tanto tempore **446** vobiscum sum. & non cognovistis me? Philyppe. qui videt [me]. vidit & Patrem· Quomodo tu dicis ostende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre. & Pater in me est? Verba quæ ego loquor vos. a me ipso non loquor· Pater autem in me manens ipse facit opera· Non credis quia ego in Patre. & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite· Amen amen dico vobis qui credit me. opera quæ ego facio & ipse faciet. & maiora horum faciet. quia ego ad Patrem vado· Et quodcumque petieritis in nomine meo hoc faciam ut glorificetur Pater in Filio· Si quid petieritis in nomine meo hoc faciam.

Super Sindonem.

Intercessionibus nos Domine quæsumus sanctorum Philyppi & Iacobi ubique confoveas· Ut eorum sacra natalicia & temporaliter frequentemus & conspiciamus æterna· per Dominum. 901

Super Oblata.

Sacrificium nostrum tibi Domine quæsumus beatorum apostolorum Philyppi & Iacobi precatio sancta conciliet· Ut in quorum honore sollemniter exhibetur mentis efficiatur acceptum. per. 902

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. quia tui est operis tuæque virtutis. ut beatorum apostolorum Philyppi & Iacobi **447** gloriosa confessio. usque in finem sæculi nobis capiat regni cælestis augmentum per Christum Dominum nostrum. 903

Post Comm.

Beatorum apostolorum Philyppi & Iacobi honore continuo Domine plebs tua semper exultet. & his præsulibus gubernentur. quorum & doctrinis gaudet & meritis· per Dominum. 904

CLXI

V. NON. MAII.

INVENTIO SANCTÆ CRUCIS.

[*Oratio super populum.*]

Deus qui in præclara salutiferæ crucis inventione passionis tuæ miracula suscitasti. concede ut vitalis ligni pretio. æternæ vitæ suffragia consequamur· Qui vivis. 905

Epistola ad Philippenses.

Fratres. Hoc sentite in vobis. quod & in Christo Ihesu· Qui cum in forma Dei esset. non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens. in similitudine hominis factus. & habitu inventus ut homo· Humiliavit seipsum factus obœdiens usque ad mortem. mortem autem crucis· Propter quod & Deus illum exaltavit. & donavit illi nomen quod est super omne nomen. ut in nomine Ihesu omne genu flectatur cælestium. & terrestrium. & infernorum & omnis lingua confiteatur. quia Dominus Ihesus Christus in gloria est Dei Patris.

Secundum Lucam.

In illo tempore· Factum est cum hæc verba **448** diceret Dominus Ihesus. extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi· Beatus venter qui te portavit. & ubera quæ suxisti· At ille dixit· Beati qui audiunt verbum Dei. & custodiunt· Turbis autem concurrentibus cœpit dicere· Generatio hæc. generatio nequam est· Signum quærit. & signum non dabitur illi. nisi signum Ionæ· Nam sicut Ionas fuit signum Ninevitis. ita erit & Filius hominis generationi isti· Regina Austri surget in iudicio cum viris generationis huius. & condemnabit illos quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis· Et ecce plusquam Salomon hic· Viri Ninevitæ surgent in iudicio cum generatione hac. & condemnabunt illam. quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Ione· Et ecce plus quam Ionas hic· Nemo lucernam accendit & in absconso ponit. neque sub modio. sed supra candelabrum. ut qui ingrediuntur lumen videant.

Super Sindonem.

Adesto familiæ tuæ clementissime Deus. ut in adversis & prosperis preces eius exaudias. & nefarias adversariorum insidias. per vexillum sanctæ crucis digneris conterere. ut perennis gaudii salutem possit te protegente mereri· per. 906

449 *Super Oblata.*

Sacrificium Domine quod immolamus placatus intende· Ut ab omni nos exuat bellorum nequitia. & per vexillum sanctæ crucis Filii tui ad conterandas potestates adversariorumque insidias. nos in tuæ protectionis securitate constituat· per eundem. 907

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. cuius hodie dudum a Iudæis abditum gloriosum inventum est vexillum· Qui protoplasti facinus. quod per ligni vetiti gustum in genus humanum derivatum est. per idem lignum simulque nostra affigens delicta delere dignatus est· Cuius typum virga tenuit in separando æquoris undas. & viam populo per Moysen præparando securam· Per cuius quoque umbram. aspera mors populis ligno deducta cucurrit. in quo pendens redemptor factus est maledictum. ut a maledicto nos eriperet legis· Cuius ligni mysterio salvari credimus omnes per eumdem Christum Dominum nostrum. 908

Post Comm.

Repleti alimonia cælesti. & spiritali poculo recreati. quæsumus omnipotens Deus ut ab hoste maligno defendas. quos per lignum sanctæ crucis Filii tui armari. & signo illo salutifero triumphare voluisti· per eumdem. 909

CLXII

450 VIII. IDUS MAII.

NAT. SANCTI VICTORIS MART.

Deus qui beatum Victorem martyrem tuum. virtute constantiæ in passione roborasti. ex eius nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundi despicere. & nulla eius adversa reformidare· per. 910

Alia.

Deus cuius virtute beatissimus Victor carcerum squalores horrificos. & dyra tyranni superavit tormenta. præsta quæsumus eiusdem intervenientibus meritis universas nos inimici insidias superare· per. 911

Alia.

Fortitudo fidelium Deus. & martyrum coronator. cuius gratia beatus Victor in diversis cruciatibus sui nominis extitit auctor. concede propitius ipsius orationum suffragiis. omnium malignarum temptationum nos esse victores· per. 912

[*Oratio super populum.*]

Deus qui laticum instar gelidorum. plumbi ardorem mutasti. ne gloriosi martyris tui Victoris corpus exureret. tribue quæsumus ut ipso pro nobis interveniente. a præsentibus liberemur periculis & futuris· per Dominum. 913

Ad Corinthios. I.

Fratres. Sicut portavimus imaginem terreni. portemus & imaginem cælestis· Hoc autem dico fratres. quoniam caro & sanguis regnum Dei non possi- **451** debunt· Neque corruptio incorruptelam possidebit· Ecce mysterium vobis dico· Omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur. In momento. in ictu oculi in novissima tuba· Canet enim. & mortui resurgent incorrupti. & nos immutabimur· Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptelam. & mortale hoc induere immortalitatem· Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem. tunc fiet sermo qui scriptus est· Absorta est mors in victoriam· Ubi est mors aculeus tuus. ubi est mors victoria tua? Aculeus autem mortis peccatum est. virtus vero peccati lex· Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Ihesum Christum Dominum nostrum.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum· Estote ergo prudentes sicut serpentes. & simplices sicut columbæ· Cavete autem ab hominibus· Tradent enim vos in conciliis. & synagogis suis flagellabunt vos· Et ad presides & reges ducemini propter me. in testimonium illis. & gentibus· Cum autem tradent vos. nolite cogitare quomodo. aut quid loquamini· **452** Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini· Non enim vos estis qui loquimini. sed Spiritus Patris vestri. qui loquitur in vobis· Tradet autem frater fratrem in mortem. & pater filium. & insurgent filii in parentes. & morte eos afficient. & eritis odio omnibus propter nomen meum· Qui autem perseveraverit usque in finem. hic salvus erit· Cum autem persequentur vos in civitate ista. fugite in aliam· Amen dico vobis non consummabitis civitates Israel. donec veniat Filius hominis.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus Domine ut intercedente beato Victore martyre tuo. & a cunctis aversitatibus muniamur in corpore. & a pravis cogitationibus mundemur in mente· per. 914

Super Oblata.

Sancto Victore intercedente Domine tibi servitus nostra complaceat. & obsequia munerum. fiant presidia devotorum· per. 915

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. cuius providentiæ fultus præsidio beatus Victor celeberrimus martyr. terreni sub clamide imperii Christi tui miles agebat absconditus. non passionis timore perterritus sed divino arbitrio subdens propriam voluntatem· Latuit enim mundanis excubiis dignissimus cælestis patriæ miles. ut perpetui
453 regni coruscans. angelicis obsequiis consors existeret· Digne etiam regi regum meruit famulari Christo· Quem a primeva ætatæ. ita animi tota intentione dilexit. ut eius pro nomine crudelissimi imperatoris præcepta contemneret. & ipsius ante tribunal extensus. proprias præberet impiorum manibus scapulas flagellandas· Dein flammivoma

plumbi unda perfusus. ita cælitus divino nutu angelica est visitatione defensus. ut & frigidior aqua subito ex fonte levata sævus ardor existeret & verberum innumerabiles plagæ. salutifero curarentur unguento· Ad ultimum vero capitali iubetur feriri sententia. ut victoriæ palmam adeptus. & auctor sui esset nominis. & exemplum magistri· Hæc tua est Domine virtus & gloria per Christum Dominum nostrum. 916

Post Comm.

Percepta mysteria quæsumus Domine & eruditione nos instruant. & participatione restaurent. ut ad spiritalia mereamur munera pervenire· per. 917

CLXIII

VI. IDUS MAII.

TRANSLATIO SANCTI NAZARII.

[*Oratio super populum.*]

Præveniant nos Domine quæsumus beatissimi martyris tui Nazarii desiderata commercia· Ut cuius perpetuam dignitatem sacro mynisterio frequentamus **454** in terris. & præsentia nobis subsidia postulent. & æterna· per. 918

Epistola. require in sancti Sebastiani. Deus qui dixit de tenebris.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Loquebatur Dominus Ihesus in parabolis discipulis suis. & turbis Iudæorum· Simile est regnum cælorum. thesauro abscondito in agro· Quem qui invenit homo abscondit. & præ gaudio illius vadit. & vendit universa quæ habet. & emit agrum illum· Iterum simile est regnum cælorum. homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita. abiit. & vendidit omnia quæ habuit. & emit eam· Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare. & ex omni genere piscium congreganti· Quam cum impleta esset educentes. & secus litus sedentes. elegerunt bonos in vasa. malos autem foras miserunt· Sic erit in consummatione sæculi· Exibunt Angeli. & separabunt malos de medio iustorum· Et mittent eos in caminum ignis. ibi erit fletus. & stridor dentium· Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei· Etiam? Ait illis· Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum. similis est homini patrifamilias. qui profert de thesauro **455** nova & vetera.

Super Sindonem.

Fac nos quæsumus Domine sancti martyris tui Nazarii semper festa sectari. cuius suffragiis protectionis tuæ dona sentimus· per. 919

Super Oblata.

Fiat Domine quæsumus hostia sacranda placabilis. pretiosi celebritate tui martyris Nazarii. quæ & peccata nostra purificet. & tuorum tibi vota conciliet famulorum· per. 920

Prefatio.

Vere dignum. æquum & salutare. nos tibi reddere grates vis trina Deus sator optime rerum· Qui cuncta propriis animata figuris artifici sermone facis. quique facta conservas· Qui dudum multo latitantem pulvere dragmam invenis accensa verbi virtute lucerna. ut pateant cunctis tua munera sæclis· Reddens ecclesiæ secundum certaminis palmam· Angelicos ut cernant humana lumina vultus. micent & splendida tumuli membra loco· Iamiamque repertus olim absconditus agro rutilat thesaurus. evangelicis præsignatus figuris· En superexultat intemerata ecclesiæ fides. dum sacrum mercatum margaritæ lucrum capessat· In qua martyr sancte. tuus inclytus martyr geminam insignem Nazarius gestat coronam. **456** Qui meruit Domini pro laude fidelis sanguine martyrium clarificare suum· O nimium dilecta Dei membra Christi servatá promisso· O testis flagrantissime nitore cæli fulgide. cuius inæstimabilis odor. sabæicis præpollet aromatibus· Quem pius Ambrosius. sacrum locans ecclesiæ munus. perennem repperiens patronum dedit. & medicum. propugnatorem fidei. sacri prœlii bellatorem· Propterea. 921

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut beati martyris tui Nazarii cælestibus mysteriis celebrata sollemnitas. indulgentiam nobis tuæ propitiationis adquirat· 922

CLXIV

PRIDIE IDUS MAII.

TRANSLATIO SANCTI VICTORIS
ET NATAL. SANCTORUM FELICIS ET FORTUNATI.

Adesto Domine fidelibus tuis. nec ullis eos mentis & corporis sinas subiacere periculis. quos beatorum martyrum tuorum Victoris Felicis & Fortunati munit gloriosa confessio· per. 923

Ad Corinthios. I.

Fratres. vos estis corpus Christi. et membra· Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia. primum apostolos. secundo prophetas. tertio doctores· Deinde virtutes. exinde gratias curationum. opitulationes. gubernationes. genera linguarum· Numquid omnes apostoli? **457** Numquid omnes prophetæ? Numquid omnes doctores? Numquid omnes virtutes? Numquid omnes gratiarum habent curationum? Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur? Æmulamini autem charismata meliora· & adhuc excellentiorem viam vobis demonstro· Si linguis hominum loquar & angelorum. caritatem autem non habeam. factus sum velut æs sonans. aut cimbalum tinniens· Et si habuero prophetiam· & noverim mysteria omnia. & omnem scientiam· & si habuero omnem fidem ita ut montes transferam. caritatem autem non habuero. nihil sum·

Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas. & si tradidero corpus meum ita ut ardeam. caritatem autem non habuero nihil mihi prodest· Caritas patiens est. benigna est· Caritas non æmulatur. non agit perperam. non inflatur. non est ambitiosa. non quærit quæ sua sunt. non irritatur. non cogitat malum. non gaudet super iniquitatem. congaudet autem veritati· Omnia suffert. omnia credit. omnia sperat. omnia sustinet· Caritas numquam excidet.

Evangelium de plurimorum martyrum. Qui vos audit me.

458 *Super Sindonem.*

Omnipotens sempiterne Deus. fortitudo certantium & palma martyrum. sollemnitati hodierni diei propitius intuere. & ecclesiam tuam continua fac celebritate lætari· Et intercessionibus beatorum martyrum tuorum Victoris Felicis & Fortunati. omnium in te credentium vota perfice· per. 924

Super Oblata.

Hostias Domine quas nomini tuo sacrandas offerimus. sanctorum martyrum tuorum Victoris Felicis & Fortunati prosequatur oratio. per quam nos expiari concedas. & defendi· per. 925

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui es gloriosus in sanctis. & digno laudandus prœconio. Tua eos gratia ex mundi accersitos inlecebris. tyrannidis dire temnere minas. sævisque fecit agonizare principibus· Qua præventi beatissimi martyres Felix & Fortunatus alvus quos protulit una. ætherio afflati suffragio. profana idolorum sprevere præstigia· Nam agnita Christi Ihesu Filii tui mira credulitate potentia. scelestorum vitantes contagia. reliquerunt propria loca. potissimum censentes. in nemoribus inter feras æterno famulari regi quam in sacrilegis continuatim cœtibus vanissimo degere cultu· Denique obtutibus crudelissimi acciti præsidiis. pia confessione Christi nominis indagata. atrocibus **459** pœnarum iubentur exagitari suppliciis· Quos celeberrimi martyres cruciatus. superno fulti superarunt præsidio· Cruento posttremum cervicibus mucrone præcisis. polorum regna scandentes Christi locari gremio meruerunt· Quibus etiam ad iucundissimum hodiernæ festivitatis augetur tripudium. sacratissimi Victoris martyris translatio corporis. quæ totius plebis celebratur lætitia per Christum Dominum nostrum. 926

Post Comm.

Recreati sacri muneris gustu. quæsumus Domine non indigne sumentibus nobis vertatur ad pœnam. sed intercedentibus sanctis tuis Victore Felice & Fortunato. fideliter libantibus prosit ad veniam· per. 927

CLXV

VIII. KALENDAS IUNII.

DEPOSITIO SANCTI DIONISII.

[*Oratio super populum.*]

Deus qui nos sancti tui Dionisii confessione gloriosa circumdas. & protegis. da nobis eius imitatione proficere. & oratione fulciri· per. 928

Epistola de confessor.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Omnis qui confitebitur me. coram hominibus. confitebor & ego eum coram Patre meo. qui est in cælis· Qui autem negaverit me coram hominibus. negabo & ego eum coram Patre meo. qui in cælis est· Nolite arbitrari. quia venerim mittere pacem in terram· Non veni pacem mittere. **460** sed gladium· Veni enim separare hominem adversus patrem suum. & filiam adversus matrem suam. & nurum adversus socrum suam. & inimici hominis domestici eius. qui amat patrem. aut matrem plus quam me. non est me dignus· Et qui amat filium. aut filiam super me. non est me dignus· Et qui non accipit crucem suam. & sequitur me. non est me dignus· Et qui invenit animam suam. perdet illam. Et qui perdiderit animam suam propter me. inveniat eam· Qui recipit vos. me recipit· Et qui me recipit. recipit eum qui me misit· Qui recipit prophetam. in nomine prophetæ. mercedem prophetæ accipiet· Et qui recipit iustum in nomine iusti. mercedem iusti accipiet· Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis. calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli. amen dico vobis. non perdet mercedem suam.

Super Sindonem.

Sancti Dionisii Domine confessione recensita. conferat nobis piæ devotionis augmentum. quia in nomine tuo perseverans. meruit honorari· per. 929

Super Oblata.

Hostias tibi Domine pro commemoratione beati sacerdotis & confessoris tui Dionisii offerimus. quem a tui corporis unitate. nulla temptatio separavit· per. 930

Prefatio.

461 Vere dignum. Æterne Deus. & confessionem sancti sacerdotis tui Dionisii memorabilem non tacere· Qui nec hereticis blandimentis. nec sui status potuit diversitatibus immutari. sed in utroque discrimine veritatis assertor. veritatem tuæ fidei non reliquit. Et ideo debitæ pietatis obsequium exhibemus. quia potentiam tuam Domine. cuius gratia talis extitit in eius sollemnitatibus prædicamus per Christum. 931

Post Comm.

Quæsumus Domine Deus noster. ut interveniente sancto sacerdote & confessore tuo Dionisio. sacrosancta mysteria quæ sumpsimus. actu. subsequamur & sensu· per. 932

CLXVI

IIII. KALENDAS IUNII.

NATAL. SANCTORUM SISINNII MARTIRII ET ALEXANDRI.

Oratio super populum.

Exaudi Domine populum tuum. toto tibi corde subiectum· Et intercessionibus beatissimorum martyrum tuorum Sisinnii Martyrii & Alexandri. a præsentibus defende periculis. & futuris· per. 933

Ad Corinthios II.

Fratres. Gratias Deo. qui semper triumphat nos in Christo Ihesu & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco. quia Christi bonus odor sumus Deo in his qui salvi fiunt. & in his qui pereunt· Aliis quidem odor mortis in mortem. aliis autem odor vitæ in vitam· Et ad hæc quis tam idoneus? **462** non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei. sed ex sinceritate sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur· Incipimus iterum nosmetipsos commendare? Aut numquid egemus sicut quidam commendaticiis epistolis. aut vos aut ex vobis? Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris. quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus· Manifestati quia epistola estis Christi. ministrata a nobis. & scripta non atramento. sed Spiritu Dei vivi. non in tabulis lapideis. sed in tabulis cordis carnalibus.

Secundum Matheum.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Quid vobis videtur. si fuerint alicui centum oves. & erraverit una ex eis. nonne relinquet nonaginta novem in montibus. & vadet quærere eam quæ erravit? Et si contigerit ut inveniat eam. Amen dico vobis. quia gaudebit super eam magis. quam supra nonaginta novem. quæ non erraverunt· Sic non est voluntas ante Patrem vestrum qui in cælis est. ut pereat unus de pusillis istis· Si autem peccaverit in te frater tuus. vade & corripe eum inter te. & ipsum solum· Si te audierit. lucratus es fratrem tuum· Si autem non te audierit. adhibe tecum adhuc unum. vel duos. ut in ore duorum **463** testium. vel trium. stet omne verbum· Quod si non audierit eos. dic ecclesiæ· Si autem ecclesiam non audierit. sit tibi sicut æthnicus. & publicanus· Amen dico vobis. quæcumque alligaveritis super terram. erunt ligata & in cælo· Et quæcumque solveritis super terram. erunt soluta & in cælo· Iterum dico vobis. quia si duo ex vobis consenserint super terram. de omni re. quamcumque petierint. fiet illis a Patre meo qui in cælis est· Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo. ibi sum in medio eorum· Tunc accedens Petrus ad eum dixit· Domine quotiens peccavit in me frater meus. & dimittam ei usque septies? Dixit illis Ihesus. Non dico tibi usque septies. sed usque septuagies septies.

Super Sindonem.

Maiestati tuæ nos quæsumus Domine martyrum tuorum Sisinnii Martyrii & Alexandri intercessio beata conciliet· Ut qui incessabiliter actibus nostris offendimus. iustorum precibus expiemur· per. 934

[*Super Oblata.*]

Suscipe quæsumus Domine munera tibi dignanter oblata. & beatissimorum martyrum Sisinnii Martyrii & Alexandri suffragantibus meritis. ad nostre salutis remedium provenire concede· per. 935

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. teque laudare mirabilem in sanctis **464** tuis Sisinnio. Martyrio & Alexandro· Quos ante constitutionem mundi in æternam tibi gloriam preparasti. ut per eos huic mundo veritatis tuæ lumen ostenderes· Quos ita Spiritu veritatis armasti. ut fortitudinem mortis. per infirmitatem carnis evincerent· Hi sunt veri martyres. qui in ecclesiæ prato. sicut rosæ & lilia floruerunt· Quos pius sanguis in prælio confessionis roseo perfudit colore. & in prœmio passionis. niveo liliorum flore vestivit Ihesus Christus Dominus noster· Quem una tecum. 936

Post Comm.

Divino munere satiati. maiestatem tuam supplices exoramus omnipotens Deus. ut intercessionibus sanctorum tuorum Sisinnii Martyrii & Alexandri. propriis careamus culpis. & tuis inhærere valeamus mandatis· per Dominum. 937

CLXVII

XV. KALENDAS IULII.

NATAL. SANCTI VITI.

[*Oratio super populum.*]

Da ecclesiæ tuæ Domine quæsumus sancto Vito intercedente superbe non sapere. sed tibi placita humilitate proficere· Ut proterva despiciens. quæcumque matura sunt. libera exerceat caritate· per. 938

Epistola ad Corinthios I.

Hæc et in sancti Quirici.

Fratres. Cum essem parvulus. loquebar ut parvulus. sapiebam ut parvulus. cogitabam ut parvulus· **465** Cum autem factus sum vir. evacuavi ea quæ erant parvuli. Videmus enim nunc per speculum in enigmate. tunc autem facie ad faciem· Nunc cognosco ex parte. tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum· Nunc autem manet fides. spes. caritas. tria hæc. maior autem his est caritas· Sectamini caritatem. æmulamini spiritalia. magis autem ut prophetetis.

Secundum Marcum.

In illo tempore. Offerebant turbæ Domino Ihesu parvulos. ut tangeret illos· Discipuli autem comminabantur offerentibus· Quos cum videret Ihesus. indigne tulit. & ait illis· Sinite parvulos

venire ad me. & ne prohibueritis eos· Talium est enim regnum Dei· Amen dico vobis. quicumque non receperit regnum Dei. velut parvulus. non intrabit in illud· Et complexans eos. & imponens manus super illos. benedicebat eos.

Super Sindonem.

Deus qui nos beati Viti martyris tui meritis & intercessione lætificas. concede propitius ut qui eius beneficia poscimus. dona tuæ gratiæ consequamur· per. 939

Super Oblata.

Maiestatem tuam suppliciter imploramus omnipotens Deus· Ut sicut gloriam divinæ potentiæ munera pro sanctis oblata testantur. sic nobis effectum **466** tuæ salvationis impendant· per. 940

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus. beati Viti martyrio gloriantes· Cui admirandam gratiam in tenero adhuc corpore. & necdum virili more maturo. virtutem fidei. & patientiæ fortitudinem tribuisti. ut sævitiæ persecutoris. non cederet constantia puerilis quæ inter acerba supplicia. nec sensu potuit terreri. nec frangi ætate. ut gloriosior fieret corona martyrii· Et ideo cum angelis. 941

Post Comm.

Refecti Domine benedictione sollemni. quæsumus ut per intercessionem sancti Viti. medicina sacramenti & corporibus nostris prosit. & mentibus· per. 942

CLXVIII

XIII. KALEND. IULII.

IN VIGILIA SANCTORUM PROTASII ET GERVASII.

Oratio super populum.

Martirum tuorum Domine Protasii & Gervasii natalicia præeuntes. supplices te rogamus. ut quos cælesti gloria sublimasti. tuis adesse concedas fidelibus· per. 943

Epistola et Evangelium de plur. Martyr.

Super Sindonem.

Concede quæsumus Domine populo tuo veniam peccatorum. & religionis augmentum· Atque ut ei tua dona multiplices. sanctorum martyrum tuorum Protasii & Gervasii patrocinia fac adesse & largire præsidia· per. 944

Alia.

467 Sanctorum martyrum tuorum nos Domine Protasii & Gervasii confessio beata communiat. & fragilitatis nostræ subsidium dignanter exoret· per. 945

Super Oblata.

Sacrificium Domine. quod pro sanctis martyribus tuis Protasio & Gervasio prævenit nostra devotio. eorum merito nobis augeat te donante suffragium· per. 946

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus· Qui licet in omnium sanctorum tuorum sis protectione mirabilis. in his tamen beatissimis martyribus tuis Protasio & Gervasio. speciale tuum munus agnoscimus· Quos fratres sorte nascendi magnifica præstitisti. passione germanos. ut simul essent venerandæ genetricis. & florentissimæ proles ecclesiæ per Christum Dominum nostrum. 947

Post Comm.

Da quæsumus omnipotens Deus. ut mysteriorum virtute sanctorum Protasio & Gervasio martyribus intercedentibus vita nostra firmetur· per. 948

CLXIX

MANE AD MISSAM.

Oratio super populum.

Adesto Domine supplicationibus nostris. quas in beatissimorum martyrum tuorum Protasii & Gervasii commemoratione deferimus· Ut qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus. eorum qui tibi placuerunt meritis. & intercessionibus adiuvemur· per. 949

Epistola ad Ephesios.

468 Fratres. Cum essetis mortui delictis. & peccatis vestris. in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi huius secundum principem potestatis aeris huius. spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ. in quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ. facientes voluntates carnis. & cogitationum. & eramus natura filii iræ. sicut & ceteri· Deus autem qui dives est misericordia propter multam caritatem suam. qua dilexit nos. cum essemus mortui peccatis. convivificavit nos in Christo. cuius gratia estis salvi facti· Et simul suscitavit. simulque fecit sedere in cælestibus in Christo Ihesu. ut ostenderet in sæculis supervenientibus. abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo· Gratia enim salvi facti estis per fidem· Et hoc non ex vobis· Dei autem donum est non ex operibus. ut ne quis glorietur· Ipsius enim sumus factura creati in Christo Ihesu. in operibus bonis. quæ præparavit Deus. ut in illis ambulemus.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Attendite a fermento pharisæorum. quæ est ypocrisis· Nihil autem opertum est. quod non reveletur. **469** neque absconditum. quod non sciatur· Quoniam quæ in tenebris dixistis. in lumine dicentur. & quod in aure locuti estis. in cubiculis. predicabitur in tectis· Dico autem vobis amicis meis. ne terreamini ab his qui occidunt corpus· Et post hæc. non habent amplius quid faciant· Ostendam autem vobis quem timeatis· Timete eum. qui postquam occiderit. habet potestatem mittere in gehennam· Ita dico vobis

hunc timete· Nonne quinque passeres veneunt dipondio. & unus ex illis non est in oblivionem coram Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt· Nolite ergo timere. multis passeribus pluris estis· Dico autem vobis. omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus. & Filius confitebitur illum. coram Angelis Dei.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat. quæ de beatissimorum martyrum tuorum Protasii & Gervasii glorificatione procedit. quos eadem fides & passio fecit esse germanos· per. 950

Super Oblata.

Prætende munera quæsumus Domine altaribus tuis. pro beatissimorum martyrum tuorum Protasii & Gervasii commemoratione præposita. Ut sicut **470** per hæc beata mysteria illis gloriam contulisti. ita nobis indulgentiam largiaris· per. 951

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus. qui militibus tuis pro tui nominis amore certantibus. virtutem fidei contulisti· Inter quos. & pios fratres beatum Protasium & Gervasium aggregare dignatus es. quos pater dudum præcesserat adeptus martyrii palmam· Hi sunt qui vexillo cælesti signati. victricia Apostoli arma sumpserunt. & a mundanis nexibus absoluti. nequissimi hostis vitiorum aciem prosternentes. liberi & expediti Christum Dominum sunt secuti· O quam felix germanitas. quæ sacris inherendo eloquiis nullo potuit interpolari contagio· O quam gloriosa certaminis causa. ubi pariter coronantur. quos unus uterus maternus effudit· Pro quorum triumphis. & fecundissima mater lætatur ecclesia. quæ per beatum Ambrosium. tales meruit suboles repperire. qui sibi conferant signa virtutum. & gloriam per eundem Christum Dominum nostrum. 952

Post Comm.

Quos donis cælestibus saciasti. sanctorum martyrum tuorum Protasii & Gervasii Domine defende præsidiis· Ut a noxiis omnibus expediti. post salutaria tua toto corde curramus· per. 953

CLXX

471 X. KALENDAS IULII.

NATAL. SANCTI IULIANI MARTYRIS.

[*Oratio super populum.*]

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut qui triumphum laudabilem beati lævitæ & martyris Iuliani recolimus. digna ipsius imitatione sectando. gaudiorum eius effici mereamur participes· per. 954

Epistola de uno martyre.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore Loquebatur Dominus Ihesus in parabolis discipulis suis. & turbis Iudæorum· Cui simile est regnum Dei. & cui simile esse existimabo illud? Simile est grano synapis· Quod acceptum homo. misit in ortum suum. & crevit. & factum est in arborem magnam. & volucres cæli requieverunt in ramis eius· Et iterum dixit· Cui simile æstimabo regnum Dei? Simile est fermento· Quod acceptum mulier. abscondit in farinæ sata tria. donec fermentaretur totum· Et ibat per civitates & castella docens. & iter faciens in Ierusalem· Ait autem illi quidam· Domine si pauci sunt qui salventur? Ipse autem dixit ad illos· Contendite intrare per angustam portam. quia multi dico vobis quærent intrare. & non potuerunt· Cum autem intraverit paterfamilias. & cluserit ostium. & incipietis foris stare. & pulsare ostium. dicentes· Domine aperi nobis· **472** Et respondens dicet vobis· Nescio vos unde sitis· Tunc incipietis dicere· Manducavimus coram te. & bibimus. & in plateis nostris docuimus. & dicet vobis. nescio vos unde sitis· Discedite a me omnes operarii iniquitatis· Ibi erit fletus & stridor dentium· Cum videritis Abraham. & Isaac. & Iacob. & omnes prophetas in regno Dei. vos autem expelli foras. & venient ab oriente & occidente. & aquilone. & austro. & accumbent in regno Dei· Et ecce sunt novissimi qui erunt primi & sunt primi. qui erunt novissimi.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens & misericors Deus. ut sicut beatum Iulianum coniugali toro sociatum virginitatis cultu decibiliter decorasti. ita & nos famulos tuos per eius intercessionis auxilium a sordibus piaculorum abluas. & corda nostra claritate tuæ gratiæ inradiare digneris· per. 955

Super Oblata.

Accepta tibi sint quæsumus Domine munera. quæ in die sollemnitatis beati martyris tui Iuliani deferimus· Ut eo maiestati tuæ sint placita. sicut illius effusio sanguinis apud te extitit pretiosa· per. 956

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. per Christum Dominum nostrum· Qui tyrannica **473** potestate depressa. ita suos milites extulit ut angelicis in terris fruerentur consortiis. & divinis ubique munirentur auxiliis. Ad cuius stadium. nobilis Iulianus martyr lætus accurens. signifer efficitur fidei. dignissimus Domini preliator· Elegit cum coniuge membra servare virginea. & fortior ad luctamina properavit· Sociavit sibi sanctorum choros. quos flammeo globo consumptos. præmisit coronatos ad Christum· Dehinc contemptis sacrilegis carnificum iussis. acerbissima tormenta pœnarum non metuens. Dei Filium voce libera protestatur· O felix & dignissimus miles Christi. qui non solum contempsit tyrannum. sed & filium eius abstulit. fecitque christicolam. & ad suscipiendam martyrii palmam. secum pariter incitavit· Cæditur. ferreis vinculis oneratur. horribili

fetore perfusus custodiæ. traditur flammeis ardoribus eructanti inmergitur cupæ. ex capite cutis depellitur. sævis in theatro bestiis traditur· Sed in his omnibus angelica protectione defensus. dignam ad ultimum effusio sanguinis dedit victoriæ palmam per Christum Dominum nostrum. 957

Post Comm.

474 Omnipotens & misericors Deus. qui athletam tuum Iulianum tormenta horrifica superare fecisti. concede ut qui eius triumphi diem annue celebramus insuparabiles tua protectione ab hostis insidiis maneamus· per. 958

CLXXI

VIII. KALENDAS IULII.

NATIVITAS SANCTI IOHANNIS BAPTISTÆ

MISSA IN VIGILIA.

Oratio super populum.

Virtutum cælestium Deus. qui annua beati Iohannis Baptistæ sollemnia frequentare concedis. præsta quæsumus ut per te securis eadem mentibus celebremus. & eius patrocinio promerente. plenæ capiamus securitatis augmentum. per. 959

(1) *Evangelium secundum Lucam.*

Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos quidam nomine Zacharias. de vice Abia. & uxor illius de filiabus Aaron. & nomen eius Helisabeth· Erant autem iusti ambo ante Deum. incedentes in omnibus mandatis eius. & iustificationibus Domini. sine querela· Et non erat illis filius. eo quod esset Helisabeth sterilis. & ambo processissent in diebus suis· Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zaccharias in ordine vicis suæ ante Deum. secundum consuetudinem sacerdotii. sorte exiit ut incensum poneret· Ingressus in templum Domini. & omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi· Apparuit autem illi angelus **475** Domini. stans a dextris altaris incensi· Et Zaccharias turbatus est videns. & timor irruit super eum· Ait autem ad illum angelus· Ne timeas Zaccharia. quoniam exaudita est deprecatio tua· Et uxor tua Helisabeth pariet tibi filium. & vocabis nomen eius Iohannem. Et erit gaudium tibi. & exultatio. & multi in nativitate eius gaudebunt· Erit enim magnus coram Domino. & vinum & siceram non bibet. & Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ· Et multos filiorum Israel. convertet ad Dominum Deum ipsorum· Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ. ut convertat corda patrum in filios. & incredibiles ad prudentiam iustorum. parare Domino plebem perfectam· Et dixit Zaccharias ad angelum. Unde hoc sciam? Ego enim sum senex. & uxor mea processit in diebus suis· Et respondens angelus dixit ei· Ego sum Gabriel. qui asto ante Deum. & missus sum loqui ad te. & hæc tibi evangelizare· Et ecce eris tacens. & non poteris loqui usque in diem quo hæc fiant. pro eo quod non credidisti verbis meis. quæ implebuntur in tempore suo· Et erat plebs expectans Zacchariam & mirabantur quod tardaret ipse in templo· Egressus autem non poterat loqui ad illos· Et cognoverunt **476** quod visionem vidisset in templo· Et ipse erat innuens illis & permansit mutus· Factum est ut implerentur dies officii eius. abiit in domum suam· Post hos autem dies concepit Helisabeth uxor eius. & occultabat se mensibus quinque dicens· Quia sic mihi fecit Dominus in diebus. quibus respexit auferri obprobrium meum inter homines.

Super Sindonem.

Beati Iohannis Baptistæ nos quæsumus Domine præclara committetur oratio· Et quem venturum esse prædixit. poscat nobis habere pacatum· qui tecum vivit. 960

Super Oblata.

Tua Domine muneribus altaria cumulamus. illius nativitatem honore debito celebrantes. qui Salvatorem mundi & cecinit adfuturum. & adesse monstravit· qui tecum vivit. 961

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. exibentes sollemne ieiunium. quo Iohannis Baptistæ natalicia prævenimus· Cuius genitor dum eum dubitat nasciturum. sermonis amisit officium. & eo nascente & sermonis usum. & prophetiæ suscepit donum· Cuiusque genetrix senio confecta sterilitate multata. in eius conceptu non solum sterilitatem amisit. fecunditatem adquisivit. sed etiam Spiritum Sanctum. quo mater Domini & Salvatoris agnosceretur accepit· Per quem maiestatem tuam laudant. 962

Post Comm.

477 Sancti nos quæsumus Domine Baptistæ Iohannis oratio. & assequi faciat semper mente quæ gerimus. & debitæ servitutis actione sectari· per. 963

CLXXII

ORATIONES AD VESPER. VEL AD VIGILIAM.

Omnipotens sempiterne Deus da cordibus nostris illam sequi tuarum rectitudinem semitarum. quam beati Iohannis Baptistæ vox clamantis edocuit· per. 964

Alia.

Deus qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Iohannis nativitate fecisti. da populis tuis spiritalium gratiam gaudiorum. & omnium fidelium mentes dirige in viam salutis & pacis· per. 965

(1) In margine codicis legitur : *Can*[*ticum*] Levavi. Hieremiæ vero lectionem amanuensis alio forte distentus omisit.

Alia.

Deus qui beatum Baptistam Iohannem tua providentia destinasti ut perfectam plebem Christo Domino præpararet. da quæsumus ut familia tua. huius intercessione præconis. & a peccatis omnibus exuatur. & eum quem prophetavit inveniat· qui tecum vivit· 966

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus etiam in beati Ihoannis generatione promenda. confessione sacræ tibi plebis instituis. auge nobis fidei pietatisque constantiam· Ut magis magisque fateamur excellentiam nuntiati. cum tanta sit gloria nuntiantis· Qui tecum vivit. 967

Alia.

Beati nos Domine Baptistæ Iohannis oratio. & intellegere Christi tui mysterium postulet. & mereri· Qui tecum. 968

478 CLXXIII

MANE AD MISSAM.

Oratio super populum.

Deus qui hunc diem. ortu præconis tui atque Baptistæ Iohannis consecrare dignatus es. cum puerperium mater sterilis & vocem pater mutus accepit. concede propitius ut illud quod Salvator noster gessit in Iordane mysterio hoc in omnibus catholicis semper celebretur ecclesiis· Per eundem Dominum. 969

Epistola ad Galatas require retro in sancti Iacobi. Notum facio vobis.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Helisabeth impletum est tempus pariendi. & peperit filium· Et audierunt vicini & cognati eius. quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa. & congratulabantur ei· Et factum est in die octavo. venerunt circumcidere puerum & vocabant eum nomine patris sui Zachariam· Et respondens mater eius dixit· Nequaquam. sed vocabitur Iohannes· Et dixerunt ad illam· Quia nemo est in cognatione tua. qui vocetur hoc nomine· Innuebant autem patri eius. quem vellet vocari eum· Et postulans pugillarem scripsit dicens· Iohannes est nomen eius· Et mirati sunt universi· Apertum est autem ilico os eius. & lingua eius. & loquebatur benedicens Deum· Et factus est timor super omnes vicinos eorum. & super omnia montana Iudeæ divulgabantur omnia **479** verba hæc· Et posuerunt omnes qui audierant in corde suo dicentes. Quid putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo· Et Zaccharias pater eius impletus est Spiritu Sancto. & prophetavit dicens· Benedictus Dominus Deus Israel. quia visitavit. & fecit redemptionem plebis suæ.

Super Sindonem.

Præcursoris tui Iohannis Baptistæ nos quæsumus Domine intercessio sancta commendet· Ut & spiritalibus mereamur eius prædicationibus erudiri. & eo quo præcipis ipso iuvante nostra possit pervenire fragilitas· Qui. 970

Super Oblata.

Respice Domine ad hæc munera quæ te sanctificante sacramus· Et sicut beatus Iohannes Baptista factus est præcursor. & præparator viæ Domini nostri Ihesu Christi. ita & pro nostris infirmitatibus. te protegente. intercessor existat· per eundem. 971

Prefatio.

Vere dignum æterne Deus. & in die festivitatis hodiernæ quo beatus Baptista Iohannes exortus est exultare· Qui vocem matris Domini nondum editus sensit. & adhuc clausus utero. adventum salutis humanæ prophetica exultatione gestivit· Qui & genetricis sterilitatem conceptus abstersit. & patris linguam natus absolvit. solusque omnium prophetarum Redemptorem mundi. quem prænuntiavit ostendit· Hic est enim ille. cui nomen & ante- **480** quam conciperetur dedisti. & quem Spiritu Sancto priusquam nasceretur implesti· Digne natalis eius hodie sollemnia recensemus. digne inter natos mulierum maior apparuit. qui Deum hominemque perfectum Filium tuum Ihesum Christum Dominum nostrum & prædicare meruit. & evidenter ostendere· Quem laudant. 972

[Post Comm.]

Tribue quæsumus omnipotens Deus. ut sicut nos donis cælestibus satias. ita in beati Iohannis Baptistæ nativitate defende præsidiis· Ut quod ille de Filii tui nativitate prædicavit. nobis prosit ad salutem· per eundem. 973

CLXXIV

VI. KALENDAS IULII.

NATAL. SANCTORUM IOHANNIS ET PAULI.

Omnia de plurimorum Martyrum Fest[*ivitate*].

CLXXV

III. KALENDAS IULII.

VIGILIIS NATAL. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

MISSA.

Oratio super populum.

Familiam tuam Domine propitius intuere. & apostolicis fove præsidiis· Ut eorum precibus gubernetur. quibus nititur te constituente principibus· per. 974

Epistola ad Ephesios.

Fratres. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Ihesu Christi. qui benedixit nos in omni benedictione spiritali. in cælestibus in Christo· Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. ut essemus sancti. & immaculati in conspectu eius. in caritate. qui prædestinavit nos in adop-

tionem filiorum per Ihesum Christum in ipsum. secundum propositum voluntatis **481** suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ. in qua gratificavit nos in dilecto· In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius. remissionem peccatorum. secundum divitias gratiæ eius. quæ superabundavit in nobis in omni sapientia & prudentia. ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ. secundum bonum placitum eius. quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum. instaurare omnia in Christo. quæ in cælis. & quæ in terra sunt in ipso· In quo etiam sorte vocati sumus. prædestinati secundum propositum eius. qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ ut simus in laude gloriæ eius. qui ante speravimus in Christo· In quo & vos cum audissetis verbum veritatis & evangelium salutis vestræ. in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto. qui est pignus hereditatis nostræ. in redemptionem adquisitionis. in laudem gloriæ ipsius. (1)

Secundum Matheum.

In illo tempore. Venit Dominus Ihesus. in partes Cæsaræ Philippi. & interrogabat discipulos suos dicens· Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt· Alii Iohannem Baptistam. alii autem Heliam. alii vero Hieremiam. aut unum ex prophetis· Dicit illis Ihesus· Vos autem quem me dicitis esse? Respondens Symon Petrus dixit· Tu es Christus **482** Filius Dei vivi. Respondens autem Ihesus dixit ei· Beatus es Symon Bariona. quia caro & sanguis non revelavit tibi. sed Pater meus. qui in cælis est· Et ego dico tibi. quia tu es Petrus. & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam· Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. & tibi dabo claves regni cælorum· Et quodcumque ligaveris super terram. erit ligatum in cælis· Et quodcumque solveris super terram. erit solutum in cælis.

Super Sindonem.

Exaudi nos Deus salutaris noster. & apostolorum tuorum Petri & Pauli tuere præsidiis. quorum donasti fideles esse doctrinis· qui vivis. 975

Super Oblata.

Munera supplices Domine tuis altaribus adhibemus· Ut quantum de nostro merito sumus formidantes tantum beatorum Petri & Pauli. pro quorum sollemnitatibus offeruntur. intercessione gloriemur salvandi· per. 976

Prefatio.

Vere dignum. æterne Deus· Apud quem licet beatorum apostolorum continuata festivitas. & æterna. cælebritas. atque triumphi cælestis perpetuus sit natalis. nos tamen beatæ confessionis initia recolentes. frequenti tribuis devotione gaudere· Ut crebior honor sacratissimæ passionis repensus. maiorem nobis retributionis gratiam largiatur· per Christum Dominum. 977

483 *Post Comm.*

Sumpto Domine sacramento. beatis apostolis intervenientibus deprecamur. ut quod temporaliter gerimus. capiamus æternum· per. 978

CLXXVI

ORATIONES AD VESPER. VEL VIGIL.

Deus cuius dextera. beatum Petrum apostolum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit. & coapostolum eius Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit. exaudi propitius supplicationem nostram· Et concede ut amborum meritis. æternæ Trinitatis gloriam consequamur· qui vivis & regnas. 979

Alia.

Deus qui ecclesiam tuam. beati apostoli tui Petri fide & nomine consecrasti. quique beatum illi Paulum ad prædicandam gentibus gloriam tuam sociare dignatus es. concede ut omnes. qui ad eorum sollemnitatem convenerunt. spiritali remuneratione ditentur· qui vivis & regnas. 980

Alia.

Deus cui & martyrum fides & veneranda sanctorum vita complacuit. quique gradientem apostolum Petrum in elemento liquido confirmasti. nos quoque sæculi turbine fluctuantes. dexteræ tuæ protectione conserva· per. 981

Alia.

Deus qui beato apostolo tuo Petro. collatis clavibus regni cælestis. animas ligandi. atque solvendi **484** pontificium tradidisti. concede quæsumus ut intercessionis eius auxilio. a peccatorum nostrorum nexibus liberemur· qui vivis & regnas. 982

Alia.

Apostolico Domine quæsumus beatorum Petri & Pauli patrocinio nos tuere. & eosdem quorum tribuisti sollemnia celebrare. fac nostros semper esse custodes· per. 983

CLXXVII

MANE AD MISSAM.

Oratio super populum.

Omnipotens sempiterne Deus da populis tuis. apostolorum tuorum Petri & Pauli natalem plena devotione venerari· Ut quorum doctrinis. & confessione Trinitatis unius. institutus est mundus. eorum suffragantibus meritis divinæ serviat unitati· per. 984

Ad Corinthios. II.

Fratres. Ne quis me putet insipientem· Alioquin velut insipientem accipite me. ut & ego modicum quid glorier· Quod loquor. non loquor secundum Dominum sed quasi in insipientia in hac subs-

(1) Ad oram Codicis notatur initium Psalmi 123 cantandi post Epistolæ lectionem, hoc modo : Cant. *Nisi quod Dominus.*

tantia gloriæ. quoniam multi gloriantur secundum carnem. & ego gloriabor· Libenter enim suffertis insipientes. cum sitis ipsi sapientes· Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit. si quis devorat. si quis accipit si quis extollitur. si quis in faciem vos cedit· Secundum ignobilitatem dico. quasi nos infirmi fuerimus in hac parte· In quo autem quis audet. in insipientia **485** dico. audeo & ego. Hæbrei sunt & ego· Israhelitæ sunt. & ego· Semen Abrahæ sunt. & ego· Ministri Christi sunt. ut minus sapiens dico plus ego· In laboribus plurimis. in carceribus abundantius. in plagis supra modum. in mortibus frequenter· A Iudæis quinquies quadragenas unam minus accepi· Ter virgis cesus sum. semel lapidatus sum. ter naufragium feci· Nocte & die in profundo maris fui. in it[in]eribus sæpe· Periculis fluminum. periculis latronum. periculis ex genere. periculis ex gentibus. periculis in civitate. periculis in solitudine. periculis in mari. periculis in falsis fratribus· In labore & ærumna. in vigiliis multis. in fame & siti. in ieiuniis multis. in frigore & nuditate· Præter illa quæ extrinsecus sunt instantia mea cotidiana. sollicitudo omnium ecclesiarum· Quis infirmatur. & ego non infirmor? Quis scandalizatur & ego non uror? Si gloriari oportet. quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor· Deus & Pater Domini nostri Ihesi Christi scit. qui est benedictus in sæcula. quod non mentior· Damasci præpositus gentis Aratæ regis. custodiebat civitatem Damascenorum. ut me comprehenderet· Et per fenestram in sporta **486** dimissus sum per murum. & sic effuagi manus eius· Si gloriari oportet. non expedit quidem· Veniam autem ad visiones & revelationes Domini· Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim. sive in corpore nescio. sive extra corpus nescio. Deus scit raptum eiusmodi usque ad tertium cælum· Et scio huiusmodi hominem. sive in corpore. sive extra corpus nescio. Deus scit. quoniam raptus est in paradisum. & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui· Pro eiusmodi gloriabor. pro me autem nihil gloriabor. nisi in infirmitatibus meis· Nam & si voluero gloriari. non ero insipiens. veritatem enim dicam· Parco autem ne quis me existimet supra id quod videt me. aut audit aliquid ex me· Et ne magnitudo revelationum extollat me. datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ. ut me colaphizet· Propter quod ter Dominum rogavi. ut discederet a me. & dixit mihi· Sufficit tibi gratia mea· Nam virtus. in infirmitate perficitur· Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis. ut inhabitet in me virtus Christi.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Dixit Dominus Ihesus Symoni Petro· Symon Ihoannis diligis me plus his? Dicit ei· **487** Etiam Domine tu scis quia amo te· Dicit ei pasce agnos meos· Dicit ei iterum· Symon Iohannis diligis me? Ait illi· Etiam Domine tu scis quia amo te· Dicit ei· Pasce agnos meos· Dicit ei tertio· Simon Iohannis amas me? Contristatus est Petrus. quia dixit ei tertio amas me. & dicit ei· Domine omnia tu nosti. tu scis quia amo te· Dicit ei· Pasce oves meas· Amen amen dico tibi. cum esses iunior cingebas te. & ambulabas ubi volebas· Cum autem senueris. extendes manus tuas. & alius te cinget. & ducet quo non vis· Hoc autem dixit. significans qua morte clarificaturus esset Deum.

Super Sindonem.

Deus qui confitentium tibi redemptor es animarum. quarum piscator beatus Petrus apostolus atque ovium pastor tua præceptione cognoscitur. annue misericors precibus nostris. & populo tuo pietatis tuæ dona concede· Qui cum Patre. 985

Super Oblata.

Munera plebis tuæ. quæsumus Domine beatissimorum apostolorum & martyrum tuorum Petri & Pauli fiant grata suffragiis· Ut quorum triumphis tuo nomini deferuntur. ipsorum digna perficiantur & meritis· per. 986

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. nos tibi semper **488** & ubique in honore apostolorum Petri & Pauli gratias agere· Quos ita electio tua consecrare dignata est· Ut beati Petri secularem piscandi artem. in divinum dogma converteret quatenus humanum genus de profundo inferni. præceptorum tuorum retibus liberaret· Nam quoapostoli eius Pauli mentem cum nomine mutasti· Et quem prius persecutorem metuebat ecclesia. nunc cælestium mandatorum lætatur se habere doctorem· Paulus cæcatus est ut videret Petrus negavit ut crederet· Huic claves cælestis imperii. illi ad evocandas gentes. divinæ legis scientiam contulisti· Nam ille introducit. hic aperit· Ambo igitur virtutis æternæ præmia sunt adepti· Hunc dextera tua gradientem in elemento liquido. dum mergeretur erexit· Illum autem tertio naufragantem. profunda pelagi fecit vitare discrimina· Hic portas inferni. ille mortis vicit aculeum· Et Paulus capite plectitur. quia gentium caput fidei probatur· Petrus autem præmissis vestigiis. caput omnium nostrorum secutus est Christum· quem una tecum. 987

Post Comm.

Perceptis Domine sacramentis. suppliciter te rogamus. ut intercedentibus beatissimis **489** apostolis tuis Petro & Paulo. quæ pro illorum veneranda gerimus passione. nobis proficiant ad salutem. 988

CLXXVIII

V. NONAS JULII.

TRANSLATIO SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

Adesto Domine quæsumus plebis tuæ sanctificator & custos. ut apostoli tui Thomæ munita præsidiis. & conversatione tibi placeat. & secura deserviat· per. 989

Epistola ad Ephesios require in vigilia sancti Petri. Benedictus Deus.

Evangelium secundum Iohannem require Dominica Albis depositis· Cum essent congregati.

Super Sindonem.

Concede quæsumus Domine apostolum tuum Thomam intervenire pro nobis. cuius diem celebramus translationis· Quia tunc nos salvari posse confidimus· si eius precibus tua gubernetur ecclesia. cuius utitur te constituente doctrina· per. 990

Super Oblata.

Apostoli tui Thomæ precibus. Domine plebis tuæ dona sanctifica· Ut quæ tibi tuo grata sunt instituto. gratiora tibi fiant patrocinio supplicantis· per. 991

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. Qui excellentiæ suæ magnitudinem. ita resurgendo dignatus est ostendere. ut quorum mentes passionis eius concusserat visio. postmodum gloriosa resurrectio illustraret ad fidem· Et prius suis ostensus apostolis Thomam adesse noluit. ut postmodum per illius inquisitionem caligine infidelitatis detersa credentium fidem eius palpatio roboraret· **490** O quam ineffabile superni regis mysterium. qui suum fidelem sic trepidare fecit apostolum. ut nulla de se trepidantibus dubietas remaneret· Hoc egit miro modo superna clementia. ut discipulus dubitans dum in magistro suo vulnera palparet carnis. testis veræ resurrectionis fieret. & in nobis vulnera infidelitatis curaret· Qui & dum verum corpus agnovit magistri. Deum esse credidit. quem continuo exclamans evocavit dicens. Dominus meus & Deus meus· quem una tecum. 992

Post Comm.

Sumptis Domine remediis sempiternis tuorum mundentur corda fidelium· Ut apostoli tui Thomæ translationis insignia. quæ corporalibus officiis execuntur. pia cordis intelligentia comprehendant. 993

CLXXIX

XII. DIE MENSIS JULII.

NATAL. SANCTORUM NABORIS ET FELICIS.

Oratio super populum.

Benedic quæsumus Domine plebem tuam· Et beatissimorum martyrum tuorum Naboris & Felicis deprecationibus confidenter tribue consequi. quod sperare donasti· per. 994

Ad Ephesios.

Fratres· Vos qui aliquando eratis longe. facti estis prope in sanguine Christi· Ipse est enim pax nostra. qui fecit utraque unum. & medium parietem maceriæ solvens inimicitiam in carne sua. legem mandatorum decretis **491** evacuans. ut duos condat in semetipsum in unum novum hominem faciens pacem. & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem. interficiens inimicitiam in semetipso· Et veniens evangelizavit pacem vobis. qui longe fuistis. & pacem his qui prope. Quoniam per ipsum accessum habemus ambo in uno Spiritu ad Patrem· Ergo iam non estis hospites & advenæ. sed estis cives sanctorum. & domestici Dei. superædificati supra fundamentum apostolorum & prophetarum. ipso summo angulari lapide Christo Ihesu. in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino· In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore· Assumpsit Dominus Ihesus Petrum & Iacobum & Iohannem. & ascendit in montem ut oraret· Et factum est dum oraret species vultus eius altera. & vestitus eius albus refulgens· Et ecce duo viri loquebantur cum illo· Erant autem Moyses & Helias visi in maiestate. qui & dicebant excessum eius. quem cumpleturus erat in Ierusalem· Petrus vero. & qui cum illo gravati erant somno· & vigilantes viderunt maiestatem eius. & duos viros qui stabant cum illo· **492** Et factum est cum discederent ab illo. ait Petrus ad Ihesum· Preceptor bonum est nos hic esse. & faciamus tria tabernacula· Unum tibi. & unum Moysi. & unum Heliæ. nesciens quid diceret· Hæc autem illo loquente facta est nubes. & obumbravit eos. & timuerunt· Intrantibus illis in nubem. & vox facta est de nube dicens· Hic est Filius meus dilectus. ipsum audite· Et dum fieret vox. inventus est Ihesus solus· Et ipsi tacuerunt. & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quæ viderant.

Super Sindonem.

Protegat ecclesiam tuam Deus. oratio veneranda beatissimorum martyrum tuorum Naboris & Felicis· Et quorum frequentia devotionem impendit. perpetuæ poscat redemptionis effectum. per. 995

Super Oblata.

Adesto Domine supplicationibus nostris & intercessionibus beatissimorum martyrum tuorum Naboris & Felicis confidenter tribue consequi. quod sperare donasti· per. 996

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Qui ita suorum fidelium corda ignifero amore succendit. ut & mundi caducam contemnant gloriam. & per tormenta adeant ad consortium civium supernorum· Ob hoc & doctissimi milites Christi Nabor & Felix. a summis terrarum **493** digressi finibus. huic terræ se exules tradiderunt· Non ut cruento Cæsaris subiacerent imperio. sed ut aulam regis ætherii pergerent expediti facilius· Maluerunt sub clamide terrenæ militiæ latere diutius. præstolantes desuper vocationem cælestis imperii· Qui & accepto constanter spei clipeo. sumpta fidei lorica & galea securi incedunt in

hostis aciem· Vincunt pœnarum tormenta sævissima. carcerem & verbera. æculeum. ignem & ungulas· Stridoribus catenarum colla subiciunt. trauntur a noxiis manibus vinculati· Ad ultimum mucrone sanguine fuso. triumphali gloria decorati. ad cives superos cum palma victoriæ pervenerunt. per eundem Christum Dominum nostrum. 997

Post Comm.

Pignus vitæ æternæ capientes. maiestatem tuam· suppliciter deprecamur omnipotens Deus. ut sanctorum martyrum tuorum Naboris & Felicis fulti patrociniis. quod in imagine contingimus manifesta perceptione sumamus· per. 998

CLXXX

XVII. KALENDAS AUGUSTI.

NATAL. SANCTI QUIRICI.

Oratio super populum.

Adesto Domine supplicationibus nostris. & beati Quirici martyris intercessionibus confidentes. nec minis adversantium nec ullo perturbemur incursu· per. 999

494 *Epistola require in sancti Viti.* Cum essem parvulus.

Secundum Matheum.

In illo tempore· Accesserunt ad Dominum Ihesum discipuli dicentes· Quis putas maior est in regno cælorum? Et advocans Ihesus parvulum. statuit eum in medio eorum. & dixit· Amen dico vobis nisi conversi fueritis. & efficiamini sicut parvuli. non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit se. sicut parvulus iste. hic maior erit in regno cælorum· Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo. me suscipit· Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt. expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius. & dimergatur in profundum maris· Væ mundo ab scandalis· Necesse est enim ut veniant scandala· Verumtamen væ homini. per quem scandalum venit· Si autem manus tua. vel pes tuus scandalizat te. abscide eum. & proice abs te· Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem. vel clodum. quam duas manus. vel duos pedes habentem. mitti in ignem æternum· Et si oculus tuus scandalizat te. erue eum. & proice abs te· Bonum tibi est unum oculum habentem in vitam intrare. quam duos oculos
495 habentem. mitti in gehennam ignis· Videte ne contemnatis unum ex his pusillis· Dico enim vobis. quia angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei. qui in cælis est· Venit enim Filius hominis salvare. quod perierat.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus. qui in sancti tui Quirici martyris semper es meritis ubique mirabilis. quæsumus clementiam tuam. ut sicut ei eminentem gloriam contulisti. sic ad consequendam misericordiam tuam. eius nos facias precibus adiuvari· per. 1000

Super Oblata.

Munera quæsumus Domine. quæ oculis tuæ maiestatis in hoc altari proposita offerimus. beati Quirici martyris supplicationibus propitiatus assumme· per. 1001

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· Cognoscimus enim Domine. quantum apud te præclara sit vita sanctorum. quorum nos etiam mors pretiosa lætificat. & tueatur· Quapropter martyris tui Quirici gloriosa recensentes natalicia. laudes tibi referimus. per Christum Dominum nostrum. 1002

Post Comm.

Sumpta sacrificia tua Domine. beato Quirico martyre tuo deprecante. remedium nobis cæleste concilient· per. 1003

CLXXXI

DIE XVIII MENSIS IULII.

SANCTI MATERNI EPISCOPI.

Omnia de Uno Confessore.

CLXXXII

X. KALENDAS AUGUSTI.

NATAL. SANCTI APOLLINARIS.

[*Oratio super populum.*]

Maiestatis tuæ clementiam suppliciter depre-
496 camur omnipotens & misericors Deus· Ut sicut unigeniti Filii tui agnitionem. per beatissimi sacerdotis & martyris tui Apollinaris prædicationem. populorum cordibus infudisti. ita ipsius opitulantibus meritis. fidei stabilitate firmentur· per. unitate. 1004

Alia.

Da quæsumus omnipotens Deus beatissimi sacerdotis & martyris tui Apollinaris meritis. inmensæ nos tuæ pietatis misericordiam consequi· Quatenus eius intervenientibus precibus. nostra quæant deleri facinora· per. 1005

Epistola require in sancti Georgii. Nolo vos ignorare.

Evangelium require in depositione sancti Martini. Ego sum pastor bonus.

Super Sindonem.

Beati sacerdotis & martyris tui Apollinaris. annue festivitate ovantes. clementiam tuam supplices exoramus omnipotens Deus· Ut sicut ille ob tanti agonem certaminis. triumphali redimitus exultat corona ita & nos orationum illius fulti suffragio. temptationum tela superantes. bravio lætemur æterno· per. 1006

Super Oblata.

Famulatus huic nostri sacrificio clementissime Deus. quod in commemoratione celeberrimi sa-

cerdotis & martyris tui Apollinaris tripudiantes offerimus. tuæ quæsumus dignanter præsentiam intersere maiestatis. ipsius ut meritis & tibi sit acceptabile. & nobis prosit ad veniam· per. 1007

Prefatio.

497 Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Cuius potentiæ septus præsidio Apollinaris dignissimus presul. a principe Petro Ravennam mittitur. Ihesu de nomine incredulis nuntiare· Quique dum mira virtutum illic signa conferret in Christo credentibus. sevis verberum flagellis sæpe conteritur. & senile iam corpus ab impiis horrendis cruciatibus laniatur· Sed ne de suis vexationibus fideles trepident. in virtute nominis Ihesu Christi. signa apostolica perficit post tormenta· Puellam resuscitat mortuam. visum conspicuum cæcis reddit. & muto restaurat loquelam· Obsessam a dæmonio liberat contagionem mundat leprosi dissoluta morbo sanat pestifero membra. portentum simulacri simul cum templo deicit· O dignissimus admirationi præconii pontifex. qui cum pontificii dignitate. apostolicam promeruit accipere potestatem· O fortissimus athleta Christi. qui etatis iam frigescente calore. constanter in pœnis Ihesum Dei Filium mundi prædicat redemptorem· quem una tecum. 1008

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut nullis nos permittas perturbationibus concuti. quos in apostolicæ confessionis petra solidasti· per. 1009

CLXXXIII

498 VIII KALENDAS AUGUSTI.

SANCTÆ CHRISTINÆ.

Omnia de Virgin.

CLXXXIV

EODEM DIE.

SANCTI IACOBI ET IOHANNIS EVANGELISTÆ.

Omnia de Apostol.

CLXXXV

V KALENDAS AUGUSTI.

NATAL. SANCTORUM NAZARI ET CELSI.

MISSA IN VIGILIA.

Oratio super populum.

Deus humani generis conditor & redemptor qui ineffabili pietatis munere. martyrum tuorum gloriosa certamina potentissimus largitor remuneras. præsta quæsumus ecclesiæ tuæ. quæ sanctorum martyrum tuorum Nazarii & Celsi lætatur triumphis. & a peccatorum servari contagiis. & quod illi te confitendo meruerunt percipere. hoc populus tuus eorum consequi mereatur suffragiis· Qui vivis. 1010

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus. da populo tuo præsentis diei festivitate. sincero venerari affectu· Et qui eam sanctorum martyrum tuorum Nazarii & Celsi annua celebritate devotis frequentant obsequiis. eorundem suffragiis. cælestis regni gaudia consequantur· per Dominum nostrum Ihesum Christum. 1011

Alia.

Æterne omnipotens Deus. qui magno pietatis auxilio. populo tuo sanctorum precibus prospera largiri dignaris. concede propitius beatissimorum martyrum Nazarii & Celsi gloriosæ passionis victoriam celebrare lætantes· Et quos te donante patronos defensoresque amplectimur. **499** hos apud tuam misericordiam propacatores habeamus· per. 1012

Epistola de plur. sanctorum. Sancti per fidem devicerunt. (1).

Secundum Lucam.

In illo tempore· Facta est contentio inter discipulos Ihesu. quis eorum videretur esse maior· Dixit autem eis Ihesus· Reges gentium dominantur eorum. & qui potestatem habent super eos benefici vocantur· Vos autem non sic· Sed qui maior est in vobis. fiat sicut minor. & qui præcessor est. sicut minister· Nam quis maior est. qui recumbit. an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum. sicut qui ministrat· Vos autem estis qui permansistis mecum. in temptationibus meis· Et ego dispono vobis. sicut disposuit mihi Pater meus regnum. ut ædatis & bibatis super mensam meam in regno meo & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel· Ait autem Dominus Symoni· Symon ecce Satanas expetivit vos. ut cribaret sicut triticum· Ego autem rogavi pro te. ut non deficiat fides tua. Et ut aliquando conversus. confirma fratres tuos.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus Domine. ut sicut populus Christianus Martyrum tuorum Nazarii & Celsi temporali sollemnitate congaudet. ita perfruatur æterna· **500** Et quod votis amantissime celebrat compleatur effectu· per. 1013

Super Oblata.

Hostias tibi Domine pro sanctorum martyrum tuorum Nazarii & Celsi commemoratione deferimus. suppliciter exorantes. ut indulgentiam nobis pariter conferant. & salutem· per. 1014

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. nos tibi Domine cæli terræque Deus Pater gratias agere. quas hic. & per universum mundum ecclesia tua sancta catholica. omnium viventium mater. in

(1) Rursus ad oram codicis legitur hæc nota : CANT. *Nisi quod Dominus erat.*

honore nominis tui per officia spiritalis obsequii. cotidiana devotione. & annua festivitate multiplicat· Quæ fidelium tuorum innumeris passionibus compta. & beatissimorum martyrum tuorum Nazarii & Celsi sanguine decorata· A dextris sempiternæ maiestatis assistens. tot nunc illustrata patrociniis gaudet· Magnum hoc Domine pietatis tuæ & ineffabile sacramentum. ut de illorum potius salute lætetur ecclesia. quos punisse mundus exultat· Atque illos magis adquisisse gaudeat. quos pro veritate certantes. sæculi gaudium interemit· O beata mater natorum suorum glorificata tormentis quos non planctu. non gemitu ad inferna deducit. sed [ad] cælestia **501** æterna migrantes. perpetua laude prosequitur. per Christum Dominum nostrum. 1015

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut sanctorum tuorum Nazarii & Celsi cælestibus mysteriis celebrata sollemnitas. indulgentiam nobis tuæ propitiationis adquirat· per. 1016

CLXXXVI

MANE AD MISSAM.

Oratio super populum.

Exaudi Domine preces nostras· Ut populus tuus. qui sub tantis sanctorum martyrum tuorum Nazarii & Celsi patrociniis est constitutus. & a suis offensionibus liberetur. & ab omnibus tueatur adversis· per. 1017

Epistola ad Coloscenses.

Fratres. Gratias Deo Patri. qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine· Qui eripuit nos de potestate tenebrarum. & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ. in quo habemus redemptionem remissionem peccatorum. qui est imago Dei invisibilis primogenitus omnis creaturæ. quia in ipso condita sunt universa in cælis. & in terra. visibilia & invisibilia· Sive Throni. sive Dominationes. sive Principatus. sive Potestates· Omnia per ipsum. & in ipso creata sunt. & ipse est ante omnes. & omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis ecclesiæ. qui est principium primogenitus ex mortuis. ut sit **502** in omnibus ipse primatum tenens· Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare. & per eum reconciliare omnia in ipsum. pacificans per sanguinem crucis eius sive quæ in cælis. sive quæ in terris sunt· Et vos cum essetis aliquando alienati. & inimici sensu. in operibus malis. nunc autem reconciliavit in corpore carnis eius per mortem exhibere vos sanctos & inmaculatos & inreprehensibiles coram ipso· Si tamen permanetis in fide fundati. & stabiles. & immobiles ab spe evangelii Dei.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Voluit Dominus Ihesus exire in Galileam· Et proficiscens invenit Philippum & dicit ei· Sequere me· Erat autem Philippus ab Bethsaida civitate Andreæ. & Petri· Invenit Philippus Nathanahel. & dicit ei· Quem scripsit Moyses in lege. & prophetæ. invenimus Ihesum filium Ioseph a Nazareth· Et dixit ei Nathanahel· A Nazareth potest aliquid boni esse· Dicit ei Philippus· Veni & vide· Vidit Ihesus Nathanahel venientem ad se. & dicit de eo· Ecce vere Israhelita. in quo dolus non est· Dicit ei Nathanahel· Unde me nosti? Respondit Ihesus. & dixit ei· Priusquam te Philippus **503** vocaret. cum esses sub ficu. vidi te. Respondit ei Nathanahel. & ait· Rabbi. tu es Filius Dei. tu es rex Israel· Respondit Ihesus. & dicit ei· Quia dixi tibi. vidi te sub ficu. credis? Maius his videbis· Et dicit ei· Amen amen dico vobis videbitis cælum apertum. & angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis.

Super Sindonem.

Tribue nobis quæsumus omnipotens Deus sanctorum martyrum tuorum Nazarii & Celsi desiderata commercia· Ut quorum perpetua dignitate sacra mysteria frequentamus in terris. & præsentia nobis subsidia postulent. & æterna· per. 1018

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine munera populi tui. pro martyrum tuorum Nazarii & Celsi festivitate sanctorum. & sincero nos corde perfice benignus acceptos· per. 1019

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. nos tibi summe Deus gratias agere. & in hac triumphali die. nostræ devotionis pandere vota· In qua martyr sanctus roseo lustratus cruore Nazarius. cæleste meruit conscendere regnum· Qui dum [per] innumera tormentorum acerba supplicia crudelius vexaretur. tyrannicam rabiem fidei constantia superabat· Nec potuit persecutorum illatis **504** cedere minis. quando pro se certante. ipse auctor victoriæ Christus Dominus dimicabat· Ducitur interea ad templum idolis prælibare profanis. quorum portenta divino fultus præsidio. mox ut ingressus est. redegit in pulverem· Ob hoc liquidas maris in undas longius a terra proiectus. angelici muneris famulatu solida inter fluctus vestigia præfigebat· O felix & inclytus Domini præliator. qui mundi congressus principi innumeram populi multitudinem vitæ sociavit æternæ· Inter quos sacri prœlii bellatorem Celsum videlicet fidelissimum testem. dum martyrii docuit certare ad palmam. pariter meruerunt cælestis patriæ pervenire ad regnum. per eundem Christum. 1020

Post Comm.

Protege quæsumus Domine plebem tuam· Et festivitatem martyrum tuorum Nazarii & Celsi. quam nobis tradis assidue debitam. tibi persolvi precibus concede sanctorum· per. 1021

CLXXXVII

KALENDIS AUGUSTI.

NATAL. SANCTORUM MACHABEORUM
ET DEPOSITIO SANCTI EUSEBII.

[*Oratio super populum.*]

Adesto Domine supplicationibus nostris. & intercessionibus beatissimorum martyrum tuorum Machabeorum. atque sacerdotis & confessoris tui **505** Eusebii. perpetuam nobis misericordiam benignus impende· per Dominum nostrum. 1022

Epistola ad Romanos.

Fratres. Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his. qui secundum propositum vocati sunt sancti· Nam quos præscivit. & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii eius. ut sit ipse primogenitus in multis fratribus· Quos autem prædestinavit. hos & vocavit· Et quos vocavit. hos & iustificavit· Quos autem iustificavit. illos & magnificavit· Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis. quis contra nos? Qui etiam proprio Filio suo non pepercit. sed pro nobis omnibus tradidit illum· Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui iustificat? Quis est qui condemnet? Christus Ihesus qui mortuus est. immo qui & resurrexit. qui est ad dexteram Dei. qui etiam interpellat pro nobis? Quis ergo nos separabit a caritate Christi? Tribulatio. an angustia. an persecutio. an fames. an nuditas. an periculum. an gladius? Sicut scriptum est· Quia propter te morte affligimur tota die **506** æstimati sumus ut oves occisionis· Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos· Certus sum enim quia neque mors neque vita. neque angeli. neque principatus. neque virtutes. neque instantia. neque futura. neque fortitudo. neque altitudo. neque profundum. neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei. quæ est in Christo Ihesu Domino nostro.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Loquente Domino Ihesu ad turbas. ecce mater eius & fratres stabant foris. quærentes loqui ei· Dixit autem ei quidam· Ecce mater tua. & fratres tui foris stant. quærentes te· At ipse respondens dicenti sibi ait. Quæ est mater mea. & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit· Ecce mater mea. & fratres mei· Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei. qui in cælis est. ipse meus frater. & soror. & mater est·

Super Sindonem.

Annue nobis quæsumus omnipotens Deus. ut sanctorum martyrum tuorum Machabeorum. sed & sacerdotis & confessoris tui Eusebii suffragiis adiuvemur· Ut sicut eis copiosa victoria dedit triumphum. ita & nobis continuum prestet auxilium· per. 1023

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine & sanctifica hoc sacrificium populi **507** tui· Ut quod in honore beatissimorum martyrum tuorum Machabeorum. sed & sacerdotis & confessoris tui Eusebii offertur ad gloriam. nobis tribuas ad salutem perpetuam· per. 1024

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. nos in honore nominis tui Domine. sanctorum martyrum tuorum Machabeorum annua festivitate. cum omni admiratione præferre nativitate fratres. passione germanos. quos gloriosa mater utero concepit. & mente· Ut quos secundum carnem genuerat mundo. eosdem omnipotenti Deo spiritu fecunditatis generaret ad gloriam· Nam qui nati fuerant carnaliter ad mortem. religiose moriebantur ad vitam· Absciduntur linguæ. cutes capitum auferuntur· Et inter hæc gloriosissimi iuvenes non dolebant quo crudelius punirentur. sed exultabant quo gloriosius interirent. ut invicem sibi essent solacium & exemplum· Post quos omnes & ipsa exultans sanguinis mater & fidei. novissime subsecuta est· Non ut ultima esset. sed ut fructus ventris sui præmitteret Deo. & pignora sua secura sequeretur· Quid illud. quantaque exultatione dicendum est. quod passionis ipsorum die de hoc mundo profectus est. ad æternam sedem testis fidei **508** & veritatis confessor Eusebius· Qui etiam die quo passi sunt martyres veterum præceptorum. eodem die novi testamenti propugnator assumptus est· Illi discesserunt iudaicæ legis mandata servantes. hic requievit inseparabilis Trinitatis asserens unitatem· per Christum Dominum nostrum. 1025

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut quorum memoria sacramenti participatione recolimus. fidem quoque proficiendo sectemur· per. 1026

CLXXXVIII

VIII IDUS [AUGUSTI.]

NATALE SYXTI.

Oratio super populum.

Deus qui martyres tuos. prœmio passionis remunerare consuevisti. ita ut devictis persecutoribus. coronam martyrii consequantur. præsta quæsumus ut beatus sacerdos & martyr tuus Syxtus. cuius festivitatem colimus. tuam pro nobis indulgentiam semper exoret· per. 1027

Alia.

Beati sacerdotis & martyris tui Syxti nos quæsumus Domine frequentantes solemnia. & sacerdotalis instruat te miserante doctrina. & gloriosi martyrii foveant ubique suffragia· per. 1028

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut beatus sacerdos & martyr tuus Syxtus. sacris nos exer-

ceat institutis. & pie semper faciat per suam confessionem constantes· per. 1029

Alia.

Deus qui sanctis tuis in confessione tui nominis. **509** virtutem atque victoriam contulisti· tribue quæsumus. ut dum beati sacerdotis & martyris tui Syxti merita veneramur. studia eius imitari mereamur· per. 1030

Ad Timotheum. II.

Karissime. Admoneo te ut resuscites gratiam Dei. quæ est in te per impositionem manuum mearum· Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris. sed virtutis. & dilectionis & sobrietatis· Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri Ihesu Christi. neque me vinctum eius. sed collabora evangelio secundum virtutem Dei. qui nos liberavit. & vocavit vocatione sancta. non secundum opera nostra. sed secundum suum propositum & gratiam. quæ data est nobis in Christo Ihesu. ante tempora sæcularia· Manifestata est autem nunc per inluminationem Salvatoris nostri Ihesu Christi. qui destruxit quidem mortem. inluminavit autem vitam & incorruptionem per evangelium. in quo positus sum ego prædicator. & apostolus. & magister gentium· Ob quam causam etiam hæc patior. sed non confundor· Scio enim cui credidi. & certus sum quia potest depositum meum servare in illum diem. formam habens sanorum verborum. quæ a me audisti in fide & dilectione. quæ est in Christo Ihesu Domino nostro.

Evangelium secundum Iohannem require retro in sancti Martini.

Super Sindonem.

510 Martyrum tuorum deprecationem quæsumus Domine nobis benignus intende· Et sicut beatum sacerdotem & martyrem tuum Syxtum pati pro tuo nomine voluisti. ita & tuis fidelibus eius facias merita suffragari· per. 1031

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine munera populi tui. pro martyrum tuorum passionibus dicata sanctorum· Et quæ beato Syxto in persecutione fortitudinem ministrarunt. nobis quoque præbeant inter adversa constantiam· per. 1032

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. nos tibi summe Deus noster in die festivitatis hodiernæ pandere vota. qua beatus Syxtus pariter sacerdos & martyr devotum tibi sanguinem exultanter effudit· Quia ad eanden gloriam promerendam. doctrinæ suæ filios incitabat· Et quos erudiebat hortatu. præveniebat exemplo· Is enim vigilantia præditus pastorali. callidi hostis fraudolentiam prævenit. & tyrannicæ rapacitati modum imposuit. salubrique consilio definivit aut cum iustitia vivere. aut quod est gloriosius pro iustitia etiam vitaliter mortem suscipere· Sed cum in huius præpositi calle fortis athleta discurreret. Cæsaris iussu animadverti non timuit **511** & dictis facta compensans. in hostiam transmigravit· per Christum Dominum nostrum. 1033

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut beatus sacerdos & martyr tuus Syxtus. sacris nos exerceat institutis. & pie semper faciat in sua confessione constantes· per. 1034

CLXXXIX

VII. IDUS AUGUSTI.

NATAL. SANCTORUM DONATI ET CARPOFORI.

[*Oratio super populum.*]

Familiam tuam quæsumus Domine supplicantem propitius respice· Ut quæ te inspirante deposcit beatorum martyrum Donati & Carpofori patrociniis consequatur· per. 1035

Epistola et Evangelium de plurimorum sanctorum.

Super Sindonem.

Beatorum martyrum tuorum Donati & Carpofori nos quæsumus Domine corona lætificet. & fidei nostræ præbeat incitamenta virtutum. & multiplici nos suffragio consoletur· per. 1036

Super Oblata.

Suscipe Domine hoc sacrificium placationis & laudis. quod nos intervenientibus sanctis tuis Donato & Carpoforo perducat ad veniam. & in perpetuam gratiarum constituat actionem· per. 1037

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. sanctorum martyrum tuorum Carpofori & Donati merita recolentes. qui usque ad sanguinem pro veritate certantes. ad æterna consortia pervenerunt· & transitoriam lucem pro eadem relinquentes. sempiterni splendoris adepti sunt perpetuam claritatem. per Christum. 1038

Post Comm.

512 Assit nobis Domine quæsumus beatissimorum tuorum Donati & Carpofori sancta perceptio. quæ nos & a terrenis affectibus incessabiliter expediat. & cælestia desiderare perficiat· per. 1039

CXC

IIII. ID. AUGUSTI.

NAT. SANCTI LAURENTII LEVITÆ ET MART.

MISSA IN VIGIL.

[*Oratio super populum.*]

Annue nobis quæsumus omnipotens Deus. ut beati levitæ & martyris tui Laurentii veneranda sollemnitas. & devotionem nobis augeat & salutem. per. 1040

Ad Corinthios II.

Fratres. Qui administrat semen seminanti. & panem ad manducandum prestabit. & multipli-

cabit semen vestrum. & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ· Ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem. quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo· Quoniam mynisterium huius officii. non solum supplet ea quæ desunt sanctis. sed etiam abundat per multos gratiarum actiones in Domino. per probationem mynisterii huius. glorificantes Deum in obœdientiam confessionis vestræ. in evangelio Christi. & simplicitate communicationis in illos. & in omnes. & in ipsorum obsecratione pro vobis desiderantium vos. propter eminentem gratiam Dei in vobis· Gratias Deo super inennarrabili dono eius. (1).

513 *Secundum Iohannem.*

In illo tempore· Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Verba quæ ego loquor vobis. a meipso non loquor· Pater autem in me manens. ipse facit opera· Non creditis quia ego in Patre. & Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite· Amen amen dico vobis. qui credit in me. opera quæ ego facio. & ipse faciet. & maiora horum faciet. quia ego ad Patrem vado· Et quodcumque petieritis in nomine meo. hoc faciam. ut glorificetur Pater in Filio· Si quid petieritis in nomine meo. hoc faciam.

Super Sindonem.

Deus cuius claritatis ardore. beatus Laurentius lævita & martyr. edaces incendii flammas contempto persecutore devicit. concede ut omnes qui martyrii eius merita veneramur. protectionis tuæ muniamur auxilio· per. 1041

Super Oblata.

Suscipe Domine hæc munera populi tui. quæ tibi in beati martyris tui Laurentii festivitate offerimus· Ut per eadem sicut confidimus. tuæ pietatis sentiamus auxilium· per. 1042

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. Nos tibi omnipotens Domine gratias agere. beati Laurentii martyris tui sollemnitatem celebrantes· Cui fidem confessionemque non abstulit ignis accensus. sed ut clarius luceret **514** accendit· Nam sicut aurum flammis non uritur. sed probatur. sic beati martyris sancta substantia non consummitur. sed aptatur cælestibus ornamentis· per Christum Dominum nostrum. 1043

Post Comm.

Indulgentiam tuam Domine nobis quæsumus sancti Laurentii postulet grata precatio. per dilectissimum Filium tuum Deum Dominum & Salvatorem nostrum. qui tecum vivit. 1044

CXC BIS

OR. AD VESPERUM VEL AD VIGILIAM.

Deus qui refrigerium iustis. & gehennam impiis præparasti. cuiusque auxilio beatus Laurentius in ferrea crate distentus. æstuantis incendii flammas edaces contempto persecutore devicit. concede propitius ut eius orationibus sive meritis adiuvemur· per. 1045

Alia.

Deus quo iuvante beatus Laurentius ferrea crate liberatus subiecto minime cessit incendio. nam flagrantibus membris coronam est martyrii consecutus. præsta ut omnes qui passionis eius merita veneramur. maiestati tuæ muniamur auxilio· per. 1046

Alia.

Deus mundi creator & rector. qui hunc diem in levitæ tui Laurentii martyrio consecrasti. exaudi propitius supplices tuos·· Et concede ut omnes qui martyrii eius merita veneramur. **515** intercessionibus eius ab æternis gehennæ incendiis liberemur· per. 1047

Alia.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus vitiorum nostrorum flammas extinguere qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare· per. 1048

CXCI

MANE AD MISSAM.

Oratio super populum.

Annue quæsumus omnipotens Deus. ut sicut beatus levita & martyr tuus Laurentius. ignium globos te protegente evasit. ita fidelis populus. huius adversitatem sæculi. te auxiliante evadat· per. 1049

Ad Corinthios. II.

Fratres· Qui parce seminat. parce & metet. Qui autem seminat in benedictionibus. de benedictionibus & metet· Unusquisque prout destinavit corde suo non ex tristitia. aut ex necessitate· Hylarem enim datorem diligit Deus· Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis. ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes. abundetis in omne opus bonum sicut scriptum est· Dispersit dedit pauperibus. iustitia eius manet in æternum.

Secundum Iohannem.

In illo tempore· Locutus est Dominus Ihesus ad turbas. & ad discipulos suos dicens· Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. ipsum solum manet· Si autem mortuum fuerit. multum fructum **516** affert· Qui amat animam suam. perdet eam· Et qui perdiderit animam suam in hoc mundo. in vitam æternam custodit eam· Si quis mihi ministrat. me sequatur· Et [ubi] ego sum. illic & minister meus erit· Si quis mihi ministraverit. honorificabit eum Pater meus· Nunc anima mea turbata est. & quid dicam? Pater clarifica me ex hac hora· Sed propterea veni in horam hanc· Pater clarifica tuum nomen· Venit ergo vox de cælo. & clarificavi. & iterum clarificabo· Turba ergo quæ stabat

(1) Ad oram Codicis inferiorem legitur : CANTICUM. *Levavi oculos meos ad montes unde veniet auxilium mihi.*

& audierat. dicebat tonitruum factum esse· Alii dicebant angelus ei locutus est· Respondit Ihesus. & dixit· Non propter me vox hæc venit. sed propter vos· Nunc iudicium est mundi. nunc princeps huius mundi eicietur foras· Et ego si exaltatus fuero a terra. omnia traham a[d] meipsum· Hoc autem dicebat. significans qua morte clarificaturus esset Deum.

Super Sindonem.

Beati martyris tui Laurentii nos quæsumus Domine foveant continuata præsidia· Quia non desinis propitius intueri. quos promissis auxiliis concesseris adiuvari· per. 1050

Super Oblata.

Ut grata tibi sit quæsumus Domine nostræ servitutis oblatio. beatus lævita & martyr tuus Lauren- **517** tius natalicio suo optineat· per Dominum. 1051

Prefatio.

Vere dignum· Æterne Deus. qui hodierna die lævitæ tui Laurentii fidem auream igne ardentissimo comprobasti. ut esset tibi hostia viva. hostia sancta. in odorem suavitatis accensa· O gloriosi certaminis virtus. o inconcussa constantia mentis· Striduunt membra viventis super craticulam imposita. & prunis sevientibus anhelantis ut & tibi hostia fieret. & ad triumphum martyrii intrepidus perveniret. per Christum Dominum nostrum. 1052

Post Comm.

Conserva in nobis Domine munus tuum· Et quod te donante. pro sollemnitate beati martyris tui Laurentii percepimus. & salutem nobis prestet. & pacem· per. 1053

CXCII

IDIBUS AUGUSTI.

NAT. SANCTORUM YPOLITI ET CASSIANI.

[*Oratio super populum.*]

Intercessio Domine beati Ypoliti martyris tui. & tuam nobis non desinat placare iustitiam. & nostrum tibi devotum efficere famulatum· per. 1054

Ad Timotheum. I.

Karissime. Gratias ago ei qui me confortavit in Christo Jesu Domino nostro. quia fidelem me existimavit ponens in mynisterio· Qui prius fui blasphemus. & persecutor. & contumeliosus. sed misericordiam consecutus sum. quia ignorans feci in incredulitate· Superabundavit autem gratia Domini nostri. cum fide & dilectione. quæ est in Christo Ihesu· Fidelis sermo. **518** & omni acceptione dignus· Quoniam Christus Ihesus venit in hunc mundum peccatore[s] salvos facere quorum primus ego sum· Sed ideo misericordiam consecutus sum. ut in me primum ostenderet Christus Ihesus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam· Regi autem sæculorum immortali. invisibili soli Deo honor & gloria. in sæcula sæculorum.

Secundum Matheum.

In illo tempore· Assumpsit Dominus Ihesus duodecim discipulos suos. & ait illis· Ecce ascendimus Ierosolimam. & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas. de Filio hominis· Tradetur enim gentibus. & illudetur. & flagellabitur. & conspuetur· Et postquam flagellaverint. occident eum. & die tertia resurget· Et ipsi nihil horum intellexerunt· Et erat verbum istud absconditum ab eis. & non intellegebant quæ dicebantur· Factum est autem cum appropinquaret Iericho. cæcus quidam sedebat secus viam mendicans· Et cum audiret turbam prætereuntem. interrogabat quid hoc esset· Dixerunt autem ei. quod Ihesus Nazarenus transiret· Et clamavit dicens· Ihesu fili David miserere mei· Et qui præibant. increpabant **519** eum ut tacerent· Ipse vero magis clamabat. fili David miserere mei· Stans autem Ihesus iussit eum adduci ad se· Et cum appropinquasset. interrogavit illum dicens· Quid tibi vis faciam? At ille dixit· Domine ut videam· Et Ihesus dixit illi· Respice. fides tua te salvum fecit· Et confestim vidit. & sequebatur illum magnificans Deum· Et omnis plebs ut vidit. dedit laudem Deo.

Super Sindonem.

Sancti martyris tui Ypoliti Domine quæsumus veneranda festivitas. salutaris auxilii nobis prestet augmentum· per. 1055

Super Oblata.

Offerimus tibi Domine preces. & munera· Quæ & tuo sint digna conspectui. beati martyris tui Ypoliti precibus adiuvemur· per. 1056

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. nosque in hac sollemnitatis die beati martyris tui Ypoliti. ad tui nominis gloriam exultare· Quia te verum ducem considerans. miles tuus esse voluit. quam dux militum comprobari· beatumque Laurentium suæ custodiæ mancipatum. non persecutus est. sed secutus· Qui cum thesaurus ecclesiæ discutit. invenit thesaurum. non quem tyrannus eriperet. sed quem pietas possideret· **520** Invenit thesaurum. unde veræ divitiæ paterentur· Sprevit favorem tyranni. ut cum regis perpetui gratia probaretur· Membris dividi non refugit. ne nexibus divelleretur æternis. quia solum vitæ dilexit auctorem. quem una tecum omnipotens Pater. 1057

Post Comm.

Sacramenti tui Domine communio sumpta nos salvet. & in tuæ veritatis luce confirmet· per. 1058

CXCIII

XVIII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

DEPOSITIO SANCTI SIMPLICIANI EPISCOPI
ET
TRANSLATIO SANCTORUM SISINNII MARTIRII ET ALEXANDRI.

[*Oratio super populum.*]

Impetret quæsumus Domine fidelibus tuis auxilium pietatis. oratio beatissimorum martyrum tuorum Sisinnii Martyrii & Alexandri. sed & sacerdotis & confessoris tui Simpliciani· Ut in quorum sollemnitate sumus devoti. facias nos. propitius in eorum perpetua esse sorte participes· per. 1059

Epistola ad Romanos.

Fratres. Si complantati facti sumus similitudini mortis eius. simul & resurrectionis erimus· Hoc scientes. quia vetus homo noster. simul crucifixus est. ut destruatur corpus peccati. ut ultra non serviamus peccato· Qui enim mortuus est. iustificatus est a peccato· **521** Si autem mortui sumus cum Christo. credimus quia simul etiam vivemus cum illo· Scientes quod Christus surgens ex mortuis iam non moritur. mors illi ultra non dominabitur· Quod enim mortuus est peccato. mortuus est semel· Quod autem vivit. vivit Deo· Ita & vos existimate vos mortuos quidem esse peccato. viventes autem Deo in Christo Ihesu Domino nostro.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Nolite timere pusillus grex. quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum· Vendite quæ possidetis. & date elemosinam· Facite vobis sacculos qui non veterescunt. thesaurum non deficientem in cælis. quo fur non appropiat. neque tinea corrumpit· Ubi enim thesaurus vester est. ibi & cor vestrum erit· Sint lumbi vestri præcincti. & lucernæ ardentes. & vos similes hominibus expectantibus dominum suum. quando revertatur a nuptiis· Ut cum venerit & pulsaverit. confestim aperiant ei· Beati servi illi quos cum venerit dominus. invenerit vigilantes· Amen dico vobis. quod præcinget se. & faciet illos discumbere. & transiens ministrabit illis· Et si vene- **522** rit in secunda vigilia. & si in tertia vigilia venerit. & ita invenerit. beati sunt servi illi· Hoc autem scitote. quoniam si sciret paterfamilias. qua hora fur veniret. vigilaret utique. & non sineret perfodi domum suam· Et vos estote parati. quia qua hora non putatis Filius hominis venit· Ait autem ei Petrus· Domine. ad nos dicis hanc parabolam. an & ad omnes? Dixit autem Dominus· Quis putas est fidelis dispensator & prudens. quem constituit dominus suus super familiam suam. ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus. quem cum venerit dominus. invenerit ita facientem· Vere dico vobis. quia supra omnia quæ possidet. constituet illum.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut beatissimorum martyrum tuorum Sisinnii Martyrii & Alexandri. sed & sacerdotis & confessoris tui Simpliciani & imitatione te duce mereamur sectari. & oratione tueri· per. 1060

Super Oblata.

Deus qui ad deprecandum te. nostræ conscientiæ prospicis non sufficere facultatem. cunctos martyres & confessores tuos fac pro nobis exorare. qui tibi digne possint pro nostris actibus **523** supplicare· per. 1061

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus qui non solum martyrum gloriosa admiratione in cælis es mirabilis. sed etiam in terris a tuis testibus & confessoribus consona exultatione laudaris· Qui licet ab infidelibus pro tui Unigeniti nomine acerbas non susceperint passiones. occulto tamen sanctitatis proposito. hostiles vitiorum acies mirabiliter superarunt· Inter quos beatus sacerdos & confessor tuus Simplicianus. ut ad ianuam pietatis tuæ facilius ei concederetur ingressus. martyrum imitans exempla. eorum est subsecutus sacra vestigia· per Christum Dominum nostrum. 1062

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut beatorum martyrum tuorum Sisinnii Martyrii & Alexandri. sed & sacerdotis & confessoris tui Simpliciani deprecationibus sacramenta sancta quæ sumpsimus. ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum· per. 1063

CXCIV

EODEM DIE.

ASSUMPTIO BEATÆ MARIÆ.

[*Oratio super populum.*]

Omnipotens sempiterne Deus. qui terrenis corporibus. Verbi tui veritatis Filii unigeniti. per venerabilem ac gloriosam semperque virginem Mariam. ineffabile mysterium coniungere voluisti. petimus inmensam clementiam tuam. ut quod in eius **524** veneratione deposcimus. te propitiante consequi mereamur· per eundem Dominum. 1064

Lectio libri Sapientiæ.

In omnibus requiem quæsivi. & in hereditate eius morabor· Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium. & qui creavit me requievit in tabernaculo meo. & dixit mihi· In Iacob inhabita. & in Israel hereditare. & in electis meis mitte radices· Ab initio ante sæcula creata sum. & usque ad futurum sæculum non desinam. & in habitatione sancta coram ipso ministravi· Et sic in Sion firmata sum. & in civitate sanctificata similiter requievi. & in Ierusalem potestas mea· Et radicavi in populo honorificato. & in parte Dei mei hereditas illius. & in plenitudine sanctorum detentio mea·

Quasi cedrus exaltata sum in Libano. & quasi cypressus in monte Syon. & quasi palma exaltata sum in Cades. & quasi plantatio rosæ in Iericho· Quasi oliva spetiosa in campis. & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis· Sicut cinnamomum & aspaltum aromatizans odorem dedi. quasi myrra electa dedi suavitatem odoris.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Intravit Dominus Ihesus in quoddam **525** castellum. & mulier quædam Marta nomine excepit illum in domum suam· Et huic erat soror nomine Maria· Quæ etiam sedens secus pedes Domini. audiebat verbum illius· Marta autem satagebat circa frequens mynisterium· Quæ stetit. & ait· Domine. non est tibi curæ. quod soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi ut me adiuvet· Et respondet dixit illi Dominus· Marta Marta sollicita es. & turbaris erga plurima· Porro unum est necessarium· Maria optimam partem elegit. quæ non auferetur ab ea.

Super Sindonem.

Concede nobis quæsumus omnipotens Deus. ad beatæ Mariæ semper virginis gaudia æterna pertingere. de cuius nos veneranda assumptione. tribuis annua sollemnitate gaudere· per. 1065

Super Oblata.

Intercessio quæsumus Domine beatæ Mariæ semper virginis munera nostra commendet. nosque in eius veneratione. tuæ maiestati reddat acceptos· per. 1066

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. nos te in tuis sacratissimis virginibus exultantibus animis laudare. benedicere. & prædicare· Inter quas beata Dei genitrix intemerata virgo Maria gloriosissime fulget· Cuius assumptionis diem **526** omni devotione colendum. præsenti sacrificio celebramus· per Christum Dominum nostrum. 1067

Post Comm.

Cælesti munere satiati. quæsumus omnipotens Deus tua nos protectione custodi· Ut castimoniam. & pacem mentibus nostris atque corporibus intercedente sancta Maria propitiatus indulgeas & veniente sponso Filio tuo unigenito. accensis lampadibus eius digni prestolemur occursum· qui tecum vivit· 1068

CXCV

XVIII. DIE MENSIS AUGUSTI.

SANCTORUM MAMES ET AGAPITI.

Oratio super populum.

Auxilium tuum nobis Domine quæsumus placatus impende. Et intercedente beato Agapito martyre tuo dexteram super nos tuæ propitiationis extende· per. 1069

Epistola ad Corinthios. I. require retro Dominica in Sexagesima. Quis militat suis stipendiis.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore. Concilium fecerunt pharisæi adversum Dominum Ihesum ut caperent eum in sermone· Et mittunt discipulos suos cum herodianis dicentes· Magister. scimus quia verax es. & viam Dei in veritate doces. & non est tibi cura de aliquo· Non enim respicis personas hominum. Quid tibi videtur. licet censum dare Cæsari aut non? Cognita autem Ihesus nequitia eorum ait· Quid me temptatis hypocritæ? **527** Ostendite mihi nomisma census· At illi optulerunt ei denarium. Ait illis Ihesus· Cuius est imago hæc. & superinscriptio? Dicunt ei Cæsaris· Tunc ait illis· Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari. & quæ sunt Dei Deo.

Super Sindonem.

Sancti martyris Agapiti merita nos Domine pretiosa tueantur. in quibus tuæ maiestatis opera prædicantes. & presens capiamus adiutorium & futurum· per. 1070

Super Oblata.

Suscipe Domine munera quæ in eius tibi sollemnitate deferimus. cuius nos confidimus patrocinio liberari· per. 1071

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare· Cuius amore succensus Mames beatissimus martyr. gloriosam promeruit consequi certaminis palmam· Qui pestiferam sacrilegorum plebem despiciens maluit habitare cum bestiis. quam mundi commoda cum infidelibus possidere· Ob hoc & voce divina admonitus. evangelium invenire meruit. ut qui polluta incredulorum dispexit conloquia. sui conditoris verba sedulus perfrui mereretur· Cui & bestiæ deposita ferocitate famulare non desinunt. dum suorum uberum fructus Christi famulo sponte ministrant· Mittitur interea ut ex- **528** hibeatur carnifici qui paratus dimicare pro Christo. ad stadium devotus occurrit Illic pœnarum acervitate vexatur Dei Filium voce libera profitetur· Suspensus denique torquetur carcereo squalore subicitur ferarum horrendis morsibus exhibetur· Camino urenti includitur iniquorum traditur manibus lapidandos· Sed feralis illa insatiata rapacitas mitis efficitur. & igneus globus incolumem Christi martyrem conservavit· O ineffabilis æterni regis potentia. o admiranda clementia Redemptoris· Qui pro martyrum dignitate dat intellectum bestiis elementis propriam tollit virtutem ut universi qui tibi serviunt. te verum Deum glorificent. te omnium discant esse factorem per Christum Dominum nostrum. 1072

Post Comm.

Protegat quæsumus Domine populum tuum. & participatio cælestis indulta convivii & deprecatio conlata sanctorum· per Dominum. 1073

CXCVI

VIII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

NATALE SANCTI GENESII.

Oratio super populum.

Beati martyris tui Genesii nos faciat Domine passio veneranda lætantes. & ut eam sufficienter recolamus dignos efficiat· per. 1074

Ad Philippenses.

529 Fratres. Scire vos volo. quia quæ circa me sunt. magis ad profectum venerunt ad evangelii. ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio. & in cæteris omnibus. & plures e fratribus in Domino confidentes in vinculis meis. abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui· Quidam quidem & propter invidiam & contentionem. quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant· Quidam ex caritate. scientes quoniam in defensionem evangelii positum sum· Quidam autem ex contentione Christum annuntiant. non sincere existimantes pressuram se suscitare in vinculis meis. quid enim. dum omni modo sive per occasionem. sive per caritatem Christus annuntietur? & in hoc gaudeo. sed & gaudebo· Scio enim quoniam hæc mihi provenient in salutem per vestram orationem & subministrationem Spiritus Ihesu Christi. secundum expectationem. & spem meam· Quia in nullo confundar. sed in omni fiducia sicut semper. & nunc magnificabitur Christus in corpore meo. sive per vitam sive per mortem· Mihi enim vivere Christus est. & mori lucrum.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Assumpsit Dominus Ihesus Petrum & Iacobum & Iohannem fratrem eius. & duxit **530** illos in montem excelsum seorsum. & transfiguratus est ante eos· Et resplenduit facies eius sicut sol. vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix· Et ecce apparuit eis Moyses. & Helias. cum eo loquentes· Respondens autem Petrus dixit ad Ihesum· Domine bonum est nobis hic esse. si vis faciamus hic tria tabernacula· Tibi unum. & Moysi unum. & Heliæ unum· Adhuc eo loquente. ecce nubes lucida obumbravit eos· Ecce vox de nube dicens· Hic est Filius meus dilectus. in quo mihi bene complacui. ipsum audite· Et audientes discipuli. ceciderunt in faciem suam. & timuerunt valde· Et accessit Ihesus. & tetigit eos. dixitque eis· Surgite. nolite timere· Levantes autem oculos suos. neminem viderunt. nisi solum Ihesum· Et descendentibus illis de monte præcepit Ihesus dicens· Nemini dixeritis visionem. donec Filius hominis a mortuis resurgat.

Super Sindonem.

Sancti martyris tui Genesii merita nos Domine prætiosa tueantur. in quibus tuæ maiestatis opera prædicantes. & præsens capiamus adiutorium & futurum· per. 1075

Super Oblata.

Hostias quæsumus Domine quas in sollemnitate beati **531** martyris tui Genesii. sacris altaribus exhibemus. propitius respice· Ut nobis indulgentiam largiendo. tuo nomini dent honorem· per. 1076

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare· Nos tibi omnipotens Domine gratias agere. & in hac triumphali die consona exultatione laudare. quia beatus Genesius celeberrimus martyr. pro Christi confessione nominis mortem suscipere non expavit· Hic dum terreno imperio mimicæ artis placeret industria. rennuit mundanæ delectationis lætitiam ut esset gaudiorum cælestium perennis possessor· Nam cum unda sacri dilueretur baptismatis. & intra cæli secreta suæ confessionis auctorem videre promeruit. & Sanctum Spiritum in columbæ specie sibi adesse cognovit· O beata fides divino fulta præsidio· O digna conversio deifico lustrata decore. quæ ante meruit gloriam. videre celestem quam pro ipsius auctoris gloriam in agone certasset· Hic etiam innocentum animas Christi pro nomine damnatas morti & intra cælestia regna conspexit. & qua esset luce collocandus agnovit· Sic nimirum coram tyranno stetit immobilis. ut post varias minas. verberumque terrores. per sui sanguinis effusionem. & nobis gloriosum se martyrem. & cælestium civium monstraret esse **532** consortem· per Christum Dominum nostrum. 1077

Post Comm.

Plebem tuam Domine beatus martyr Genesius interventor attollat· Et quam de suo facit martyrio sæpius gratulari. dignam semper imploret tuæ pietatis existere sacramentis· per. 1078

CXCVII

VII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

SANCTI ALEXANDRI.

Oratio super populum.

Præsta quæsumus omnipotens & misericors Deus· Ut qui beati Alexandri martyris tui natalicia colimus· Intercessione eius in tui nominis amorem roboremur· per. 1079

Alia.

Intercessio nos Domine quæsumus sancti Alexandri martyris tui beata confoveat. Ut eius sacra natalicia. & temporaliter frequentemus & conspiciamus æterna· per. 1080

Ad Corinthios. II.

Fratres. Ubi Spiritus Domini ibi libertas· Nos itaque omnes revelata facie gloriam Dei speculantes. [in eamdem imaginem transformamur] a gloria in gloriam a Domini Spiritu· Habentes autem hanc administrationem. sicut misericordiam consecuti non deficimus. sed abdicamus occulta dedecoris· Non ambulantes in

astudia. neque adulterantes verbum. sed in manifestatione veritatis. commendantes nosmetipsos. ad omnem conscientiam hominum in conspectu Dei· Sed & si est opertum evangelium nostrum. in his qui pereunt opertum est. in quibus Deus huius sæculi excæcavit sensus infide- **533** lium ut non perviderent lumen evangelii gloriæ Christi. qui est imago invisibilis Dei· Non enim nosmetipsos prædicamus. sed Christum Ihesum Dominum nostrum.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Sicut dilexit me Pater & ego vos dilexi. Manete in dilectione mea· Si præcepta mea servaveritis manebitis in dilectione mea· Sicut & ego Patris mei præcepta servavi & maneo in eius dilectione· Hæc locutus sum vobis. ut gaudium meum in vobis maneat. & gaudium vestrum impleatur· Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexit vos· Maiora hac dilectionem nemo habet. ut animam suam ponat quis pro amicis suis· Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis· Iam non dico vos servos quia servus nescit quid faciat dominus eius· Vos autem dixi amicos. quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis· Non vos me elegistis sed ego elegi vos & posui vos ut eatis & fructum afferatis & fructus vester maneat· Ut quodcumque petieritis a Patre in nomine meo det vobis.

Super Sindonem.

Annue quæsumus clementissime Deus. orationibus populi tui· Et quos in celebritate beatissimi martyris **534** tui Alexandri adesse fecisti eius propitius præcibus æterna perfrui beatitudine concedas· per. 1081

Super Oblata.

Accepta tibi sint quæsumus Domine munera quæ in die sollemnitatis beati martyris tui Alexandri deferimus. ut eo maiestati tuæ sint placita sicut illius effusio sanguinis apud te extitit prætiosum· per. 1082

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare· Gloriosi martyris tui Alexandri pia certamina præcurrendo. cuius honorabilis annua recursione sollemnitas. & perpetua semper & nova est· Quia & in conspectu tuæ maiestatis permanet mors tuorum pretiosa iustorum· Et restaurantur incrementa lætitiæ cum felicitatis æternæ recoluntur exordia· per Christum Dominum nostrum. 1083

Post Comm.

Sumpsimus Domine sancti Alexandri martyris sollemnitate cælestia sacramenta· Cuius suffragiis quæsumus largiaris. ut quod temporaliter gerimus. æternis gaudiis consequamur· per. 1084

CXCVIII

V. KALENDAS SEPTEMBRIS.

DEPOSITIO SANCTI AUGUSTINI.

[*Oratio super populum.*]

Misericordiam tuam Domine nobis quæsumus. interveniente beato sacerdote & confessore tuo Augustino clementer impende & nobis peccatoribus. ipsius propitiare suffragiis· per. 1085

Epistola de confessor.

Evangelium **535** *require in sancti Martini·* Ego sum pastor bonus.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus Domine. ut beati confessoris tui Augustini cuius iugiter celebramus meritum. continuum sentiamus auxilium· per. 1086

Super Oblata.

Sancti confessoris tui Augustini nobis Domine pia non desit intercessio. quæ & munera nostra conciliet. & tuam nobis indulgentiam semper obtineat· per. 1087

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & in omni loco. ac tempore omnipotentiæ tuæ gloriam celebrare· Per quod pietatis officium. in commemoratione beati Augustini confessoris tui atque pontificis. sacrificium tibi laudis offerimus. & magnificentiam tuam in mortificatione ipsius adoramus. tua in omnibus operante virtute· Ut nullis inlecebris corporis. nullis promissis blandimentorum fallacium. vir tuo ignitus spiritu vinceretur· Quia ita eum omne genus pietatis imbueras. ut ipse tibi & ara. & sacrificium & sacerdos esset & templum· per Christum. 1088

Post Comm.

Ut nobis Domine tua sacrificia dent salutem. beatus confessor tuus Augustinus quæsumus precator accedat· per. 1089

CXCIX

IIII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

DECOLLATIO SANCTI IOHANNIS BAPTISTÆ.

[*Oratio super populum.*]

Protegat ecclesiam tuam Deus. oratio veneranda beatissimi præcursoris & martyris tui Iohannis Baptistæ· Et cui frequentiam **536** devotionis impendit. perpetuæ poscat redemptionis effectum· qui vivis & regnas. 1090

Ad Galatas.

Fratres. Scitis quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis iampridem & temptationem vestram in carne mea non sprevistis. neque respuistis. sed sicut angelum Dei excepistis me. sicut Christum Ihesum· Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis. quia si fieri potuisset. oculos vestros eruissetis &

dedissetis mihi· Ergo inimicus vobis factussum. verum dicens vobis? Æmulantur vos non bene. sed excludere vos volunt. ut illos æmulamini· Bonum autem æmulamini. in bono semper.

Evangelium secundum Marcum.

In illo tempore. Misit Herodes rex ac tenuit Iohannem. & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui. quia duxerat eam· Dicebat enim Iohannes Herodi· Non licet tibi habere uxorem fratris tui· Herodes autem insidiabatur illi. & volebat occidere eum. nec poterat· Herodes enim metuebat Iohannem. sciens eum virum iustum & sanctum. & custodiebat eum· Et audito eo multa faciebat. & libenter eum audiebat· **537** Et dies cum oportunus accidisset Herodes natali suo cænam fecit principibus. & tribunis. & primis Galileæ. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis. & saltasset. & placuisset Herodi. simulque recumbentibus. rex ait puellæ· Pete a me quod vis. & dabo tibi· Et iuravit illi. quia quicquid petieris dabo tibi. licet dimidium regni mei· quæ cum exisset. dixit matri suæ· Quid petam? Et illa dixit· Capud Iohannis Baptistæ· Cumque introisset. statim cum festinatione ad regem petivit dicens· Volo ut protinus des mihi in disco caput Iohannis Baptistæ· Et contristatus est rex propter iusiurandum. & propter simul recumbentes. noluit eam contristari. sed misso spiculatore. præcepit afferri caput eius in disco· Et decollavit eum in carcere. & attulit caput eius in disco. & dedit illud puellæ. & puella dedit matris suæ· Quo audito. discipuli eius venerunt & tulerunt corpus eius. & posuerunt illud in monumento.

Super Sindonem.

Perpetuis nos Domine sancti Iohannis Baptistæ tuere præsidiis· Et quanto fragiliores sumus tanto magis necessariis attolle suffragiis· per. 1091

538 *Super Oblata.*

Auxilientur nobis Domine. beati præcursoris & martyris tui Iohannis Baptistæ veneranda merita passionis. & hæc nobis hostia tua placationis existant· per. 1092

Prefatio.

Vere dignum. Æquum & salutare. Nos tibi omnipotens Domine gratias agere. teque omni tempore benedicere. & in hac præcipua festivitate diei laudare. in quo beatus Iohannes Baptista. martyrii est coronam adeptus. quo inter natos maior nemo extitit mulierum· Nuptias prohibendo illicitas. gloriosum martyrii triumphum capite truncatus obtinuit & Dominum nostrum Ihesum Christum mundi Salvatorem venisse corporali præsentia demonstravit. eius quoque descensionem præcurrens inferis nuntiavit· & ideo cum angelis. 1093

Post Comm.

Sancti Iohannis Baptistæ & martyris tui Domine quæsumus veneranda festivitas. salutaris auxilii nobis prestet effectum· per. 1094

CC

VII. DIE MENSIS SEPTEMBRIS.

DEDICATIO BASILICÆ BEATI ARCHANGELI MICHAHEL.

[*Oratio super populum.*]

Da nobis omnipotens Deus. beati archangeli Michahelis honore ad summa proficere· Ut cuius in terris gloriam prædicamus. eius quoque precibus adiuvemur in cælis· per. 1095

Alia.

539 Deus qui miro ordine angelorum mynisteria. hominumque dispensas. concede propitius. ut qui tibi ministrantes in cælo semper assistunt ab his in terris nostra vita muniatur· per. 1096

Lectio Apocalypsis beati apostoli et evangelistæ Iohannis.

In diebus illis. Apertum est templum Domini in cælo. & visa est arca testamenti eius in templo eius· Et facta sunt fulgura. & voces. & terræmotus. & grando magna. & signum magnum apparuit in cælo. mulier amicta sole. & luna sub pedibus. & in capite eius corona stellarum duodecim. & in utero habens & clamabat parturiens. & cruciatur ut pariat· Et visum est aliud signum in cælo. & ecce drago magnus rufus habens capita septem & cornua decem. & capitibus suis septem diademata. & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli. & dimisit eas in terram· Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura. ut cum peperisset. filium eius devoraret· Et peperit filium masculum. qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea· Et raptus est filius eius ad Deum. & ad thronum eius. & mulier fugit in solitudinem. ubi habebat locum paratum a Deo. & ibi pascant illa diebus mille ducenti sexaginta· Et factum est prælium **540** magnum in cælo. Michahel & angeli eius prœliabantur cum dracone. & draco pugnabat. & angeli eius· Et non valuerunt. neque locus inventus est eorum amplius in cælo· Et proiectus est draco ille magnus serpens antiquus. qui vocatur diabolus & satanas. qui seducit universum orbem. proiectus est in terram. & angeli eius cum eo missi sunt· Et audivi vocem magnam in cælo dicentem· Nunc facta est salus. & virtus. & regnum Dei nostri. & potestas Christi est. quia proiectus est accusator fratrum nostrorum. qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ác nocte· Et ipsi vicerunt illum propter sanguinem Agni. & propter verbum testimonii sui. & non dilexerunt animas suas usque ad mortem· Propterea lætamini cæli. & qui inhabitatis in eis.

Evangelium require in Dedicatione secundum Lucam. Egressus Dominus Ihesus perambulabat Iericho.

Super Sindonem.

Adesto plebi tuæ misericors Deus· Et ut gratiæ tuæ potiora beneficia percipiat. beati Michahelis

archangeli fac supplicem deprecationibus sublevari· per. 1097

Super Oblata.

Munus populi tui quæsumus Domine dignanter assume. quod non nostris meritis. sed sancti archangeli tui Michahelis deprecatione. tuæ potentiæ sit gratum· per. 1098

Prefatio.

541 Vere dignum. Æterne Deus. Te laudabilem in sanctis. te mirabilem in tuis angelis prædicare· Quod templum hoc sanctis usibus præparatum. in beati archangeli tui Michahelis commemoratione lætatur· Qui tuæ maiestatis semper excubiis est propinquus. qui inter cælestis militiæ secretum summus optinet principatum· Quem supplices pro tui nominis reverentia postumamus. ut fragilitati nostræ magnificus suffragator accedat· Cum quo maiestatem tuam. l. a. v. a. 1099

Post Comm.

Beati archangeli tui Michahelis interventione suffulti. supplices te Domine deprecamur. ut quos honore prosequimur. contingamus & mente· per. 1100

CCI

XVIII. KALENDAS OCTOBRIS.

NAT. SANCTORUM CORNELII ET CYPRIANI.

Oratio super populum.

Beatorum martyrum pariterque pontificum Corneli & Cypriani nos Domine quæsumus festa tueantur. & eorum commendet oratio veneranda· per. 1101

Ad Corinthios. II.

Fratres. Si qua in Christo nova creatura. vetera transierunt. ecce facta sunt omnia nova· Omnia autem ex Deo. qui reconciliavit nos sibi per Christum. & dedit nobis mynisterium reconciliationis· Quoniam quidem Deus erat in Christo. mundum reconcilians sibi. non reputans illis delicta ipsorum. & posuit in nobis verbum reconciliationis· Pro Christo enim **542** legatione fungimur. tamquam Deo exhortante per nos· Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo· Eum qui non noverat peccatum. pro nobis peccatum fecit· ut nos efficeremur iustitia Dei in ipso· Adiuvantes autem & exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.

Evangelium secundum Lucam.

In illo tempore. Exiit Dominus Ihesus. & vidit publicanum nomine Levi sedentem ad teloneum. & ait illi· Sequere me· Et relictis omnibus surgens secutus est eum· Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua· Et erat turba multa publicanorum. & aliorum. qui cum illis erant discumbentes· Et murmurabant pharisæi & scribæ eorum. dicentes ad discipulos eius· Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis. & bibitis? Et respondens Ihesus dixit ad illos· Non egent qui sani sunt medico. sed qui male habent· Non veni vocare iustos. sed peccatores in pœnitentiam· At illi dixerunt ad eum· Quare discipuli Iohannis ieiunant frequenter. & obsecrationes faciunt. similiter & pharisæorum. tui autem edunt. & bibunt? Quibus ipse ait· Numquid potestis filios sponsi. dum cum illis est sponsus? facere ieiunare? Venient autem dies. & cum ablatus **543** fuerit ab illis sponsus. tunc ieiunabunt in illis diebus· Dicebat autem & similitudinem ad illos· Quia nemo commissuram a vestimento novo inmittit in vestimentum vetus· Alioquin & novum rumpet. & veteri non convenit commissura a novo· Et nemo mittit vinum novum. in utres veteres· Alioquin rumpet vinum novum utres. & ipsum effundetur. & utres peribunt· Sed vinum novum in utres novos mittendum est. & utraque conservantur.

Super Sindonem.

Domine Deus noster multiplica super nos gratiam tuam· Et sanctorum tuorum Cornelii & Cypriani. quorum celebramus gloriosa certamina. tribue subsequi in sancta professione victoriam· per. 1102

Super Oblata.

Plebis tuæ Domine munera benignus intende. quæ maiestati tuæ. pro sanctorum martyrum Cornelii & Cypriani sollemnitatibus sunt dicata· per. 1103

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Tuamque in sanctorum tuorum Cornelii & Cypriani festivitate prædicare virtutem. quos diremptis terrarum partibus greges sacro divino pane pascentes. una fide. eademque die pari nominis tui confessione coronasti. per Christum Dominum nostrum. 1104

Post Comm.

Sacro munere vegetatos. sanctorum martyrum **544** Cornelii & Cypriani natalicia. nos tibi Domine quæsumus commendet oratio· per. 1105

CCII

EODEM DIE.

EXALTATIO SANCTÆ CRUCIS.

[*Oratio super populum.*]

Deus qui nos hodierna die. exaltationis sanctæ crucis annua sollemnitate lætificas· Præsta ut cuius mysterium in terra cognovimus eius redemptionis præmia mereamur· per. 1106

Super Sindonem.

Deus qui unigeniti tui Domini nostri Ihesu Christi prætioso sanguine. humanum genus redimere dignatus es. concede propitius. ut qui ad adorandam vivificam crucem adveniunt. a peccatorum suorum nexibus liberentur· per. 1107

Super Oblata.

Devotas Domine humilitatis nostræ preces & hostias. misericordiæ tuæ precedat auxilium. &

salutem quam per Adam in paradiso ligni clauserat temerata præsumptio. ligni rursum fides aperiat· per. 1108

Post Comm.

Adesto familiæ tuæ quæsumus clemens & misericors Deus. ut in adversis & prosperis eius preces exaudias· Et nefas adversariorum. per auxilium sanctæ crucis digneris conterere. ut portum salutis tuæ valeant apprehendere· per. 1109

CCIII

XVI. KALENDAS OCTOBRIS.

NAT. SANCTÆ EUFYMIÆ.

[*Oratio super populum.*]

Concede quæsumus omnipotens & misericors Deus. Ut beata Eufymia. quæ virginitatis pariter & martyrii **545** promeruit palmam. intercessionibus suis. & presentis vitæ remedia nobis conferat. & æternam salutem· per. 1110

Epistola de Virgine.

Evangelium secundum Matheum require in Translatione sancti Nazarii· Simile est regnum cælorum.

Super Sindonem.

Deus qui beatæ virgini & martyri tuæ Eufimiæ. pro tuo nomine dimicandi fidem. & constantiam præbuisti. concede nobis supplicantibus. ut sicut illa horrenda vicit augmenta pœnarum. ita & nos sævissimi hostis vitia. te auxiliante vincere valeamus· per. 1111

[*Super Oblata.*]

Munera quæsumus Domine. quæ in beatæ Eufymiæ celebritate deferimus. ita gratiæ tuæ efficiantur accepta. sicut eius tibi placitum extitit passionis certamen· per Dominum nostrum. 1112

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Per quem virgo alma triumphatrix. Eufymia. virginitatis retinens mitram. passionis meruit vestiri corona· Cuius precibus inimicus hostis evincitur priscus adversarius superatur· A fornacis igne virgo sospes eripitur. duri lapides in pulverem convertuntur· Feræ mansuescunt collaque summittunt. atque omnia pœnarum supplicia. eius oratione superantur· Novissime gladii mucrone confossa. carnea relinquens claustra. cælesti choro iungitur læta· Hæc sacra **546** virgo tibi Domine ecclesiam tuam commendet. hæc pro nobis peccatoribus interpellet· Hæc etiam vota nostra. ut virgo vernula. inlibata tibi præsentet. per eumdem Christum Dominum nostrum. 1113

Post Comm.

Sanctificet nos Domine quæsumus tui perceptio sacramenti. & intercessio beatæ martyris Eufymiæ. tibi reddat acceptos· per. 1114

CCIV

XIIII. KALENDAS OCTOBRIS.

DEPOSITIO SANCTI EUSTORGII.

[*Oratio super populum.*]

Beati sacerdotis & confessoris tui Eustorgii nos quæsumus Domine foveat pretiosa confessio. & pia iugiter intercessio tueatur· per. 1115

Epistola et Evangelium de Confessor.

Super Sindonem.

Vota populi tui Domine propitius intende· Et cuius nos tribuis sollemnia celebrare. fac gaudere suffragiis· per. 1116

Super Oblata.

Pro sancti confessoris tui Eustorgii commemoratione. munera tibi Domine quæ debemus exsolvimus· Et præsta quæsumus ut remedium nobis perpetuæ salutis operentur· per. 1117

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· Quando tibi sufficienter Domine referre gratias valeamus. qui ideo nos sollemnitatibus martyrum atque confessorum frequenter exerces & devotione continua. fideles tuos incites ad profectum & fragilitatem nostram piis intercessoribus benignus attollas· **547** Et quæ propriis non meremur operibus. tibi placitis suffragatoribus impetremur· Inter quos. debitæ pietatis obsequium sancto sacerdoti & confessori tuo Eustorgio exhibentes potentiam tuam Domine cuius gratia talis extitit prædicamus atque per eum nobis indulgentiam credimus non negandam per Christum Dominum nostrum. 1118

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut hodiernæ munus sollemnitatis acceptum. & corporibus nostris salutem prestet. & mentibus· per. 1119

CCV

XI. KALENDAS OCTOBRIS.

SANCTI MATHEI APOSTOLI.

Oratio super populum.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus· Ut beati Mathei apostoli tui & evangelistæ. quam prævenimus veneranda sollemnia. & devotionem nobis augeat & salutem· per. 1120

Alia.

Beati Mathei evangelistæ. quæsumus Domine supplicatione placatus. Et veniam nobis tribue. & remedia sempiterna concede· per. 1121

Epistola et Evangelium require in Apostolorum.

Super Sindonem.

Beati evangelistæ Mathei. Domine precibus adiuvemur· Ut quod possibilitas nostra non optinet eius nobis intercessione donetur· per. 1122

Super Oblata.

Supplicationibus apostolicis beati Mathei Domine evangelistæ. quæsumus ecclesiæ tuæ commendet oblatio· Cuius magnificis predicationibus eruditur· per. 1123

[*Prefatio.*]

548 Vere dignum. Æterne Deus. qui ecclesiam tuam in tuis fidelibus ubique pollentem & apostolis facis constare doctrinis· Præsta quæsumus. ut per quos initium digne (*lege :* divinæ) cognitionis accepit. per eos usque in finem sæculi capiat regni cælestis augmentum· per Christum Dominum. 1124

[*Post Comm.*]

Perceptis Domine sacramentis. beato Matheo apostolo tuo & evangelista interveniente deprecamur· Ut quæ pro eius celebrata sunt gloria. nobis proficiant ad medellam· per. 1125

CCVI

X. KALENDAS OCTOBRIS.

SANCTORUM MAURICII ET COMMILITONUM.

[*Oratio super populum.*]

Annue quæsumus clementissime Deus orationibus populi tui. ut quos in celebritate beatissimorum martyrum tuorum Mauricii vel eius commilitonum adesse fecisti. eorum propitius precibus æterna perfrui beatitudine concedas· per. 1126

Epistola et Evangelium require de Martyr.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens & misericors Deus ut sicut legio sancta pro tui nominis confessione meruit victoriæ palmam. ita & nos supplices eorum festa devotis mentibus celebrantes. participes gaudiorum effici mereamur· per. 1127

Super Oblata.

Munera quæsumus Domine. quæ in beati Mauritii festa deferimus. ita sint tibi semper accepta. sicut eius effusio sanguinis. in conspectu gloriæ tuæ facta est pretiosa· per. 1128

Prefatio.

549 Vere dignum. Æterne Deus. Cui caterva fidelium divino lustrata lumine. ab extremis terræ finibus veniens. fideliter supplicavit· Et tam corporeis bellatorum legio mucronibus circumsepta. quamque spiritalibus etiam armis vallata. ad martyrium vigili constantia properavit· Quos pestifer tyrannus. ut eos metu perterreret. bis ad internetionem supplicii gaudio decimavit· Atque postmodum constanter eos perdurantes in fide. universos pariter capite plecti præcepit· Sed hi tanto caritatis ardore fervebant. ut eiectis armis. flexo poplite passim geniculantes. spiculatorum tela hilari corde susciperent· Inter quos beatus Mauritius tuæ fidei amore succensus. decertando martyrii est coronam adeptus per Christum Dominum nostrum. 1129

Post Comm.

Pietati tuæ Domine gratias humili servitute deposcimus· Quoniam beatissimorum martyrum tuorum Mauricii vel eius commilitonum sicut confidimus precibus exoratus. desideratum contulisti nobis huius percepti sacramenti effectum· Quo & tuos fideles tua dona facias fidenter exposcere. & poscentibus affluenter impendas· per. 1130

CCVII

VIII. KALENDAS OCTOBRIS.

NATAL. SANCTÆ TECLÆ.

Oratio super populum.

550 Omnipotens sempiterne Deus. qui infirma mundi eligis. ut fortia quæque confundas. concede propitius. ut qui beatæ Teclæ martyris tuæ sollemnia colimus. eius apud te. patrocinia sentiamus· per. 1131

Epistola de Virg.

Evangelium require in Assumptione sanctæ Mariæ. Intravit Dominus Ihesus in quoddam castellum.

Super Sindonem.

Exaudi nos Deus salutaris noster. ut sicut de sanctæ Teclæ festivitate gaudemus. ita piæ devotionis erudiamur effectu· Qui vivis. 1132

Super Oblata.

Gratanter Domine ad munera dicanda concurrimus. quæ nomini tuo. pro sollemnitate sanctæ martyris tuæ Teclæ. suppliciter immolamus· per. 1133

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & huius diei celebritate precipua tuarum lætanter virtutum intonare præconia· Adest namque Tecla celeberrima virgo. quæ apostoli tui Pauli imbuta doctrinis. mundanas viriliter superavit illecebras. & virginale clipeum arripiens. gloriosis virginibus exemplum prima contulit martyrii. & principalis constantiæ· Inmissa denique flammarum rogis furentibus inclyta virgo. igni non est attacta corporeo. quia Christi Filii tui amore succensa. genuina carnis superavit incendia· Dehinc feris obiecta rapacibus. **551** lædi nihilominus té protegente non valuit. quia ferales animos mitissima subegit ovicula· Ob hoc & principatu martyrii. & virginitatis triumpho sublimis. choris circumcincta virgineis. Agni sequitur inmaculati vestigia· quem laudant. 1134

Post Comm.

Libantes Domine mensæ tuæ divina mysteria. quæsumus ut sanctæ Teclæ martyris tuæ interventionibus. temporalem nobis misericordiam conferant & æternam· per. 1135

CCVIII

XI. KALENDAS NOVEMBRIS.

NATAL. SANCTORUM COSMÆ ET DAMIAMI.

Oratio super populum.

Intercedentibus sanctis tuis Domine Cosma & Damiano plebi tuæ præsta subsidium· Ut ab omnibus noxiis expedita. & hic. & in æternum sibi cuncta profutura percipiat· per. 1136

Ad Timotheum. I.

Karissime. Testificor coram Deo & Christo Ihesu. & electis angelis. ut hæc custodias sine præiudicio. nihil faciens in aliam partem declinando. Manus cito nemini imposueris. neque communicaveris peccatis alienis· Teipsum castum custodi· Noli adhuc aquam bibere. sed modico vino utere propter stomachum tuum. & frequentes tuas infirmitates· Quorundam hominum peccata manifesta sunt. præcedentia ad iudicium· Quosdam autem & subsecuntur· **552** Similiter autem & facta bona manifesta sunt. & quæ aliter se habent abscondi non possunt· Quicumque sunt sub iugo servi. dominos suos omni honore dignos arbitrentur. ne nomen Domini. & doctrina blasphemetur· Qui autem fideles habent dominos. non contemnant quia fratres sunt. sed magis servant quia fideles sunt. & dilecti. qui beneficii participes sunt· Hæc doce. & exhortare in Christo Ihesu Domino nostro.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Loquebatur Dominus Ihesus discipulis suis. & turbis Iudæorum· Qui non est mecum. adversum me est· Et qui non colligit mecum. dispergit· Cum autem immundus spiritus exierit de homine. perambulabat per loca inaquosa. quærens requiem & non inveniens dicit· Revertar in domum meam. unde exivi. Et cum venerit inveniet scopis mundatam· Et tunc vadit. & adsumit septem alios spiritus nequiores se. & ingressi habitant ibi· Et sunt novissima hominis illius peiora prioribus· Factum est autem cum hæc diceret. extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi· Beatus venter qui te portavit. **553** & ubera quæ suxisti· At ille dixit· Beati qui audiunt verbum. & custodiunt.

Super Sindonem.

Da nobis quæsumus Domine fidei miseratus augmentum· Ut quæ sanctos martyres tuos Cosmam & Damianum. usque ad sanguinem retenta glorificat. nos etiam iustificet veraciter hanc sequentes· per. 1137

Super Oblata.

Offerendorum tibi munerum Deus auctor & dator. præsta ut hoc sacrificium singulare. quod. sanctis tuis in passione contulit claritatem. nobis tribuat in devotione præsidium· per. 1138

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. clementiam tuam suppliciter exorantes. ut cum exultantibus sanctis in cælestis regni cubilibus. gaudia nostra subiungas· Et quos virtutis imitatione sequi non possumus. debitæ venerationis contingamus effectu· per Christum. 1139

Post Comm.

Pasce nos Domine tuorum gaudiis ubique sanctorum. quia nostræ salutis augmenta sunt. quotiens illis honor impenditur. in quibus tu mirabilis prædicaris· per. 1140

CCIX

V. KALENDAS NOVEMBRIS.

NATAL. APOSTOLORUM SYMONIS ET IUDÆ.

Oratio super populum.

Concede quæsumus omnipotens Deus. ut sicut apostolorum tuorum Symonis & Iudæ gloriosa natalicia prævenimus. sic ad tua beneficia promerenda maiestatem tuam pro nobis ipsi præveniant· per. 1141

554 *Epistolá require in sancti Philippi·* Puto [quod] nos Deus.

Evangelium secundum Matheum in festo Apostolorum.

Super Sindonem.

Deus mundi creator & rector. qui beatos apostolos Symonem & Iudam nominis tui gloria consecrasti. exaudi populum tuum. cum sanctorum tuorum tibi patrociniis supplicantem. ut pacis dono proficiat ad fidei & caritatis augmentum· per. 1142

Super Oblata.

Gloriam Domine sanctorum apostolorum perpetuam precurrentes. quæsumus ut eandem sacris mynisteriis expiati. dignius celebremus· per. 1143

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Te in tuorum apostolorum glorificantes honore. qui & illis tribuisti beatitudinem sempiternam & infirmitati nostræ talia præstitisti suffragia. quæ te donante apprehendere valeamus· per Christum Dominum nostrum. 1144

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut fideles tui venerandas assiduæ præcurrentes sanctorum martyrum passiones. & copiam perpetuæ devotionis inveniant. & salutis æternæ. suffragia maiora conquirant· per. 1145

CCX

III. KALENDAS NOVEMBRIS.

NATAL. SANCTI SATURNINI MARTYRIS.

Epistola [ad] Philippenses.

Fratres. Vobis datum est pro Christo. non solum ut in eum credatis. sed ut etiam pro illo patiamini. idipsum certamen habentes. quale &

vidistis in me. 555 & nunc audistis de me· Si qua ergo consolatio in Christo. si quod solatium caritatis. si qua societas Spiritus. si qua viscera & miserationes. implete gaudium meum ut idem sapiatis eandem caritatem habentes. unanimes idipsum sentientes· Nihil per contentionem. neque per inanem gloriam. sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes· Non quæ sua sunt singuli considerantes. sed quæ aliorum.

Secundum Lucam.

In illo tempore Ibant cum Domino Ihesu turbæ multæ. & conversus dixit ad discipulos suos. Si quis venit ad me & non odit patrem suum aut matrem. & uxorem & filios. & fratres & sorores. adhuc autem & animam suam. non potest meus discipulus esse· Et qui non baiulat crucem suam. & venit post me. non potest meus discipulus esse· Quis enim ex vobis volens turrem ædificare. non prius sedens computat sumptus. qui necessarii sunt. si habeat ad perficiendum? Ne posteaquam posuerit fundamentum. & non potuerit perficere. omnes qui vident. incipiant illudere ei dicentes· Quia hic homo cœpit ædificare. & non potuit consummare· Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem. non sedens prius cogitat. si possit cum decem milibus occurrere 556 ei qui cum viginti milibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longe agente. legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt· Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet. non potest esse meus discipulus· Bonum est sal· Si autem sal quoque evanuerit. in quo condietur? Neque in terram. neque in sterquilinium utile est. sed foras mittitur· Qui habet aures audiendi audiat.

CCXI

II. NONAS NOVEMBRIS.

NATAL. SANCTORUM VITALIS ET AGRICOLÆ.

Epistola ad Timotheum. II.

Karissime. Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. ut ei placeat. cui se probavit· Nam & qui certat in agone non coronatur nisi legitime certaverit· Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere· Intellege quæ dico· Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum· Memor esto Christum Ihesum resurrexisse a mortuis. ex semine David secundum evangelium meum in quo laboro usque ad vincula quasi male operans· Sed verbum Dei non est alligatum· Ideo omnia sustineo propter electos. ut & ipsi salutem consequantur· quæ est in Christo Ihesu. cum gloria cælesti.

Secundum Iohannem.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Ego sum vitis vera. & Pater meus agricola est 557 Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum· Et omnem qui fert fructum purgabit eum. ut fructum plus afferat· Iam vos mundi estis propter sermonem. quem locutus sum vobis· Manete in me. & ego in vobis· Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso. nisi manserit in vite. sic & vos nisi in me manseritis· Ego sum vitis. vos palmites· Qui manet in me & ego in eum· Hic fert fructum multum. quia sine me nihil potestis facere· & si quis in me non manserit. mittetur foras sicut palmes. & aruet· Et colligent eos. & in ignem mittent. & ardent· Si manseritis in me. & verba mea in vobis manserint. quodcumque volueritis & petieritis. fiet vobis· In hoc clarificatus est Pater meus. ut fructum plurimum afferatis. & efficiamini mei disciPULI.

CCXII

ORATIONES ET PRECES

IN NATAL. UNIUS APOSTOLI.

Deus qui es omnium sanctorum tuorum splendor mirabilis. quique hunc diem beati apostoli tui ill. martyrio consecrasti· Da ecclesiæ tuæ de natalicia tanti pontificis tui festivitate lætari· Ut apud misericordiam tuam. & exemplis eius adiuvemur & meritis· per. 1146

Alia.

558 Beati ill. apostoli tui Domine veneranda sollemnitas. & devotionem nobis augeat. & salutem· per. 1147

Alia.

Maiestatem tuam Domine suppliciter exoramus. ut sicut ecclesiæ tuæ sanctus apostolus ill. extitit predicator & rector. ita sit pro nobis perpetuus suffragator· per. 1148

Alia.

Beati apostoli tui ill. Domine sollemnia recensemus· Ut eius auxilio tua benificia capiamus. pro quo tibi laudes offerimus· per. 1149

Secundum Matheum.

In illo tempore. Convocatis Dominus Ihesus duodecim discipulis suis. dedit illis potestatem spirituum immundorum. ut eicerent eos. & curarent omnem languorem. & omnem infirmitatem· Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc· Primus Symon qui dicitur Petrus. & Andreas frater eius· Iacobus Zebedei. & Iohannes frater eius· Philippus. & Bartholomeus· Thomas. & Matheus. publicanus. & Iacobus Alphei. & Thaddeus· Symon Cananeus. & Iudas Scariothis. qui & tradidit eum· Hos duodecim misit Ihesus præcipiens eis. & dicens· In viam gentium ne abieritis. & in civitates Samaritanorum ne intraveritis· Sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel· Euntes autem 559 predicantes dicentes. quia apropinquavit regnum cælorum· Infirmos curate. mortuos suscitate. leprosos mundate. dæmones eicite· Gratis accepistis. gratis date.

Super Sindonem.

Quæsumus omnipotens Deus beatus ill. apostolus tuus pro nobis imploret auxilium· Ut a nostris reatibus absoluti a cunctis etiam periculis eruamur· per. 1150

Super Oblata.

Sacrandum tibi Domine munus offerimus. quo beati apostoli ill. sollemnia recolentes. purificationem quoque nostris mentibus imploremus· per. 1151

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & in huius diei festivitate devotionis nostræ vota persolvere· In qua beatus apostolus tuus ill. gloriosum Filii tui Domini nostri Ihesu Christi & sui magistri secutus exemplum. suum pro eius amore non dubitavit effundere sanguinem· Unde & mirificam de hoste prostrato palmam adeptus. nobis non minimam vincendi fiduciam tribuit· Hinc est quod hodierna die fidelis per orbem populi cœtus tibi Deo laudes annua sollemnitate concelebrat· Tuam namque pastor mitissime ineffabilem clementiam. eius suffragiis absque dubio credimus implorandam per eundem. 1152

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut sicut nobis per doctrinam **560** apostolicam. catholicæ fidei rudimenta donasti. ita etiam imploratu beati apostoli tui ill. cælestia tribuas sine fine præsidia· per. 1153

CCXIII

ITEM IN NATAL. PLURIMORUM APOSTOLORUM.

Oratio super populum.

Protector in te sperantium Deus familiam tuam propitius respice. & per beatos apostolos tuos ill. & ill. a cunctis eam adversitatibus. potentiæ tuæ brachio defende· per. 1154

Epistola require in sancti Philippi.

Evangelium secundum Matheum.

In illo tempore Dixit Symon Petrus ad Ihesum. Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. quid ergo erit nobis? Ihesus autem dixit eis. Amen dico vobis. quod vos qui secuti estis me. in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim. iudicantes duodecim tribus Israel· Et omnis qui reliquerit domum. vel fratres. aut sorores. aut patrem. aut uxorem. aut filios. aut agros propter nomen meum. centuplum accipiet. & vitam æternam possidebit.

Super Sindonem.

Deus qui nos annua apostolorum tuorum ill. & ill. sollemnitate lætificas. præsta quæsumus ut quorum gaudemus meritis. instruamur exemplis· per. 1155

Super Oblata.

Munera Domine. quæ pro beatorum apostolorum **561** tuorum ill. & ill. sollemnitate deferimus. propitius suscipe. & mala omnia quæ meremur averte· per. 1156

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus Suppliciter exorantes. ut gregem tuum pastor æterne non deseras. sed per beatos apostolos tuos ill. & ill. continua protectione custodias· Et [i]isdem rectoribus dirigatur. quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores· per Christum Dominum nostrum. 1157

Post Comm.

Quæsumus Domine salutaribus repleti mysteriis. ut quorum sollemnia celebramus. eorum orationibus adiuvemur· per. 1158

CCXIV

ITEM IN NATAL. UNIUS MARTYRIS.

OR. AD VESPERUM VEL VIGIL.

Da nobis quæsumus Domine beati martyris tui ill. passione gloriari. Ut eius semper & patrociniis confidamus. & fidem congrua devotione sectemur· per. 1159

Alia.

Beati martyris tui ill. Domine sollemnia recensemus· Ut eius auxilio tua beneficia capiamus. pro quo tibi laudes offerimus· per. 1160

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus ut beati martyris tui ill. sine cessatione venerantes natalicia. & fideli muniamur auxilio. & magnifico proficiamus exemplo· per. 1161

Alia.

Deus qui sanctam nobis huius diei sollemnitatem. pro commemoratione beati martyris tui ill. **562** vel passione fecisti. adesto familiæ tuæ precibus· Et da ut cuius hodie festa celebramus. eius meritis & intercessionibus adiuvemur· per. 1162

Alia.

Beati martyris tui ill. quæsumus Domine precibus adiuvemur· Et eius digna sollemnia celebramus. tuo nomini fac nos semper esse devotos· per. 1163

IN BAPTISTERIO.

Præsta quæsumus omnipotens Deus ut eius sine cessatione fruamur auxilio. cuius patrocinia te largiente adepti sumus· per. 1164

Alia.

Ut tibi Domine placere possimus beati martyris tui ill. precibus adiuvemur· per Christum. 1165

Alia.

Exaudi Domine preces nostras. & beati martyris tui ill. precibus adiuvemur· per Christum. 1166

CCXV

[AD MISSAM.]

Oratio super populum.

Propitiare Domine populo tuo· Et quos in frequentatione beati martyris tui ill. tribuis interesse. protectione perpetua semper facias esse securos· per. 1167

Ad Timotheum. II.

Karissime. Assecutus es doctrinam meam. Institutionem. propositum. fidem. longanimitatem. dilectionem. patientiam. persecutiones. passiones· Qualia mihi facta sunt Antiochiæ Iconio Lystris. quales persecutiones sustinui. & ex omnibus me eripuit Dominus· Et omnes qui volunt pie vivere in Christo Ihesu. persecutionem patientur· Mali autem homines & seductores proficient in peius. errantes. & in errorem mittentes· **563** Tu vero permane in his quæ didicistis. & credita sunt tibi. sciens a quo didiceris· Et quia ab infantia sacras litteras nosti. quæ te possunt instruere ad salutem per fidem. quæ est. in Christo Ihesu Domino nostro.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Qui vult post me venire. abneget semetipsum. & tollat crucem suam. & sequatur me· Qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet eam· Qui autem perdiderit animam suam propter me. inveniat eam· Quid enim prodest homini. si universum mundum lucretur. animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis. & tunc reddet unicuique secundum opera eius· Amen dico vobis. sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem. donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

Super Sindonem.

Beati martyris tui ill. nos quæsumus Domine gloriosa merita prosequantur. quæ fragilitatem nostram & precibus tueantur. & meritis· per. 1168

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine propitius munera. quæ in beati martyris tui ill. commemoratione deferimus· Ut cuius honore sunt grata. eius nobis fiant **564** intercessione perpetua. 1169

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui[a] tibi festa sollemnitas agitur. tibi die[s] sacrata celebratur· Quam beati martyris tui ill. sanguis in veritatis tuæ testificatione profusus. magnifico nominis tui honore signavit· Et cum angelis. 1170

Post Comm.

Sumpsimus Domine in sancti martyris tui ill. sollemnitate cælestia sacramenta· Cuius suffragiis quæsumus largiaris. ut quod temporaliter gerimus. æternis gaudiis consequamur· per Dominum. 1171

CCXVI

ITEM ALIA MISSAM.

Oratio super populum.

Beati martyris tui ill. nos quæsumus Domine præclara committetur oratio. & misericordiam tuam nobis indesinenter imploret. per. 1172

Ad Corinthios. II.

Fratres. Ubi Spiritus Domini. ibi libertas· Nos vero revelata facie gloriam Domini speculantes. in eandem imaginem tranformamur a claritate in claritatem. tanquam a Domini Spiritu· Ideo habentes hanc ministrationem. iuxta quod misericordiam consecuti sumus. non deficimus. sed abdicamus occulta dedecoris. non ambulantes in astutia. neque adulterantes verbum Dei. sed in manifestatione veritatis. commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo· Quod si opertum est evangelium nostrum in his qui pereunt **565** est opertum· In quibus Deus huius sæculi excecavit mentes infidelium. ut non fulgeat inluminatio evangelii gloriæ Christi. qui est imago Dei· Non enim nosmetipsos prædicamus. sed Ihesum Christum Dominum nostrum.

Secundum Matheum.

In illo tempore. dixit Ihesus discipulis suis. Nolite arbitrari. quia veni mittere pacem in terram· Non veni pacem mittere. sed gladium· Veni enim separare hominem adversus patrem suum. & filiam adversus matrem suam. & nurum adversus socrum suam. & inimici hominis domestici eius· Qui amat patrem suum. aut matrem plus quam me. non est me dignus· Et qui non accipit crucem suam. & sequitur me non est me dignus· Et qui amat filium aut filiam super me non est me dignus· Qui invenit animam suam. perdet illam· Et qui perdiderit animam suam propter me inveniet eam· Qui recipit vos. me recipit· Et qui me recipit. recipit eum qui me misit· qui recipit prophetam in nomine prophete. mercedem prophete accipiet· Et qui recipit iustum in nomine iusti. mercedem iusti accipiet· Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis. calicem aquæ frigidæ. tantum in nomine discipuli. amen dico vobis non perdet mercedem suam.

Super Sindonem.

566 Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut qui beati martyris tui ill. natalicia colimus. intercessione eius in tui nominis amore roboremur· per. 1173

Super Oblata.

Muneribus nostris quæsumus Domine præcibus susceptis. & cælestibus nos munda mysteriis. & clementer exaudi· per. 1174

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. per cuius potentiam beatus martyr tuus ill. tyrannicam acerbi-

tatem timere neglexit· Sed ita passionis suæ certamina. pro tuo nomine alacris suscipere non dubitavit. ut dominicæ passionis per Unigeniti tui cruorem. in sui sanguinis effusione. sequipeda efficeretur· per quem maiestatem. 1175

Post Comm.

Protegat nos Domine. cum tui perceptione sacramenti. bea tusmartyr tuus ill. intercedendo pro nobis. ut confessionis eius semper expiemur auxilio· per. 1176

CCXVII

ITEM IN NATAL. PLURIMORUM SANCTORUM.

OR. AD VESP. VEL AD VIGILIAM.

Protector fidelium Deus. & sanctarum lumen animarum. supplicum tuorum preces dignanter exaudi ·Ut spiritalium virtutum amore flagrantes. beatissimorum martyrum tuorum ill. consortio copulemur· per. 1177

Alia.

Deus qui sanctis tuis copiosa fide pugnantibus ipse **567** certaminis gloriam tribuisti· Annue quæsumus ut eam in nobis suis patrociniis operentur. quam tibi præstitam per tuam gloriam didicerunt· per. 1178

Alia.

Deus vita & fortitudo iustorum. da nobis in tua gratia amare quæ recta sunt· Ut te custode servati ab omnibus vitæ huius sæculi periculis liberemur· per. 1179

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus ut non desinant sancti tui. pro nostris tibi supplicare peccatis. a quibus te voluisti pro peccatoribus exorari· per. 1180

Alia.

Deus per gloriosa bella certaminis. ad immortales triumphos. beatos martyres tuos extulisti. concede quæsumus ut eorum meritis protegamur. in quorum festivitate lætamur· per. 1181

Alia.

Deus qui sanctorum martyrum tuorum nobis intercessione succurris. da quæsumus ut eorum exultemus meritis. & patrocinio protegamur· per. 1182

Alia.

Lætificet nos quæsumus Domine beatissimorum martyrum tuorum ill. gloriosa sollemnitas· Ut qui tibi placuerunt suis meritis. pro nobis implorent auxilium· per. 1183

Alia.

Misericordiam tuam quæsumus Domine nobis clementer intende. & sanctorum martyrum tuorum ill. nobis placare præsidiis· per. 1184

Alia.

568 Deus qui sanctis tuis coronam. & peccatoribus veniam non negasti. omnes exaudi. & omnibus miserere· per. 1185

CCXVIII

AD MISSAM.

Oratio super populum.

Deus qui glorificaris in concilio sanctorum martyrum tuorum ill. respice ad preces humilitatis nostræ. Et quorum sollemnia celebramus. eorum precibus adiuvari mereamur· per. 1186

Ad Hebreos.

Fratres. Sancti per fidem devicerunt regna. operati sunt iustitiam. adepti sunt repromissiones. Obturaverunt ora leonum. extinxerunt impetum ignis. effugaverunt aciem gladii. convaluerunt de infirmitate. fortes facti sunt in bello· Castra verterunt exeterorum. acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos· Alii autem distenti sunt non suscipientes redemptionem ut meliorem invenirent resurrectionem· Alii vero ludibria & verbera experti. insuper vincula. & carceres· Lapidati sunt. secti sunt temptati sunt. in occisione gladii mortui sunt. in vita æterna consolati sunt.

Secundum Iohannem.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Sicut dilexit me Pater. & ego dilexi vos· Manete in dilectione mea· Si præcepta mea servaveritis. manebitis in dilectione mea· **569** Sicut & ego precepta Patris mei servavi. & maneo in eius dilectione· Hæc locutus sum vobis. ut gaudium meum in vobis sit. & gaudium vestrum impleatur· Hoc est preceptum meum. ut diligatis invicem. sicut dilexi vos· Maiorem hac dilectione nemo habet. ut animam suam ponat quis pro amicis suis· Vos amici mei estis si feceritis quæ ego præcipio vobis· Iam non dicam vos servos. quia servus nescit. quid faciat dominus eius· Vos autem dixi amicos. quia omnia quæcumque audivi a Patre meo. nota feci vobis· Non vos me elegistis. sed ego elegi vos. & posui vos ut eatis. & fructum plurimum afferatis. & fructus vester maneat· Ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo det vobis.

Item aliud Evangelium Secundum Lucam.

In illo tempore Dixit Ihesus discipulis suis· Ponite in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum respondeatis· Ego enim dabo vobis os & sapientiam. cui non poterunt resistere. & contradicere omnes adversarii vestri. Tradémini autem a parentibus & fratribus. & cognatis. & amicis. & morte afficient ex vobis· Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum· **570** Et capillus de capite vestro non peribit· In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Super Sindonem.

Deus qui nos in sanctorum sollemnitate lætificas. & imitatione excitas ad profectum. tribue quæsumus ut quos veneramur meritis martyrum. piæ conversationis sequamur exemplis· per. 1187

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine. & sanctifica hoc sacrificium populi tui· Ut quod in honore beatissimorum martyrum tuorum ill. offertur ad gloriam. nobis prosit ad veniam· per. 1188

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. quia te benedicunt omnes sancti tui teque conlaudant· Qui magnum illud Unigeniti tui nomen. quod est super omne nomen. coram principibus & potestatibus voce libera confitentes. pretiosum tibi sanguinem. gloriosa morte fundere fecisti. & ideo cum angelis. 1189

Post Comm.

Salutaris tibi Domine munere satiati. supplices exoramus. ut sicut in sanctorum martyrum tuorum ill. lætamur gustu· renovemur effectu· per. 1190

CCXIX

ITEM ALIA MISSA.

Oratio super populum.

Omnium virtutum Deus. bonorumque largitor. da quæsumus ut beatissimorum martyrum tuorum ill. semper nobis sint & honoranda sollemnia & desiderata præsidia· per. 1191

Ad Romanos.

571 Fratres. Iustificati ex fide pacem habeamus ad Deum. per Dominum nostrum Christum. per quem & accessum habemus per fidem in gratia ista. in qua stamus & glorificamur in spe gloriæ filiorum Dei· Non solum autem. sed & gloriamur in tribulationibus. scientes quod tribulatio patientiam operatur· Patientia autem probationem. probatio vero spem· Spes autem non confundit quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris. per Spiritum Sanctum. qui datus est nobis.

Secundum Lucam.

In illo tempore Designavit Dominus Ihesus septuaginta duos discipulos suos. & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum quo erat ipse venturus· Et dicebat illis. Messis quidem multa. operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis. ut mittat operarios in messem suam· Et ecce ego mitto vos. sicut agnos inter lupos· Nolite ergo portare sacculum. neque peram. neque calciamenta. & neminem per viam salutaveritis· In quamcumque domum intraveritis. primum dicite. pax domui huic· Et si ibi fuerit filius pacis requiescet super illam pax vestra· Sin autem ad vos revertatur· In eadem domo manete. edentes. & bibentes **572** quæ apud illos sunt· Dignus est enim operarius mercede sua· Nolite transire de domo in domum· Et in quamcumque civitatem intraveritis. & susceperint vos. manducate quæ apponuntur vobis. & curate infirmos qui in illa sunt· Et dicite illis appropinquavit in vos regnum Dei.

Super Sindonem.

Deus qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum ill. natalicia colere. da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere· per. 1192

Super Oblata.

Munera tibi Domine nostræ devotionis offerimus. quæ & pro tuorum tibi grata sint honore iustorum. & nobis salutaria te miserante reddantur· per. 1193

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. Cuius pretiosus sanguis. non solum pro nostræ captivitatis redemptione effusus est. sed etiam martyres suos in sui testimonii victoria imitatores efficere est dignatus· Tu namque omnipotens Deus eisdem martyribus. fidei tuæ constantiam. ut hostem antiquum vincerent contulisti· Et nos quoque famulos tuos. ope misericordiæ tuæ condonatos. martyrum tuorum ill. quorum hodie lætamur triumphis quæsumus consortes efficias per eundem Christum Dominum nostrum. 1194

Post Comm.

Da quæsumus Domine Deus noster ut sicut in tuorum comme- **573** moratione sanctorum temporali gratulamur officio. ita perpetuo lætemur aspectu· per. 1195

CCXX

OR. ET PRECES IN NAT. CONFESSOR.

Beatus sacerdos & confessor tuus ill. quæsumus Domine sua nos intercessione apud te commendet· Ut tibi placito fulti suffragio. quam precamur indulgentiam peccatorum consequi mereamur· per. 1196

Alia.

Adesto Domine precibus nostris. quas in sancti confessoris tui ill. commemoratione deferimus· Ut qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus. eius qui tibi placuit precibus adiuvemur· per. 1197

Alia.

Concede quæsumus Domine beati sacerdotis & confessoris tui ill. nos deprecatione muniri· Ut & temporaliter his patrociniis foveamur. & spiritaliter præparemur æternis· per. 1198

Oratio super populum.

Da quæsumus omnipotens Deus ut beati ill. confessoris tui atque pontificis veneranda sollemnitas. & devotionem nobis augeat & salutem· per. 1199

Ad Timotheum. I.

Karissime. Gratias ago Deo quia confessus es bonam confessionem coram multis testibus· Præcipio tibi coram Deo qui vivificat omnia. & Christo Ihesu. qui bonum testimonium reddidit sub Pontio Pilato. bonam confessionem. ut serves mandatum sine macula inreprehensibile

usque in adventum Domini nostri **574** Ihesu Christi· Quem suis temporibus ostendit. beatus & solus potens. rex regum. & Dominus dominantium· Qui solus habet inmortalitatem. & lucem habitat inaccessibilem· Quem nullus hominum vidit. sed nec videri potest· Cui sit honor & gloria. in secula seculorum.

Secundum Matheum.

In illo tempore Locutus est Dominus Ihesus parabolam hanc ad discipulos suos dicens· Homo quidam peregre proficiscens. vocavit servos suos. & tradidit illis bona sua· Et uni dedit quinque talenta. alii autem duo. alii vero unum· Unicuique secundum propriam virtutem. & profectus est statim· Abiit autem qui quinque talenta acceperat & operatus est in eis. & lucratus est alia quinque· Similiter qui duo acceperat. abiens fodit in terra. & abscondit pecuniam domini sui· Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum. & posuit rationem cum eis· Et accedens qui quinque talenta acceperat. optulit alia quinque talenta dicens· Domine quinque talenta mihi tradidisti. ecce alia quinque superlucratus sum· Ait illi dominus eius· Euge bone serve & fidelis. quia super pauca fuisti fidelis. super multa te **575** constituam. intra gaudium domini tui· Accessit autem & qui duo talenta acceperat. & ait· Domine. duo talenta mihi tradidisti. ecce alia duo lucratus sum· Ait illi dominus eius· Euge serve bone & fidelis. quia super pauca fuisti fidelis. super multa te constituam. intra in gaudium domini tui.

Super Sindonem.

Beatus sacerdos & confessor tuus ill. quæsumus Domine sua nos intercessione lætificet. & piæ faciat in sua sollemnitate gaudere· per. 1200

Super Oblata.

Propitiare Domine quæsumus supplicationibus nostris· Et intercedente pro nobis sancto ill. confessore tuo sacramentis cælestibus servientes. ab omni culpa liberos esse concede· Ut purificante nos gratia tua. [i]isdem quibus famulamur mysteriis emundemur· per. 1201

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui glorificaris in confessione beati sacerdotis & confessoris tui ill. Et non solum excellentioribus præmiis merita gloriosa prosequeris. sed sacrum mynisterium competentibus servitiis exsequentem. gaudium Domini sui tribuis benignus intrare· Ut qui in modico vitæ præsentis excursu fidelis apparuit. supra multa bona utique semper mansura beati**576** tudine disponatur per Christum Dominum nostrum. 1202

Post Comm.

Quæsumus omnipotens Deus. ut cuius nos tribuis communicare memoria. eius facias sectatores· per. 1203

CCXXI

ITEM ALIA MISSA.

Libera quæsumus Domine a peccatis & hostibus tibi populum supplicantem· Et in beati sacerdotis & confessoris tui ill. doctrinis viventes. nullis affligantur adversis· per. 1204

Alia.

Exaudi Domine preces nostras. quas in sancti confessoris tui ill. commemoratione deferimus· In conspectu tuo qui tibi digne meruit famulari clarus semper existens. supplicationem nostram adiuvet· Quod ipse præstare digneris. qui cum. 1205

Alia.

Plebs tua Domine lætetur tuorum honore semper sanctorum· Ut eorum percipiat intercessione votiva subsidia. quorum patrociniis glorietur· per. 1206

Alia.

Beatus sacerdos & confessor tuus ill. quæsumus Domine sua nos intercessione lætificet. & pie faciat in sua sollemnitate gaudere· per. 1207

Ad Ephesios.

Fratres. plures facti sunt sacerdotes secundum legem. idcirco quod morte prohiberentur permanere· Hic autem eo quod maneat in eternum. sempiternum habet sacerdotium· Unde & salvare in perpetuum potest. accedens per semetipsum **577** ad Deum. semper vivens ad interpellandum pro eis· Talis enim decebat ut nobis esset pontifex· Sanctus. innocens. impollutus. segregatus a peccatoribus. & excelsior cælis factus· Qui non habet cotidie necessitatem. quemadmodum sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre. deinde pro populi· Hoc enim fecit semel se offerendo Dominus noster Ihesus Christus.

Secundum Matheum.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Vigilate. quia nescitis qua hora Dominus vester venturus est· Illud autem scitote. quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset. vigilaret utique. & non sineret perfodiri domum suam· Ideo & vos estote parati quia nescitis qua hora Filius hominis venturus est· Quis putas est fidelis servus & prudens. quem constituit dominus super familiam suam. ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus. quem cum venerit dominus eius· invenerit sic facientem· Amen dico vobis quoniam super omnia bona sua constituet eum.

Super Sindonem.

Da nobis quæsumus omnipotens Deus. ut qui beati sacerdotis & confessoris tui ill. sollemnia colimus. eius apud te intercessionibus adiuvemur· per. 1208

Super Oblata.

Hostias tibi Domine pro commemoratione beati **578** sacerdotis & confessoris tui ill. offe-

rimus. suppliciter deprecamur. ut sicut illi præbuisti sacræ fidei claritatem. sic nobis indulgentiam largiaris & pacem· per. 1209

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum. verum æternumque pontificem. & solum sine peccati macula sacerdotem· Cuius sanguine. omnium fidelium corda mundantur· Placationis tibi hostias. non solum pro delictis populi. sed etiam pro nostris offensionibus immolamus· Ut omne peccatum. quod carnis fragilitate contrahitur. summo pro nobis antistite interpellante solvatur· per quem maiestatem tuam laudant. 1210

Post Comm.

Deus fidelium remunerator animarum. præsta ut & per sancta quæ sumpsimus. & beati sacerdotis & confessoris tui ill. cuius venerandam celebramus festivitatem precibus. indulgentiam consequamur· per. 1211

CCXXII

OR. ET PREC. IN NAT. VIRGIN.

Deus qui nos hodie beatæ & sanctæ ill. virginis martyrisque annua sollemnitate lætificas. concede propitius. ut eius adiuvemur meritis cuius castitatis inradiamur exemplis· per. 1212

Alia.

Deus qui inter cetera potentiæ tuæ miracula. etiam in fragili sexu. victoriam castitatis **579** & martyrii contulisti. da quæsumus ut beatæ & sanctæ & virginis martyrisque tuæ ill. adiuvemur meritis. cuius beatitudinis inradiamur exemplis· per. 1213

Alia.

Deus qui nos per beatam martyrem tuam ill. ad cognitionem tui nominis venire tribuisti. da nobis per eius gloriam passionis. sempiternam tuam gratiam amplecti & proficiendo eius sollemnitatem celebrare· per. 1214

Alia.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut beata & martyr tua ill. nos orationibus suis apud te commendet. & incessabiliter contra adversarias potestates defendat· per. 1215

Oratio super populum.

Foveat nos quæsumus Domine beata & martyr tua ill. in sua iucunda sollemnitate. & pietati tuæ comendare non desinat· per. 1216

Lectio libri Sapientiæ.

Domine Deus meus exaltasti super terram habitationem meam. & pro morte defluenti deprecatum sum· Invocavi Dominum Patrem Domini mei. ut non derelinquat me in die tribulationis meæ. & in tempore superborum sine adiutorio· Laudabo nomen tuum assidue. & conlaudabo illud in confessione. & exaudita est oratio mea· Liberasti me de perditione. & eripuisti me de tempore iniquo· Propterea confitebor. & laudem dicam nomini tuo. **580** Domine Deus noster.

Ad Corinthios. I.

Fratres. De virginibus præceptum Domini non habeo consilium autem do· Tamquam misericordiam consecutus a Domino. ut sim fidelis· Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem. quoniam bonum est homini sic esse· Aligatus es uxori. noli querere solutionem· Solutus és ab uxore. noli quærere uxorem· Si autem acceperis uxorem. non peccasti. & si nupserit virgo. non peccavit· Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. ego autem vobis parco· Hoc autem dico fratres. tempus breve est. reliquum est. ut & qui habent uxores tamquam non habentes sint. & qui flent tamquam non flentes. & qui gaudent tamquam non gaudentes. & qui emunt tamquam non possidentes. & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur· Præterit enim figura huius mundi.

Secundum Matheum.

In illo tempore Locutus est Dominus Ihesus parabolam hanc ad discipulos suos· Simile est regnum cælorum decem virginibus. quæ accipientes lampades suas. exierunt obviam sponso. & sponsæ· Quinque autem ex eis erant fatuæ. & quinque prudentes· Sed quinque **581** fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum· Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis. cum lampadibus· Moram autem faciente sponso. dormitaverunt omnes. & dormierunt· Media autem nocte clamor factus est. ecce sponsus venit. exite obviam ei· Tunc surrexerunt omnes virgines ille & ornaverunt lampades suas· Fatuæ autem sapientibus dixerunt· Date nobis de oleo vestro. quia lampades nostræ extinguuntur· Responderunt prudentes dicentes· Ne forte non sufficiat nobis & vobis ite potius ad vendentes. & emite vobis· Dum autem irent emere. venit sponsus· Et quæ parate erant intraverunt cum eo ad nuptias. & clausa est ianua· Novissime vero venerunt & reliquæ virgines dicentes· Domine domine aperi nobis· At ille respondens ait· Amen dico vobis nescio vos· Vigilate itaque quia nescitis diem. neque horam.

Super Sindonem.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut beata martyr tua ill. nos orationibus suis apud te commendet. & incessabiliter contra adversarias potestates defendat· per. 1217

Super Oblata.

Muneribus nostris quæsumus Domine sanctæ ill. intercessione. gratiam tuæ placationis intersere· Ut & **582** collata nobis remedia tuearis & conferenda perficias· per. 1218

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. quia per te constantiam fides per te virtutem sumit infirmitas·

Et quicquid in persecutionibus sævum est. quicquid in morte terribile. nominis tui facis confessione superari· Unde benedicimus té Domine in operibus tuis. & in beatæ martyris tuæ ill. provectione laudamus per Christum Dominum nostrum. 1219

Post Comm.

Quæsumus Domine. ut beatæ martyris tuæ ill. deprecationibus. sacramenta sancta quæ sumpsimus. ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum· per. 1220

CCXXIII

ITEM ALIA MISSA.

Or. super populum.

Deus qui nos hodie beatæ & sanctæ ill. virginis martyrisque annua sollemnitate lætificas. concede propitius. ut eius adiuvemur meritis. cuius castitatis inradiamur exemplis· per. 1221

Lectio libri Sapientiæ.

Sapientia vincit malitiam· Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter. & disponit omnia suaviter· Hanc amavi & exquisi[vi] a iuventute mea. & quæsivi sponsam mihi assumere. & amator factus sum formæ illius· Generositatem glorificat. contubernium habens Dei· Sed & omnium Dominus dilexit eam· **583** Doctrix est enim disciplina Dei.

Epistola et Evangelium require retro.

Super Sindonem.

Beata martyr tua ill. nos quæsumus Domine in suo natalicio fidelium tuorum munere suffragetur· Et quæ tibi placuit sui martyrii certamine. a te nobis iugiter quæ tuis electis tuis promisisti imploret reddere beneficia· per. 1222

Super Oblata.

Annue quæsumus omnipotens Deus. ut hæc sacrificia populi tui. quæ tibi offerimus. interveniente suffragio beatæ virginis & martyris tuæ ill. donis cælestibus propitiatus inmisceas· per. 1223

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum· Pro cuius amore. & suæ continentiæ puritate beata martyr tua ill. respuit divitias sæculares. & dignitatem viri mortalis. ut in cælestibus consequeretur prœmia castitatis. ubi in perpetuo fructus permanet virginalis· Lampades denique ardentes ipsas virgines demonstrant. quarum spiritus semper ad te Deum vigilat Patrem omnipotentem. & Dominum Ihesum Christum Filium tuum· Cui venienti obviam ecclesiæ in choro innumerabilium virginum ymnum divinis laudibus decantant dicentes sanctus. 1224

Post Comm.

Gratia tua quæsumus Domine nos semper exerceat· Ut & divinis instauret nostra corda mysteriis. & sanctæ martyris tuæ ill. commemoratione lætificet· per. 1225

CCXXIV

584 OR. ET PRECES IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Magnificare Dominus Deus noster in hoc templo nomini tuo ædificatio· Et ita benignus appare. ut & peccata populi tui deleas. & eorum vota clementer assumas· per. 1226

Alia.

Deus qui ad honorem nominis tui. templi fabricam construere voluisti. præsta quæsumus ut in hoc orationis domicilio congregatos. pietatem tuam precantes. cunctos exaudias. vota suscipias. & prœmia largiaris· per. 1227

Alia.

Veniat quæsumus Domine super hanc orationis domum. claritas misericordiæ tuæ. Ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum protectionis tuæ auxilium sentiatur· per. 1228

Alia.

Domum tuam quæsumus Domine continuiis auge subsidiis. eamque de lapidibus vivis id est fidelibus tuis. ita semper ædifica. ut eam in perpetuum possidere digneris· per. 1229

Alia.

Domum tuam quæsumus Domine clementer ingredere. & in tuorum cordibus fidelium. perpetuam tibi construe mansionem· per. 1230

Or. sup. populum.

Deus qui de vivis & electis lapidibus. æternum nomini tuo condis habi[ta]culum. da ædificationi huic incrementa iustitiæ. Ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum. protectionis tuæ **585** auxilium sentiatur· per. 1231

Ad Timotheum II.

Karissime. Firmum fundamentum Dei stat. habens signaculum hoc· Cognovit Dominus qui sunt eius. discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini· In magna autem domo non solum sunt vasa aurea & argentea. sed & lignea. & fictilia· Et quædam quidem in honorem quædam autem in contumeliam· Si quis ergo emundaverit se ab istis. erit vas in honorem sanctificatum. & utile Domino ad omne opus bonum paratum· Iuvenilia autem desideria fuge· Sectare vero iustitiam. fidem. caritatem. pacem. cum hís qui invocant Dominum de corde puro.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Facta sunt encenia in Ierosolimis. & yemps erat· Et ambulabat Ihesus in templo. in porticu Salomonis· Circumdederunt ergo eum Iudæi. & dicebant ei· Quousque animam nostram tollis ? Si tu es Christus. dic nobis palam· Respondit eis Ihesus· Loquor vobis. & non creditis· Opera quæ ego facio in nomine Patris mei. hæc testimonium perhibent de me· Sed vos non creditis. quia non estis ex ovibus meis· Oves meæ vocem meam audiunt. & cognosco eas. & secuntur me· **586** Et ego vitam

æternam do eis. & non peribunt in æternum· Et non rapiet eas quisquam de manu mea· Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est· Et nemo potest rapere de manu Patris mei· Ego & Pater unum sumus.

It. aliud Evangelium. Secundum Matheum.

In illo tempore Egressus Dominus Ihesus perambulabat Iericho· Et ecce vir nomine Zaccheus. & hic erat princeps publicanorum. & ipse dives· Et quærebat videre Ihesum quis esset. & non poterat præ turba quia statura pusillus erat· Et præcurrens ascendit in arborem sicomorum. ut videret illum. quia inde erat transiturus· Et cum venisset ad locum. suspiciens Ihesus vidit illum. & dixit ad eum· Zacche festinans descende. quia hodie in domo tua oportet me manere· Et festinans descendit. & excepit illum gaudens· & cum viderent omnes. murmurabant dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset· Stans autem Zacheus dixit ad Ihesum· Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus· & si quid aliquem defraudavi reddo quadruplum· Ait Ihesus ad eum· Quia hodie salus **587** domui huic facta est. eo quod & ipse filius sit Abrahæ· Venit enim Filius hominis quærere. & salvum facere quod perierat·

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus. qui in omni loco dominationis tuæ totus assistis. & totus operaris. adesto supplicationibus nostris. & huius domus. cuius és fundator esto protector. Nulla huic nequitia contrariæ potestatis obsistat. sed virtute Spiritus Sancti operante. fiat hic tibi semper purum servitium. & devota libertas· per Dominum. in unitate. 1232

Super Oblata.

Deus qui sacrandorum tibi auctor es munerum. ad sanctificationem loci huius. propitius adesse dignare· Ut qui hæc in tui nominis honore condiderunt. protectorem te habere in omnibus mereantur· per. 1233

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum. qui eminentiam potestatis acceptæ ecclesiæ tradidit. quam pro honore percepto. & reginam constituit & sponsam· Cuius sublimitati universa subiecit. ad cuius iudicium consentire iussit e cælo· Hæc est mater omnium viventium filiorum numero facta sublimior·quæ per Spiritum Sanctum cotidie Deo filios procreat. cuius palmitibus mundus omnis impletus est· Quæ propagines suas ligno **588** baiulante suspensas. erigit ad regna cælorum· Hæc est civitas illa sublimis iugo montis erecta perspicua cunctis. & omnibus clara· Cuius conditor & inhabitator est idem Dominus noster Ihesus Christus Filius tuus· Quem una tecum. 1234

Post Comm.

Benedictionis tuæ quæsumus Domine plebs tibi sacra fructus reportet & gaudium· Ut quod in huius festivitatis die corporali servitio exhibuit. spiritaliter se retulisse cognoscat· per. 1235

CCXXV

ITEM ALIA MISSA.

Oratio super populum.

Deus qui loca nomini tuo dicata sanctificas. effunde super hanc orationis domum gratiam tuam. Ut ab omnibus hic te invocantibus auxilium tuæ misericordiæ sentiatur· per. 1236

Super Sindonem.

Populum tuum Domine propitius intuere. & in templo nomini tuo ædificato. tuam pietatem invocantes. miserationis tuæ potiantur auxilio· per. 1237

Super Oblata.

Quæ in hoc altari proposita Domine oculis tuæ maiestatis offerimus. sancti tui ill. quæsumus supplicationibus propitiatus assume· per. 1238

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Qui hanc ecclesiam nomini tuo dicatam annua festivitate illustras. atque mysticis ornatam virtutibus de terris mittis ad cælum· Hæc est enim Domine mater viventium. **589** vita & salus omnium intercedentium· Hæc est sponsa Agni tui mirabili ipsius illustrata decore. pro qua clementissime Pater. Unigenitus tuus crucem pertulit. & adversarium vicit· Unde & a dextris tuis in cælestibus constituta. ác suorum civium decorata virtute maiestatem tuam trina voce interpellare non cessat· Quam l. a. v. 1239

Post Comm.

Deus qui ecclesiam tuam sponsam vocare dignatus es. ut qui habet gratiam per fidei devotionem. haberet etiam ex nomine pietatem. da ut omnis hæc plebs nomini tuo serviens. huius vocabuli consortio digna esse mereatur· per. 1240

CCXXVI

MISSA IN ECCLESIA CUIUSLIBET SANCTI CONFESSORIS VEL MARTYRIS.

[*Oratio super populum.*]

Propitiare Domine quæsumus nobis famulis tuis. per huius sancti confessoris tui ill. qui in præsenti requiescit ecclesia merita gloriosa· Ut eius pia intercessione. ab omnibus protegamur adversis· per. 1241

Lectio libri Sapientiæ.

Beatus vir qui in sapientia sua morabitur. & in gloria sua requiescit· Qui timet Dominum faciet illud. & qui continens est iustitia apprehendet illam· Et obviabit ei quasi mater honorificata. & quasi mulier a virginitate sua suscipiet illum· Cibavit illum pane vitæ. & **590** intellectus.

& aqua sapientiæ salutaris potabit illum· & firmabitur in illo & non flectetur. & continebit illum & non confundetur. & exaltabit illum apud proximos suos· In medio ecclesiæ aperiet os eius. & implebit illum spiritu sapientiæ & intellectus. & stola gloriæ vestiet illum.

Evangelium require retro de uno martyre vel confessore.

Super Sindonem.

Da æterne consolationis Pater. per huius sancti confessoris tui ill. preces. populo tuo pacem & salutem· Ut tuis tota dilectione inhereant præceptis. & quæ tibi placita sunt. tota perficiant voluntate· per Dominum nostrum. 1242

Super Oblata.

Suscipiat clementiam tuam Dominus quæsumus de manibus nostris munus oblatum· Et per huius sancti confessoris tui ill. orationes. ab omnibus nos emundet peccatis· per. 1243

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. pia devotione tuam laudantes clementiam. qui huic sancto confessori tuo ill. talem contulisti gloriam. ut pro tui nominis amore tota despiceret terrena. & amaret cælestia· Unde & pro eius veneratione. in loco reliquiarum illius hæc sacramenta salutis nostræ tuæ offerimus maiestati. ut tanto pro nobis intercedente patrono dextera potentiæ **591**
tuæ nos ubique protegat & regat· per Christum. 1244

Post Comm.

Divina Domine libantes mysteria. quæ pro huius sancti confessoris tui ill. veneratione. tuæ optulimus maiestati. præsta quæsumus ut per ea veniam mereamur peccatorum. & cælestis gratiæ donis reficiamur· per. 1245

CCXXVII

MISSA IN COTIDIANIS DIEBUS PLURIMORUM SANCTORUM.

Deus qui nos beatæ Mariæ semper virginis & beatorum apostolorum. martyrum. confessorum. virginum. atque omnium simul sanctorum continua lætificas solemnitate. præsta quæsumus ut quos cotidiano veneramur officio. etiam pie conversationis sequamur exemplo· per. 1246

Secundum Iohannem.

In illo tempore Dixit Ihesus discipulis suis· Amen amen dico vobis quia plorabitis & flebitis vos. mundus autem gaudebit· Vos autem contristabimini. sed tristitia vestra. vertetur in gaudium· Mulier cum parit. tristitiam habet. quia venit hora eius· Cum autem pepererit puerum. iam non meminit pressuræ propter gaudium. quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habebitis. iterum autem videbo vos. & gaudebit cor vestrum· Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Super Sindonem.

592 Fac nos Domine Deus sanctæ Mariæ semper virginis subsidiis attolli. & gloriosa beatorum apostolorum. martyrum confessorum. virginum. omniumque simul sanctorum protectione defendi· Ut dum eorum pariter cotidie festa celebramus. eorum pariter cotidie ab omnibus adversis protegamur auxilio· per. 1247

Super Oblata.

Munera tibi Domine nostræ devotionis offerimus. quæ & pro tuorum tibi grata sint honore sanctorum & nobis salutaria te miserante reddantur· per. 1248

Post Comm.

Præsta nobis Domine quæsumus intercedentibus omnium sanctorum tuorum meritis. ut quæ ore contingimus. puro corde capiamus· per. 1249

CCXXVIII

MISSA OMNIMODA.

Sanctæ Dei genitricis Mariæ. ac beatorum angelorum. patriarcharum. apostolorum. martyrum. confessorum. virginum. atque omnium sanctorum tuorum. quæsumus omnipotens Deus nos famulos tuos intercessionibus protege. pariterque nobis familiaritate. atque consanguinitate coniunctos. & omnem populum christianum ab omni pravitate defende· Commissos etiam nos ad regendum custodi· Et animabus famulorum tuorum ill. & ill. cunctorumque fidelium defunctorum. requiem tribue benignus sempiternam. & sanctorum cœtibus consociare digneris **593**
propitius· per Dominum nostrum. 1250

Super Sindonem.

Beate Dei genitricis Mariæ & beatorum angelorum. patriarcharum apostolorum martyrum virginum. confessorum omniumque sanctorum tuorum piis supplicationibus. quæsumus Domine nos tua gratia protegat & conservet· Et famulis tuis qui nobis elemosinas suas condonaverunt tam vivis quam & defunctis seu iter agentibus. vel domi residentibus. & omni populo christiano. misericordiam tuam ubique prætende· Ut ab omnibus impugnationibus defensi. tua opitulatione salventur. & indulgentiam quam semper optaverunt. piis supplicationibus consequantur· per. 1251

Super Oblata.

Oblationis huius Domine placare muneribus & intercedentibus omnibus sanctis tuis. me. & omnem populum christianum a cunctis defende periculis. Et animabus famulorum tuorum ill. & ill. & cunctorum fidelium defunctorum per hæc sancta sacrificia. remissionem omnium tribue peccatorum· per. 1252

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & tuam clementiam profusis precibus implorare. ut intercedente

beata & gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria. & omnibus sanctis tuis. cunctorum peccatorum veniam nos **594** famuli tui consequi mereamur· Et eos quos nobis cura regiminis sociasti ác familiaritate adiunxisti. & omnem populum christianum. angelorum omniumque sanctorum tuorum tuere præsidiis· Et animabus famulorum tuorum ill. & ill. cunctorumque fidelium defunctorum. ut in pacis ác lucis regione constituas deprecamur· per Christum. 1253

Post Comm.

Purificet quæsumus Domine nos famulos tuos divini sacramenti libatio. & gloriosa sanctæ Dei genitricis Mariæ. & omnium sanctorum tuorum oratio. & omnibus nobis commissis. ác familiaritate & consanguinitate coniunctis. & omni populo christiano. misericordiam tuam ubique prætende· Et animabus famulorum tuorum ill. & ill. & cunctorum fidelium defunctorum remissionem omnium tribue delictorum· per. 1254

CCXXIX

DIE DOMINICA.

MISSA DE SANCTA TRINITATE.

Omnipotens sempiterne Deus qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei. æterne Trinitatis gloriam agnoscere. & in potentia maiestatis adorare unitatem. quæsumus ut eiusdem fidei firmitate. ab omnibus muniamur adversis· Qui vivis & regnas. 1255

Ad Romanos.

Fratres. Gratia Domini nostri Ihesu Christi. & caritas Dei & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.

Secundum Iohannem.

In illo tempore Dixit Ihesus discipulis suis· Cum venerit **595** Paraclytus quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis qui a Patre procedit. ille testimonium perhibet de me. & vos testimonium perhibebitis quia ab initio mecum estis· Hæc locutus sum vobis. ut non scandalizemini. absque synagogis facient vos· Sed venit hora. & omnis qui interficit vos. arbitretur obsequium se prestare Deo· Et hæc facient vobis. quia non noverunt Patrem. neque me· Sed hæc locutus sum vobis ut cum venerit hora eorum reminiscamini quia ego dixi vobis.

Super Sindonem.

Domine Deus Pater omnipotens famulos tuæ maiestati subiectos. per unicum Filium tuum in virtute Sancti Spiritus benedic & protege· Ut ab omni hoste securi. in tua iugiter laude lætentur· per eundem· in unitate. 1256

Super Oblata.

Sanctifica quæsumus Domine Deus per tui nominis invocationem. huius oblationis hostiam. & per ea nosmetipsos tibi perfice munus æternum· per. 1257

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui cum unigenito Filio tuo. & Spiritu Sancto. unus és Deus. unus es Dominus. non in unius singularitate personæ. sed in unius Trinitate substantiæ· Quod enim de tua gloria revelante té credimus hoc de Filio tuo. hoc de Spiritu Sancto. sine differentia discretionis sentimus· Ut in confessione veræ sempiternæque deitatis. **596** & in personis proprietas. & in essentia unitas. & in maiestate adoretur equalitas· Quam l. a. v. a. 1258

Post Comm.

Proficiat nobis ad salutem corporis & animæ Domine Deus huius sacramenti susceptio. & sempiternæ sanctæ Trinitatis confessio· Qui vivis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. 1259

CCXXX

FERIA II.

MISSA PRO PECCATIS.

Exaudi Domine quæsumus supplicum preces. & confitentium tibi parce peccatis· Ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus. & pacem· per. 1260

Ad Romanos.

Fratres. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem· Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. & captivum me ducentem in lege peccati. quæ est in membris meis· Infelix ego homo quis me liberavit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ihesum Christum Dominum nostrum.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Dixit Ihesus discipulis suis· Petite & dabitur vobis. quærite & invenietis. pulsate & aperietur vobis· Omnis enim qui petit accipit. & qui querit invenit. & pulsanti aperietur· Quis autem ex vobis patrem petit panem. numquid lapidem dabit illi? Aut piscem. numquid pro pisce serpentem dabit· **597** Aut si petierit ovum. numquid porrigit illi scorpionem? Si ergo cum sitis mali. nostis bona data dare filiis vestris. quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se.

Super Sindonem.

Deus cui proprium est semper misereri & parcere. suscipe deprecationem nostram· Et quos delictorum catena costringit. miseratio tuæ pietatis absolvat· per. 1261

Super Oblata.

Hostias tibi Domine placationis offerimus. ut & delicta nostra miseratus absolvas. & nutantia corda dirigas· per. 1262

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. & te suppliciter exorare. ut sic nos bonis tuis instruas sempiternis. ut temporalibus quoque consolari digneris·

Sic præsentibus refovere ut ad gaudia nos mansura perducas per Christum Dominum nostrum· 1263

Infra canonem.

Hanc igitur oblationem Domine tibi offerimus pro peccatis atque offensionibus nostris. ut omnium delictorum nostrorum remissionem consequi mereamur per Christum Dominum nostrum· Quam oblationem. 1264

Post Comm.

Præsta nobis æterne Salvator. ut percipientes hoc munere veniam peccatorum. deinceps peccata vitemus· per. 1265

CCXXXI

FERIA III.

MISSA AD POSCENDA ANGELICA SUFFRAGIA.

598 Plebem tuam quæsumus Domine perpetua pietate custodi· Ut secura semper & necessariis adiuta subsidiis. spirituum tibimet placitorum pia semper veneratione lætetur. 1266

Lectio libri Apocalypsis Iohannis apostoli.

In diebus illis dixit mihi angelus· Scribe. beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati sunt· Et dixit mihi· Hæc verba Dei vera sunt· Et cecidi ante pedes eius. ut adorarem eum. & dixit mihi· Vide ne feceris. conservus tuus sum. & fratrum tuorum habentium testimonium Ihesum. Deum adora.

Secundum Iohannem.

In illo tempore Ascendit Ihesus Ierosolimam· Est autem Ierosolimis probatica piscina. quæ cognominatur hebreice Bethseda quinque porticus habens· In his iacebat multitudo magna languentium. cœcorum. claudorum. aridorum. expectantium aquæ motum· Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam. & movebat aquam· Qui ergo primus descendisset post motionem aquæ. sanus fiebat. a quocumque languore tenebatur.

Super Sindonem.

Perpetuum nobis Domine tuæ miserationis præsta subsidium. quibus & angelica præstitisti suffragia non deesse· per. 1267

Super Oblata.

Hostias tibi Domine laudis offerimus subpliciter deprecantes. ut easdem angelico pro nobis inter- **599** veniente suffragio & placatus accipias. & ad salutem nostram provenire concedas. per. 1268

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· Quamvis enim illius sublimis angelicæ substantiæ sit habitatio semper in cælis· tuorum tamen fidelium præsumit affectus. pro tuæ reverentia potestatis. per hæc piæ devotionis officia. quoddam retinere pignus in terris astantium in conspectu tuo iugiter ministrorum per Christum Dominum nostrum. 1269

Post Comm.

Repleti Domine benedictione cælesti suppliciter imploramus. ut quod fragili celebramus officio. sanctorum angelorum nobis prodesse sentiamus auxilio· per. 1270

CCXXXII

FERIA IIII.

MISSA DE SAPIENTIA.

Deus qui misisti Filium tuum. & ostendisti creaturæ creatorem. respice propitius super nos famulos tuos. & præpara agiæ Sophiæ dignam in cordibus nostris habitationem· per eundem. 1271

Lectio epistolæ beati Iacobi apostoli.

Karissimi. Scientes quod probatio fidei vestræ. patientiam operatur· Patientia autem opus perfectum habeat ut sitis perfecti. & integri. in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia. postulet a Deo. qui dat omnibus affluenter. & non improperat & dabitur ei· Postulet autem in fide nihil hesitans. in Christo Ihesu Domino nostro.

Secundum Iohannem.

600 In illo tempore Sublevatis Dominus Ihesus oculis in cælum dixit· Pater venit hora clarifica Filium tuum. ut Filius tuus clarificet te· Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. ut omne quod dedisti ei det eis vitam æternam· Hæc est autem vita æterna. ut cognoscant te solum verum Deum. & quem misisti Ihesum Christum.

Super Sindonem.

Deus qui per coæternam tibi Sapientiam. hominem cum non esset condidisti. perditumque misericorditer reformasti. præsta quæsumus ut eandem te inspirante tota mente amemus. & ad te toto corde curramus· per. 1272

Super Oblata.

Sanctificetur quæsumus Domine Deus huius nostræ oblationis munus. tua cooperante Sapientia· Ut tibi placere possit ad salutem [*leg.* laudem]. & nobis proficere ad salutem· per. 1273

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui tui nominis agnitionem. & tuæ potentiæ gloriam. nobis in coæterna tibi Sapientia revelare voluisti· Ut tuam confitentes maiestatem. & tuis inhærentes mandatis. tecum vitam habeamus æternam per Christum Dominum nostrum. 1274

Post Comm.

Infunde quæsumus Domine Deus per hæc quæ sumpsimus. tuæ cordibus nostris lumen Sapientiæ· Ut te veraciter agnoscimus. & fideliter diligamus· [Per Dominum.] (1). 1275

. . . .

(1) In dubium vocari non potest quin folium hic excisum non tantum initium feriæ sextæ, verum etiam

[FERIA VI.]

[IN HONORE SANCTÆ CRUCIS.]

. . . .

601 *Ad Philippenses.*

Fratres Christus factus est pro nobis obœdiens Patri usque ad mortem. mortem autem crucis. Propter quod & Deus illum exaltavit. & donavit illi nomen quod est super omne nomen. ut in nomine Ihesu omne genu flectatur cælestium. & terrestrium. & infernorum. & omnis lingua confiteatur. quia Deus Ihesus Christus. in gloria est Dei Patris.

Secundum Matheum.

In illo tempore Ascendens Ihesus Ierosolimam. assumpsit secum duodecim discipulos secreto. & ait illis· Ecce ascendimus Ierosolimam. & Filius hominis tradetur principibus sacerdotum. & scribis & condemnabunt eum morte. & tradent eum gentibus ad illudendum. & flagellandum. & crucifigendum. & die tertia resurget.

feriam quintam integram exhibuerit, quam lacunam proinde supplemus ex ambrosiano missali an. 1522 impresso, cui consonant omnino, quoad orationes, missales editi an. 1515, 1548, 1831 &c.

CCXXXIII

FERIA V.

MISSA AD POSTULANDAM CHARITATEM.

Ingressa.

Si diligitis me mandata mea servate : iterum mandatum novum do vobis ut diligatis invicem sicut dilexi vos dicit Dominus.

Super populum.

Deus vita fidelium : gloria humilium : beatitudo justorum : propitius accipe supplicum preces. Ut anime que promissiones tuas sitiunt : de tue semper charitatis abundantia repleantur. Per. 1276

Ad Corinthios I. Capitu. xiij.

Fratres. Charitas patiens est : benigna est. Charitas non emulatur : non agit perperam : non inflatur : non est ambitiosa : non querit que sua sunt. Non irritatur : non cogitat malum : non gaudet super iniquitatem : congaudet autem veritati. Omnia suffert : omnia credit : omnia sperat : omnia sustinet. Charitas numquam excidet.

℣. *in Alleluia.*

Emitte Spiritum tuum & creabuntur. & renovabis faciem terre.

Secundum Iohannem. Ca. XIII.

In illo tempore. Dixit Iesus discipulis suis. Filioli. adhuc vobiscum sum. Queritis me. & sicut dixi Iudeis : quo ego vado : vos non potestis venire. Et modo vobis dico. Mandatum novum do vobis : ut diligatis invicem sicut dilexi vos : ut & vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli : si dilectionem habueritis ad invicem.

Post Evangelium.

Cum sanctificatus fuero in vobis : congregabo vos de universo mundo : dabo vobis cor novum : & spiritum rectum ponam in visceribus vestris.

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus : qui justiciam tuæ legis in cordibus credentium digito tuo scribis : da nobis fidei spei & charitatis augmentum. Et ut mereamur assequi quod promittis : fac nos amare que precipis. Per. 1277

Offerenda.

Fratres sit nobis cor unum in Deo & anima una : autor pacis, rex eterne ab omni malo tu nos defende.

Super oblatam.

Mitte Domine quæsumus Spiritum Sanctum : qui & hæc munera præsentia, tuum nobis efficiat Sacramentum : & ad hoc percipiendum nostra corda purificet. Per Dominum. In unitate ejusdem. 1278

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Qui fideles tuos mutua faciens lege concordes : pacem tuam tali fœdere nexuisti : ut nec alteri quisquam moliretur infligere : quod sibi nollet inferri. Et bona : quæ suis utilitatibus cuperet tribui a consorte naturæ : hæc idem ipse quoque præstaret. Quatenus dum alterutra pietate se reperiunt, communis in singulis fieret semetipsam diligens : essetque mens una cunctorum. Per Christum. 1279

Confractorium.

In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli : si dilectionem habueritis ad invicem.

Transitorium.

Diligamus nos invicem : quia charitas Deus est : & qui diligit fratrem suum : ex Deo natus est : & videt Deum : & in hoc charitas Dei perfecta est : & qui facit voluntatem Dei manet in æternum.

Post Comm.

Spiritum in nobis Domine tuæ charitatis infunde. Ut quos uno cælesti pane satiasti : tua facias pietate concordes. Per. In unitate eiusdem. 1280

Benedictio.

Benedicat ✠ vos divina majestas Pater & Filius & Spiritus Sanctus.

CCXXXIV

FERIA SEXTA.

MISSA IN HONORE SANCTÆ CRUCIS.

Ingressa.

O Crux illa magna fallens gaudia tartarorum : & resolvens vincula peccatorum : gaudeant omnes gentes : quia rex noster infernum vicit. Alleluia. Alleluia.

Super populum.

Deus cui cunctæ obediunt creaturæ : & omnia Verbo tuo fecisti in sapientia : supplices quæsumus ineffabilem misericordiam tuam. Ut quos per lignum sanctæ crucis, Filii tui pio cruore es dignatus redimere : tu qui es lignum vitæ, paradisique reparator omnibus in te credentibus diri serpentis venena extinguas : & per gratiam Sancti Spiritus poculum salutis semper infundas. Per eumdem. In unitate eiusdem. 1281

Ad Philippenses. Capitulo II.

Fratres : Christus factus est pro nobis obediens Patri usque ad mortem (*Cætera ut supra*).

Super Sindonem.

Deus qui unigeniti Filii tui pretioso sanguine. vivificæ crucis vexillum sanctificare voluisti. concede quæsumus eos qui eiusdem sanctæ crucis gaudent honore. tua quoque ubique protectione gaudere· per eumdem. 1282

Super Oblata.

Hæc oblatio Domine ab omnibus nos purget offensis. quæ in ara crucis. etiam totius mundi tulit offensam· per. 1283

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui salutem humani generis. in ligno crucis constituisti. ut unde mors oriebatur. inde vita resurgeret & qui in ligno **602** vincebat. in ligno quoque vinceretur per Christum. 1284

Post Comm.

Adesto nobis Domine Deus noster· Ut quos sanctæ crucis lætari fecisti honore. eius quoque perpetuis defende subsidiis· per Dominum. 1285

CCXXXV

SABBATO.

MISSA SANCTÆ MARIÆ.

Oratio super populum.

Omnipotens Deus famulos tuos dextera potentiæ tuæ a cunctis protege periculis· Et beata Maria semper virgine intercedente. fac eos præsenti gaudere prosperitate. & futura· per. 1286

Lectio libri Sapientiæ.

Ab initio ante sæcula creata sum. & usque ad futurum sæculum non desinam· Et in habitatione sancta coram ipso ministravi. & sic in Sion fructificata sum. & in civitate sanctificata. similiter requievi & in Ierusalem potestas. & radicavi in populo honorificato. & in parte Dei mei hereditas illius & in plenitudine sanctorum detentio mea.

Secundum Lucam.

In illo tempore. Intravit Dominus Ihesus in quoddam castellum. & mulier quædam Marta nomine excepit illum in domum suam. & huic erat soror nomine Maria· Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius· Marta autem satagebat circa frequens ministerium· Quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius· Marta autem satagebat circa frequens ministerium· Quæ stetit & ait· Domine non est tibi curæ. **603** quod soror mea reliquit me solam ministrare ? Dic ergo illi ut me adiuvet· Et respondens dixit illi Dominus· Marta Marta sollicita es. & turbaris erga plurima· Porro unum est necessarium· Maria optimam partem elegit. quæ non auferetur ab ea.

Super Sindonem.

Concede nobis famulis tuis quæsumus Domine Deus perpetua mentis & corporis prosperitate gaudere· & gloriosa beatæ Mariæ semper virginis intercessione. a præsenti liberare tristitia. & futura perfrui lætitia· per. 1287

Super Oblata.

Tua Domine propitiatione & beatæ Mariæ semper virginis intercessione. ad præsentem atque perpetuam hæc oblatio nobis proficiat prosperitatem· per Dominum nostrum Ihesum. 1288

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui genus humanum prævaricatione sua. in ipsius originis radice damnatum. per florem virginalis uteri reddere dignatus es absolutum. & hominem quem per Unigenitum creaveras. per eundem Filium tuum Deum & hominem recreares· Ut diabolus qui Adam in fragili carne devicerat conservata a Deo iustitia carne vinceretur assumpta per eumdem Christum Dominum nostrum. 1289

Post Comm.

Sumptis Domine salutis nostræ presidiis. dá quæsumus eius patrociniis nobis ubique protegi. in cuius **604** veneratione hæc tuæ optulimus maiestati· per. 1290

CCXXXVI

MISSA IN ORDINATIONE PRESBYTERI SIVE ANNIVERSAR.

Deus cuius arbitrio omnium sæculorum ordo decurrit· Respice propitius ad nostræ tempus ætatis. & tibi servitus nostra complaceat. & tua in nobis dona concede· per. 1291

Ad Titum.

Karissime. Paulus servus Dei apostolus autem Christi Ihesu. secundum fidem electorum Dei. & agnitionem veritatis. quæ secundum pietatem est in spe vitæ æternæ. quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia· Manifestavit autem temporibus suis Verbum suum in prædicatione quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei· Tito dilecto filio secundum communem fidem. gratia & pax a Deo patre. & Christo Ihesu Salvatore nostro· Huius rei gratia reliqui te Crete. ut ea quæ desunt corrigas & constituas per civitates presbyteros sicut ego tibi disposui· Si quis sine crimine est. unius uxoris vir. filios habentem fideles. non in accusatione luxurie. aut non subditos· Ut possimus exortari in doctrina sana per Ihesum Christum Dominum nostrum.

Secundum Matheum.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Omnia mihi tradita sunt a Patre meo· Et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit **605** nisi Filius. & cui voluerit revelare· Venite ad me omnes qui laboratis & honerati estis & ego reficiam vos· Tolite iugum meum

super vos. & discite a me quia mitis sum & humilis corde. & invenietis requiem animabus vestris· Jugum enim meum suave est & honus meum leve est.

Super Sindonem.

Deus qui digne tibi servientium. nos imitari desideras famulatum· Da nobis caritatis tuæ flamma ardere succensi· Ut antistitum decus priorum qui tibi placuerunt mereamur consortia obtinere· per. 1292

Super Oblata.

Aufer a nobis Domine spiritum superbiæ cui resistis ut sacrificia nostra tibi sint semper accepta· per. 1293

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· Qui dissimulantis peccatis humanæ fragilitatis nobis indignis sacerdotalem conferis dignitatem· Da nobis quæsumus ut ad sacrosanćta mysteria immolando sacrificia cum beneplacitis mentibus facias introire· Quia tu solus sine operibus aptis iustificas peccatores. tu gratiam prestas benignus ingratis ut éa que retro sunt oblivisci concedis. & ad priora promissa mysteria clementissima gubernatione perducis· & ideo cum angelis. 1294

Infra'.

Hanc igitur oblationem quam tibi offero ego tuus famulus ob diem quo me nullius dignum meritis sed solo tuæ misericordiæ donum ad hunc locum **606** perducere dignatus es presbiterii. quæso placatus accipias. maiestatem tuam suppliciter deprecans· Ut sicut me sacris altaribus tua dignatio sacerdotali servire præcepit officio. & dignum prestet meritum· per Christum. 1295

Post Comm.

Purificet nos Domine cælestis exsecutio sacramenti. & ad tuam magnificentiam capiendam. divinis affećtibus semper instauret· per. 1296

CCXXXVII

ITEM ALIA MISSA SACERDOTIS PROPRIA.

Deus vivorum & salvator omnium. qui non vis mortem peccatoris. nec lætaris in perdicione morientium. te supplex deprecor. ut concedas mihi veniam delićtorum meorum. & ut commissa defleam. & postmodum non committam· Ut cum extrema dies mihi. finisque vitæ advenerit. emundatis delićtis omnibus. me angelus sanćtitatis suscipiat· per. 1297

Ad Timotheum. II.

Karissime. Gratias ago ei. qui me confortavit in Christo Ihesu Domino nostro· Quia fidelem me existimavit. ponens in mynisterio. qui prius fui blasphemus & persecutor. & contumeliosus. sed misericordiam consecutus sum. quia ignorans feci incredulitate· Superabundavit autem gratia Domini nostri. cum fide & dilećtione quæ est in Christo Ihesu.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· **607** Bonus homo de bono thesauro. profert bona· Et malus homo de malo thesauro· profert mala· Dico autem vobis. quoniam omne verbum otiosum. quod locuti fuerint homines. reddent rationem de eo in die iudicii· Ex verbis enim tuis iustificaberis. & ex verbis tuis condemnaberis.

Super Sindonem.

Deus misericordiæ. Deus caritatis. Deus indulgentiæ. indulge quæso & miserere mei· & peccata quæ labentibus vitiis contraxi. pius & propitius ác miseratus indulgeas. & locum pœnitentiæ ác flumina lacrimarum concedas. ut veniam a te merear accipere· per Dominum. 1298

Super Oblata.

Deus caritatis & pacis. qui pro salute generis humani. crucis patibulum sustulisti & sanguinem tuum pro redemptione nostra fudisti. preces meas placatus & benignus suscipe· Et hoc sacrificium. quod tuæ gratiæ offero. sereno vultu digneris respicere· Et misericordiam tuam mihi concedas. ut cum de corpore me exire iusseris. pars iniqua in me non habeat potestatem. sed angelus misericordiæ tuæ inter sanćtos & elećtos tuos me collocet. ubi lux permanet. & vita regnat in sæcula sæculorum· Amen. 1299

Prefatio.

Vere dignum. Per Christum Dominum nostrum. qui pro amore humani generis fa ćtus est in similitudinem carnis **608** peccati· Formam servi Dominus assumpsit. & in supplicium vulnerati medicus ambulavit· Hic nobis Dominus. & minister salutis. advocatus & iudex sacerdos & sacrificium· Per hunc te Domine sanćte Pater omnipotens suppliciter exoro. ut dum reatum conscientiæ meæ recognosco. & in præceptis tuis prævaricator extiti. & per delićtorum facinus corrui in ruinam. tu me Domine digneris erigere. quem lapsus peccati prostravit· Inlumina cæcum· quem tetræ peccatorum caligines obscuraverunt· Solve compeditum. quem vincula peccatorum constringunt· Præsta per eundem sanćtum & gloriosum. & adorandum Dominum nostrum Ihesum Christum Filium tuum· Quem una tecum. 1300

Infra canonem.

Hanc igitur oblationem servitutis meæ Pater sanćte. licet meis manibus offeratur. qui nec invocationem tui nominis facere dignus sum præ multitudine iniquitatum mearum. tamen quia per sanćtificatum Filii tui nomen. hanc offero oblationem. humiliter postulo. ut sicut incensum in conspećtu tuo abscendat in odore suavitatis. Diesque nostros in tua. 1301

Post Comm.

Gratias ago tibi Domine Deus. qui me peccatorem satiare dignatus és corpore & sanguine **609** Domini nostri Ihesu Christi· Et ideo peto

omnipotens Deus. ut hæc sancta communio. non sit mihi in iudicium. neque ad condemnationem pœne. sed sit mihi arma fidei & scutum bonæ voluntatis. ad evacuandas omnes insidias diaboli de corpore meo· Et illud introire convivium me peccatorem permittas ubi lux vera est. & gaudia sempiterna iustorum· per eundem. 1302

CCXXXVIII

ITEM ALIA MISSA SACERDOTIS.

Deus fons bonitatis. & pietatis origo. qui peccantem non statim iudicas : sed ad pœnitentiam miseratus expectas. te quæso ut facinorum meorum squalores abstergas & me ad peragendum iniunctum officium dignum efficias· Et qui altaris tui ministerium suscepi indignus· perago trepidus. ad id peragendum reddar strenuus. & inter eos qui tibi placuerunt. inveniar iustificatus· per. 1303

Super Sindonem.

Omnipotens & misericors Deus. cuius pietatis & misericordiæ non est numerus. qui simul cuncta creasti. qui Verbum tuum pro redemptione humani generis incarnari voluisti qui occulta cordium hominum solo agnoscis. miserere animæ meæ· Delicta iuventutis. & ignorantias meas ne memineris. sed erue animam meam de manu inimicorum. **610** & de profundo laci. & de luto fæcis· Ne derelinquas me Domine Deus meus. ne discedas a me. & ne tradas me in manus quærentium animam meam. sed libera eam de omni angustia. piissime Pater· per eundem Dominum. 1304

Super Oblata.

Sacrificii præsentis quæso Domine oblatio mea expurget facinora. per quod totius mundi voluisti relaxari peccata· Illiusque frequentatione efficiar dignus. quod ut frequentarem suscepi indignus· per. 1305

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· Qui dum libenter nostram pænitudinis satisfactionem suscipis. ipse tuo iudicio quod erramus abscondis. & præterita peccata nostra discimulas· ut nobis sacerdotii dignitatem concedas· Tuum est enim me ad ministrandum altari tuo dignum efficere. quem ad peragendum id officii indignum dignatus es promovere· Ut præteritorum actuum meorum mala obliviscens. præsentium ordinem in tua voluntate disponens. futuris custodiam imponens. per eum vitiorum squaloribus expurger. virtutum nutrimentis exorner eorum sacerdotum consortio qui tibi placuerunt aduner. quem constat esse verum summumque ponti- **611** ficem solumque sine peccati contagione sacerdotem. Ihesum Christum Dominum nostrum· Per quem maiestatem. 1306

Post Comm.

Huius Domine perceptio sacramenti peccatorum meorum maculas tergat. & ad peragendum iniunctum officium. me idoneum reddat· per. 1307

CCXXXIX

ITEM ALIA MISSA SACERDOTIS.

Omnipotens sempiterne Deus. qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti. & sancti nominis tui laudare potentiam. concede quæsumus per huius sacramenti mysterium. meorum mihi veniam peccatorum. ut tuæ maiestati digne ministrare merear· per. 1308

Super Sindonem.

Aures tuæ pietatis mitissime Deus inclina precibus meis. & gratia Sancti Spiritus inlumina cor meum· Ut tuis mysteriis digne ministrare. teque æterna caritate diligere merear· per Dominum nostrum in unitate. 1309

Super Oblata.

Da quæsumus clementisse Pater. per huius oblationis mysterium. meorum mihi veniam peccatorum· Ut non ad iudicium. sed indulgentiam huius sacerdotalis ordo mihi proficiat sempiternam· per. 1310

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui septiformes ecclesiasticæ dignitatis gradus. septimplici dono Sancti Spiritus decorasti· Præsta mihi propitius famulo tuo. eundem in sanctitate vitæ promereri Spiritum Paraclytum. quem unigenitus Filius tuus Dominus noster **612** Ihesus Christus tuis fidelibus mittendum esse promisit· Qui meo pectori inspirare dignetur catholicæ fidei firmitatem. & sanctæ caritatis tuæ dulcedinem· Meque terrena despicere. & amare cælestia doceat· per eundem. 1311

Post Comm.

Sumentes Domine Deus salutis nostræ sacramenta. præsta quæsumus ut eorum participatio. mihi famulo tuo ad perpetuam proficiat salutem· per Dominum. 1312

CCXL

MISSA SACERD. IN TEMPTATIONE CARNIS.

Suppliciter te Deum Patrem omnipotentem qui és creator omnium rerum deprecor. ut dum me famulum tuum coram omnipotentia maiestatis tuæ deliquisse confiteor. manum misericordiæ tuæ mihi porrigas· Quatenus dum hanc oblationem tuæ pietati offero. quod nequiter admisi. clementissime digneris absolvere· per. 1313

Ad Corinthios. I.

Fratres. Qui se existimat stare. videat ne cadat· Temptatio vos non apprehendat. nisi humana· Fidelis autem est Deus. qui non patietur vos temptari super id quod potestis. sed faciet cum temptatione etiam proventum. ut possitis sustinere.

Evangelium secundum Lucam. require retro fer. II. Miss. pro peccatis. Petite & dabitur vobis.

Super Sindonem.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros. & cor nostrum **613** Domine. ut tibi casto corde serviamus. & corpore placeamus· per Dominum. In unitate. 1314

Super Oblata.

Disrumpe quæsumus Domine vincula peccatorum nostrorum. ut sacrificium laudis absoluta libertate offerre possimus· Retribue quæ ante retribuisti. & salva nos per indulgentiam. quos dignatus és salvare per gratiam· per. 1315

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Tuam plorantes clementiam. ut salvare nos digneris ex ore leonis. qui circuiens quærit de unitate ecclesiæ tuæ quem devoret. Sed tu piissime Pater contere contrariæ virtutis sevitiam rugientem. & nos quoque corpore conserva & corde purifica per Christum Dominum nostrum. 1316

Post Comm.

Domine adiutor noster. & protector adiuva nos & refloreat caro nostra. vel virtute pudicitiæ. vel sanctimoniæ novitate· Ereptaque de manu tartari. ad resurrectionis gaudia facias pervenire· per. 1317

CCXLI

MISSA VOTIVA.

Deus qui iustificas impium. & non vis mortem peccatorum. maiestatem tuam suppliciter deprecamur. ut famulum tuum ill. de tua misericordia confidentem. cælesti protegas benignus auxilio. & assidua protectione conserves. ut tibi iugiter famuletur. & nullis temptationibus a te separetur· per. 1318

614 *Lectio epistolæ beati apostoli et evangeliste Iohannis.*

Karissimi. Si dixerimus quia peccatum non habemus. ipsi nos seducimus. & veritas in nobis non est· Si autem confiteamur peccata nostra. fidelis est & iustus. ut remittat nobis peccata. & emundet nos ab omni iniquitate Ihesus Christus Dominus noster.

Secundum Iohannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Sic enim dilexit Deus mundum. ut Filium suum unigenitum daret. ut omnis qui credit in eum non pereat. sed habeat vitam æternam· Non enim misit Deus Filium suum in hunc mundum ut iudicet mundum. sed ut salvetur mundus per ipsum.

Super Sindonem.

Famulum tuum ill. quæsumus Domine placatus intende. pariterque eum & a peccatis absolve propitius. & a cunctis eripe benignus adversis· per. 1319

Super Oblata.

Da quæsumus omnipotens Deus ut hæc salutaris oblatio famulum tuum ill. a propriis exuat reatibus. & ab omnibus tueatur adversis· per Dominum. 1320

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui és iustorum gloria. & misericordia peccatorum. pietatem tuam humili prece deposcimus. ut famulum tuum ill. benignus respicias. & pietatis tuæ super eum custodiam intendas· Ut ex toto corde & ex tota mente tibi deserviat. & sub tua semper protectione consistat. societatem sanctorum percipiat. (1) **615 (627)** cum quibus inennarrabilem gloriam sine fine possideat per Christum Dominum nostrum. 1321

Infra canonem.

Hanc igitur oblationem Domine quam tibi offerimus pro famulo tuo ill. ut in præsenti sæculo salutem mentis & corporis. in futuro quidem remissionem omnium peccatorum suorum consequi mereatur. quæsumus Domine ut placatus suscipias. diesque nostros. 1322

Post Comm.

Purificent nos quæsumus Domine sacramenta quæ sumpsimus. & famulum tuum ill. ab omni culpa liberum esse concede· Ut qui conscientiæ reatu constringitur. cælestis remedii plenitudine glorietur· per. 1323

CCXLII

ITEM ALIA MISSA.

Omnipotens sempiterne Deus miserere famulo tuo ill. & dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ· Ut te donante tibi placita cupiat & tota virtute perficiat· per. 1324

Lectio Esaie Prophetæ.

Hæc dicit Dominus Deus· In die illa defertur munus Domino exercituum. & rex fortis dominabitur eorum· In die illa erit altare Domini in medio terræ. & cognoscetur Dominus. & colent eum in hostiis & muneribus & vota vovebunt Domino. & solvent· Et revertentur ad Dominum. & placabitur eis & sanabit eos· In die illa erit Israel benedictio in medio terræ. cui benedixit Dominus exercituum dicens· Benedictus populus meus. & opus manuum mearum **616 (628)** hereditas mea Israel. dicit Dominus omnipotens.

Secundum Matheum.

In illo tempore. Sedens Dominus Ihesus contra gazophilatium. aspiciebat quomodo turba iactaret

(1) Ab hinc usque in finem Codicis, susque deque versa foliorum aliquot compage, genuinus ordo materiarum perturbatur, quem proinde reponimus, numeros ordinis restituti prosequendo quales ab incœpto processerant. Posthabiti tamen paginarum hodierni contextus numeros, sed uncinis jam inclusos, iuxta continuatæ seriei numeros, in memoriam, revocamus.

aes in gazophilacium· Et multi divites iactabant multa· Cum venisset autem una vidua pauper. misit duo minuta. quod est quadrans· Et convocans discipulos suos ait illis· Amen dico vobis. quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit. qui miserunt in gazophilacium· Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt· Hæc vero de penuria sua. omnia quæ habuit misit. totum victum suum.

Super Sindonem.

Famulum tuum ill. quæsumus Domine tua semper protectione custodi· Ut libera tibi mente deserviat. & te protegente a malis omnibus sit securus· per. 1325

Super Oblata.

Proficiat quæsumus Domine hæc oblatio. quam tuæ supplices offerimus maiestati. ad salutem famuli tui ill. Ut tua providentia eius vita inter adversa & prospera ubique dirigatur· per. 1326

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Implorantes tuæ maiestatis misericordiam. ut famulo tuo ill. veniam suorum largiri digneris peccatorum· Ut ab omnibus inimici vinculis liberatus. tuis toto corde inhereat mandatis. & te solum semper tota virtute diligat. & ad tuæ quandoque beatitudinis visionem pervenire mereatur· per Christum. 1327

Post Comm.

617 (629) Da quæsumus Domine famulis tuis ill. in tua fide & sinceritate constantiam· Ut in caritate divina firmati. nullis temptationibus ab eius integritate evellamur· per. 1328

CCXLIII

MISSA PRO FAMILIARIBUS.

Deus qui caritatis dona. per gratiam Sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti da famulis tuis omnibus videlicet consanguineis nostris. & his qui se in nostris orationibus commendaverunt. & quorum elemosinas accepimus. seu cunctis fidelibus pro quibus tuam deprecamur clementiam salutem mentis & corporis· Ut te tota virtute diligant. & quæ tibi placita sunt tota dilectione perficiant· per. 1329

Super Sindonem.

Deus qui supplicum tuorum vota per caritatis officia suscipere dignaris. da famulis tuis omnibus scilicet consanguineis nostris. & omnibus fidelibus. in tua proficere dilectione. & in tua lætari protectione· Ut tibi secura mente deserviant. & in tua pace semper assistere mereantur· per. 1330

Super Oblata.

Miserere quæsumus Domine Deus famulis tuis. omnibus videlicet consanguineis nostris. & his qui se in nostris orationibus commendaverunt. & quorum elemosinas accepimus. seu cunctis fidelibus. pro quibus hoc sacrificium laudis. tuæ offerimus maiestati· Ut per hæc sancta supernæ beatitudinis **618 (630)** gratiam obtineant. & gloriam æternæ felicitatis adquirant· per. 1331

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Clementiam tuam pronis mentibus obsecrantes. ut famulos tuos. quos sanctæ dilectionis nobis familiaritate adiunxisti. tibi facias toto corde subiectos· Ut tuæ caritatis spiritu repleti. a terrenis mundentur cupiditatibus. & cælesti beatitudine te donante digni efficiantur· per Christum. 1332

Post Comm.

Da quæsumus Domine famulis tuis omnibus videlicet consanguineis nostris & his qui se in nostris orationibus commendaverunt. & quorum elemosinas accepimus. seu cunctis fidelibus tuis iugiter inherere mandatis. & quæ recta sunt te auxiliante sectari· per Dominum. 1333

Alia.

Divina libantes mysteria quæsumus Domine. ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem & pacem. pro quorum dilectione hæc tuæ obtulimus maiestati· per. 1334

CCXLIV

MISSA PRO IMPERATORE.

Deus regnorum omnium. & christiani protector imperii. da servo tuo ill. imperatori nostro. triumphum. virtutis tuæ scienter excolere· Ut qui in tua institutione imperat. tua semper tuitione triumphet· per. 1335

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus qui de plebe tua imperii fastigio famulum tuum ill. dignatus és sublimare. fac eum humilitatis iustitiæ & ceterarumque virtutum **619 (631)** bono exuberare· Ut a tuæ veritatis tramite non recedat. & a[d] te qui vita és gratiosus perveniat· per. 1336

Super Oblata.

Munera Domine Deus oblata sanctifica. ut & nobis Unigeniti tui corpus & sanguis fiant. & imperatori nostro ill. ad optinendam animæ corporisque salutem & peragendum iniunctum officium. te largiente usquequaque proficiant· per eundem. 1337

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui es auctor totius bonitatis. regum consecrator. honorum omnium adtributor. dignitatumque largitor· Cuius ineffabilem clementiam votis omnibus exoramus ut famulum tuum ill. quem imperialis gloriæ culmine voluisti sublimari. sapientiæ. ceterarumque virtutum ornamentis facias decorari· Et quia tui est muneris. quod imperat. tuæ sit pietatis quo[d] id feliciter agat· Quatenus de visibilibus & invisibilibus hostibus triumphator

effectus. & transitorii regni gubernacula inculpabiliter teneat. & ad æterna infinita gaudia te miserante perveniat. per Christum. 1338

Post Comm.

Hæc Domine salutaris sacramenti perceptio peccatorum maculas diluat. & imperatorem nostrum. ad regendum secundum tuam voluntatem popolum. idoneum reddat· Ut hoc salutari mysterio. **620** (**632**) contra visibiles & invisibiles hostes reddatur invictus. per quod mundus est divina dispensatione redemptus· per. 1339

CCXLV

MISSA IN TRIBULATIONE.

Præsta nobis quæsumus omnipotens Deus. ut omnes fremitus inimici mentis puritate vincamus· Eis [*l.* & is] qui nos in sua virtute molitur affligere intercessione sanctorum tuorum. nobis supplicantibus superetur· per. 1340

Super Sindonem.

Da nobis quæsumus Domine de tribulatione lætitiam· Ut qui diu pro peccatis nostris affligimur. intercedentibus sanctis tuis clementer in tua misericordia respiremus· per. 1341

Super Oblata.

Suscipe Domine Deus preces tribulatorum. cum oblationibus hostiarum. & tuam misericordiam deprecantes. ab omnibus defende periculis· per. 1342

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. teque totis sensibus deprecari. ut in angustiis ad te clamantes exaudias. & anxium spiritum inter extrema refoveas animasque fidelium tuorum. quas cælesti pane non deseris. terreni victus miseratione sustentes· per Christum. 1343

Post Comm.

Repleti Domine participatione cælesti supplices te rogamus. ut quos divino munere non relinquis. perpetua gubernatione committeris· per. 1344

CCXLVI

MISSA PRO TRIBULANTIBUS VEL PRESSURAM SUSTINENTIBUS.

Deus qui contritorum non despicis gemitum. & mæ- **621** (**633**) rentium non spernis affectum. adesto precibus nostris. quas tibi pro tribulatione
nostra
famuli tui ill. effundimus· Quæsumus ut eas clementer suscipias. tribuasque ut quicquid
nos
contra eum diabolicæ atque humanæ moliuntur adversitates. ad nihilum redigas. & consilio pietatis tuæ allidas· Ut nullis adversitatibus
i i
læsus sed ereptus de omni tribulatione & angus-
i
tia. lætus tibi in ecclesia tua sancta gratias
mus·
referat· per Dominum. 1345

Super Sindonem.

Omnipotens sempiterne Deus. qui facturam tuam pio semper gubernas affectu. inclina aurem
os os
tuam supplicationibus nostris. & famulum tuum
s
ill. nimia tribulatione laborantem placido intuere obtutu· per. 1346

Super Oblata.

Deus qui tribulatos corde sanas. & mæstificatos actu iustificas. ad hanc propitius dignanter
nostra
attende. quam tibi pro servi tui ill. offerimus liberatione· Tu & hæc benignus accepta. &
nostra quibus
illius pro quo offerimus sana discrimina. Tribu-
nostræ
lationis eius attende miseriam. & angustiarum
nostrarum i
illius submove pressuram. Ut exutus omnibus
m m
quæ patitur malis in tuis semper delectetur exultare deliciis· per. 1347

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. maiestatem tuam
nobis is is
suppliciter exorantes. ut famulo tuo ill. præteritorum concedas veniam delictorum. & ab omni
nos
mortalitatis **622** (**634**) incursu continuata eum miseratione protegas· Quia tunc auxilium tuum non diffidimus adfuturum. cum a nobis ea quibus offendimus dignanter expuleris· per Christum Dominum nostrum. 1348

Infra'c.

Hanc igitur oblationem Domine quam tibi
nostra
offerimus pro liberatione & consolatione famuli
nos
tui ill. sereno vultu accepta. ut non eum fraus humana deiciat non tua Deitas ex iudicio puniat. non castigantis iustitia usquequaque dimergat non iniquitas propria non adversitas gravet
mus
aliena· Si quid tibi deliquid ignosce. si quid
mus a nobis
offendit homines tu dimitte· Submove ab eo cruciatus mentis simul & corporis· Ut te conpunc-
i mus i mus
tus requirat a te tactus non doleat. per te
i mus i
sustentatus adversa despiciat & a te correctus te
mus·
diligenter exquirat· Diesque. 1349

Post Comm.

Dimitte Deus peccata nostra & tribue nobis
nostram
misericordiam tuam· Ut famuli tui ill. humilitatem attendas vincula solvas. delicta deleas. tribulationem inspicias adversitatem repellas. affectumque petitionis nostræ largiens clementer exaudias· per. 1350

CCXLVII

MISSA IN TEMPORE BELLI.

Contere quæsumus Domine hostes populi tui. & delicta nostra. quorum merita nobis adversantur. emunda· Ut cum te placita puritate mentibus nostris infu- **623 (635)** deris largiaris & pacem· per Dominum. 1351

Alia.

Omnipotens & misericors Deus. a bellorum nos quæsumus turbine fac esse quietos. quia bona nobis cuncta prestabis si pacem dederis mentis & corporis· per. 1352

Alia.

Protector noster aspice Deus. & ab hostium defende formidine· Ut omni perturbatione submota liberis tibi mentibus serviamus· per. 1353

Super Sindonem.

Deus qui conteris bella. & inpugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas auxiliare implorantibus misericordiam tuam· Ut omnium gentium feritate compressa. indefessa te gratiarum actione laudemus· per. 1354

Super Oblata.

Sacrificium Domine quod immolamus intende placatus· Ut ab omni nos exuat bellorum nequitia. & in tuæ protectionis securitate constituat· per. 1355

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Agnoscimus enim Deus. agnoscimus sicut prophetica dudum voce testatus és. ad peccantium merita pertinere ut servorum tuorum labore quæsita. sub conspectu nostro manibus diripiantur alienis· Et quæ desudantibus famulis nasci tribuis ab hostibus patiaris absummi· Totoque corde prostrati supplices exoramus omnipotens Deus· ut & præteritorum concedas veniam delictorum. & ab omni **624 (636)** mortalitatis incursu continuata miseratione nos protegas· Quia tunc defensionem tuam non diffidimus adfuturam cum a nobis ea quibus offendimus dignanter expuleris· per Christum. 1356

Post Comm.

Sacrosancti corporis & sanguinis Domini nostri Ihesu Christi refectione vegetati, supplices te rogamus omnipotens Deus. ut hoc remedio singulari. ab omnium peccatorum nos contagione purifices. & a periculorum munias incursione cunctorum· per eumdem. 1357

CCXLVIII

MISSA CONTRA OBLOQENTES.

Conspirantes Domine contra tuæ plenitudinis firmamentum. dextere tuæ virtute prosterne· Ut iustitiæ non dominetur iniquitas. sed subdatur semper falsitas veritati· per. 1358

Super Sindonem.

Præsta quæsumus Domine ut mentium reproborum non curemus obloquium. sed eadem pravitate calcata. exoramus. ut nec terreri nos lacerationibus patiaris iniustis. nec captiosis adulationibus implicari. sed potius amare quæ præcipis· per. 1359

Super Oblata.

Oblatio Domine tuis aspectibus immolanda. quæsumus ut & nos ab omnibus vitiis potenter absolvas. & a cunctis defendat inimicis· per. 1360

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui famulos tuos informare dignaris. ut non tam nos exagitet inepta laceratio **625 (637)** superorum. quam potius maneat in nobis miseratio lacerantium· Quoniam sicut nos convenit præcavere ne veraciter appetamur. sic eorum qui a veritate sunt devii. flere debemus interitum· Ut vel illis correptionem suppliciter exorando subvenire possimus vel nobis fructum pietatis adquirere· per Christum. 1361

Post Comm.

Præsta Domine quæsumus. ut hæc sancta quæ sumpsimus. dissimulatis lacerationibus improborum eadem te gubernante quæ recta sunt. cautius exequamur· per. 1362

CCXLIX

MISSA PRO ITER AGENTIBUS.

Adesto Domine supplicationibus nostris. & viam famuli tui ill. in salutis tuæ prosperitate dispone· Ut inter omnes viæ & vitæ huius varietates tuo semper protegamur auxilio· per. 1363

Lectio libri Genesis.

In diebus illis locutus est Abraham dicens· Dominus Deus cæli qui tulit me de domo patris mei. & de terra nativitatis meæ. qui locutus est & iuravit dicens· Semini tuo dabo terram hanc. ipse mittet angelum suum coram te.

Secundum Matheum.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Euntes autem prædicate dicentes· quia appropinquavit regnum cælorum· Infirmos curate. mortuos suscitate. leprosos mundate. dæmones **626 (638)** eicite· Gratis accepistis. gratis date· Nolite possidere aurum neque argentum neque aés in zonis vestris· Non peram in via. neque duas tunicas. neque calceamenta neque virgam· Dignus est enim operarius cibo suo· In quamcumque civitatem aut castellum intraveritis. interrogate quis in ea dignus sit. & hic manete donec exeatis· Intrantes autem domum. salutate eam dicentes· Pax huic domui· Et si quidem fuerit domus illa digna. veniet pax vestra super eam· Sin autem non fuerit digna. pax vestra ad vos revertetur· Et quicumque non receperit vos. neque audierit sermones vestros.

exuentes foras de domo vel de civitate. excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium eorum· Amen dico vobis. tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorreorum in die iudicii. quam illi civitati.

Super Sindonem.

Adesto Domine supplicationibus nostris & iter famuli tui ill. interno discretionis moderamine. ubique regendo dispone· Sicque mynisterium eius. quod humanæ humilitati prospicit. pio favore prosequere. quatenus hunc a tuis præceptis non paciaris deviare· per. 1364

Super Oblata.

Famulum tuum illum quæsumus Domine hæc tueantur ubique gradientem oblata sacrificia. quæ totius mundi interna virtute conspescuere naufragia· per. 1365

Prefatio.

627 (**639**) Vere dignum Æterne Deus· A quo deviare mori. coram té ambulare vivere est· Qui fideles tuos in tuam viam ducis. & miseratione gratissima in veritatem deducis· Qui Abrahæ Isaac. & Iacob. in præsentis viæ & vitæ curriculo custos. dux. & comes esse voluisti. & famulo tuo Tobi angelum prævium præstitisti: Cuius inmensam misericordiam humillimis precibus imploramus. ut iter famuli tui ill. cum suis in prosperitate dirigere eumque inter viæ & vitæ huius varietates digneris custodire· Quatenus angelorum tuorum præsidio fultus. intercessione quoque sanctorum munitus. a cunctis aversitatibus tua miseratione defensus protectionis & reservationis suæ felicitate potitus. & compos reddatur iustorum votorum· Et de suorum lætetur remissione peccatorum· per Christum. 1366

Infra Canonem.

Hanc igitur oblationem Domine famuli tui ill. quam tibi offert ob desiderium animæ suæ. commendans tibi Deo iter suum. ut placatus suscipias deprecamur· Cui tu Domine angelum tuum sanctum mittere digneris. sicut misisti famulo tuo Tobi Rafahel angelum. qui eum salvum atque incolumem perducat. usque ad loca destinata· Iterato tempore oportuno. omnibusque rite perfectis. reduci eum facias in tuam sanctam ecclesiam. & lætus tibi & nomini tuo gratias agat. Diesque nostros. 1367

Post Comm.

628 (**640**) Tua Domine sperantes in te quæ sumpsimus sacramenta custodiant & contra adversos tueantur incursus. 1368

Alia.

Sumpta Domine cælestia sacramenta quæsumus ad prosperitatem iteneris famuli tui ill. proficiant. & eum ad salutaria cuncta perducant· per. 1369

CCL

MISSA PRO PACE.

Deus a quo sancta desideria. recta consilia. & iusta sunt opera. da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem· Ut & corda nostra mandatis tuis dedita. & hostium sublata formidine. tempora sint tua protectione tranquilla· per. 1370

Super Sindonem.

Deus conditor mundi. sub cuius arbitrio omnium sæculorum ordo decurrit. adesto propitius invocationibus nostris. & tranquillitatem pacis præsentibus nostris concede temporibus· Ut in laudibus misericordiæ tuæ incessabili exultatione lætemur· per. 1371

Super Oblata.

Deus qui credentes in te populos. nullis sinis concuti terroribus. dignare preces & hostias dicata & tibi [*leg.* dicatæ tibi] plebis suscipere· Ut pax tua pietate concessa. christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos· per. 1372

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui misericordiæ tuæ potenti auxilio & prospera tribuis. & adversa depellis. universa obstacula quæ servis tuis adversantur **629** (**641**) expugna· Ut remoto terrore bellorum. & libertas secura. & religio sit quieta· per Christum. 1373

Post Comm.

Deus auctor pacis & amator. quem nosse vivere cui servire regnare est. protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos· Ut qui in defensione tua confidimus nullius hostilitatis arma timeamus· per. 1374

CCLI

MISSA AD PLUVIAM POSTULANDAM.

Deus in quo vivimus. movemur. & summus. pluviam nobis tribue congruentem· Ut præsentibus subsidiis sufficienter adiuti. sempiterna fiducialiter appetamus· per. 1375

Alia.

Deus omnipotens & clemens. qui solus dás pluviam super terram. solus mittis aquas sub inferiora cælorum. dona servis tuis beneficium pluviale· Ut quod nostra facinora suspenderunt. tuo munere prærogetur· per. 1376

Alia.

Terram tuam Domine quam videmus nostris iniquitatibus tabescentem. cælestibus aquis infunde. atque irriga beneficiis gratiæ sempiternæ· per. 1377

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore. Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis Amen amen dico vobis. qui credit in me. opera quæ ego facio. & ipse faciet. & maiora

horum faciet. quia ego ad Patrem vado· Et quodcumque petieritis in nomine meo. hoc faciam. ut glorificetur Pater in Filio· Si quid petieritis Patrem in nomine meo. **630** (**642**) hoc faciam.

Super Sindonem.

Delicta nostra quæsumus Domine miseratus absolve. & aquarum subsidia præbe cælestium. quibus terrena conditio vegetata subsistat· per. 1378

Super Oblata.

Oblatis Domine placare muneribus. & oportunum tribue nobis pluviæ sufficientis auxilium· per. 1379

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus obsecrantes misericordiam tuam. ut squalentes agri. fecundis imbribus inrigentur· Quibus pariter asteivum [*leg.* æstuum] mitigentur ardores. sævientium morborum restinguatur accensio. salus hominibus iumentisque proveniat. atque ut hæc té largiente mereamur. peccata quæ nobis adversantur absistant per Christum Dominum nostrum. 1380

Post Comm.

Tuere nos Domine quæsumus tua sancta sumentes. ut ab omnibus propitius absolve peccatis· per. 1381

CCLII

MISSA AD POSCENDAM SERENITATEM.

Ad te Domine clamantes exaudi. & aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus· Ut qui pro peccatis nostris iuste affligimur. misericordia tua præveniente clementiam sentiamus· per. 1382

Alia.

Omnipotens & misericors Deus adesto propitius invocationibus nostris. & preces populi tui benignus intende· Pacem tuam nuntiet nobis purgati aeris serena tranquillitas. & obducta cælo tetra nubium caligo **631** (**643**) discedat· Redeant ad suas naturales fluenta mensuras· & inmodicæ effusiones fluminum ab agrorum populatione revocentur· Quo enim fugiemus ab ira tua. nisi ad misericordiam tuam· Ut qui delinquentes verberas. peccata confitentibus parcas· per Dominum. 1383

Alia.

Da nobis quæsumus Domine piæ supplicationis effectum. & pestilentiam famemque propitiatus averte· Ut & congruam tibi exhibeamus servitutem. & propitiationis tuæ beneficia semper inveniamus· per. 1384

Evangelium secundum Matheum require retro die tertio de letaniis. Misereor turbe quatriduo.

Super Sindonem.

Deus qui fidelium precibus flecteris. & humilium conversione placaris conversis ad te propitiare supplicibus· Et quos fecisti iram intellegere castigantis. fac misericordiam sentire parcentis· per. 1385

Super Oblata.

Præveniat nos quæsumus Domine gratia tua semper. & subsequatur. & has oblationes. quas pro peccatis nostris nomini tuo consecrandas deferimus. benignus assume· Ut per intercessionem sanctorum tuorum cunctis nobis proficiant ad salutem· per. 1386

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus qui in mynisterio aquarum. salutis tuæ nobis sacramenta sanxisti· Exaudi propitius orationem populi tui. & per has **632** (**644**) salutiferas oblationes iube terrores inundantium cessare pluviarum. flagellumque huius elementi ad effectum tui convertere mysterii· Ut qui se regenerantibus aquis gaudent renatos. gaudeant his castigantibus esse correctos· per Christum Dominum nostrum. 1387

Post Comm.

Plebs tua Domine capiat sacræ benedictionis augmentum. & copiosis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis. quæ tantis intercessionum deprecationibus adiuvatur· per. 1388

CCLIII

MISSA PRO INFIRMO DE CUIUS SALUTE DESPERATUR.

Deus qui famulo tuo ill. dedisti fidei coniunctionem. concede ut per temporalem corporis incommoditatem. ad supernorum civium pertingere mereamur consortium· per. 1389

Super Sindonem.

Famulum tuum ill. quæsumus Domine āb omnibus solve peccatis· Et qui membrorum iam caret officio. numquam tuæ miserationis destituatur auxilio· per. 1390

Super Oblata.

Cuncta famuli tui ill. quæsumus Domine per hanc oblationem purgentur delicta· Ut qui tuæ dispositionis flagello in hac atteritur vita. in futuro ei requies tribuatur· per. 1391

Post Comm.

Sacris Domine muneribus vegetati. quæsumus ut famulum tuum ill. infirmitate laborantem. spe futuræ beatitu- **633** (**645**) dinis relevare digneris· per. 1392

CCLIV

MISSA PRO INFIRMO.

Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentium. exaudi nos pro famulo tuo ill. pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium· Ut reddita sibi sanitate. gratiarum tibi in ecclesia referat actionem· per. 1393

Lectio epistolæ beati Iacobi apostoli.

Karissimi. Tristatur aliquis vestrum. oret æquo animo & psallat· Infirmatur quis in vobis. inducat presbyteros ecclesiæ. ut orent super eum. unguentes eum oleo in nomine Domini. & oratio fidei salvabit infirmum· Et allevavit eum Dominus. & si in peccatis sit dimittentur ei· Confitemini ergo alterutrum peccata vestra. & orate pro invicem ut salvemini.

Secundum Lucam.

In illo tempore· Surgens Dominus Ihesus de synagoga intravit in domum Symonis· Socrus autem Symonis tenebatur magnis febribus· Et rogaverunt illum pro ea· Et stans super illam imperavit febri. & dimisit illam· Et continuo surgens. ministrabat illis· Cum autem sol occidisset. omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebat illos ad eum· At ille singulis manus imponens. curabat eos.

Super Sindonem.

Merito omnipotens Deus hanc incurrimus infirmitatem. qui tuam offendimus voluntatem· Et tamen **634** (**646**) licet arguamur flagellis pro peccatis. sed fiduciam de te non admittimus confidentiæ. scientes quod non usquequaque in nos peccata insequeris. si tamen peccatorum oblatione placaris· Ob hoc Domine poscentium attende propitius preces. lamentantium audi clamorem. impende pietatem. & pone iam finem propter misericordiam tuam. & concede sanitatem· per. 1394

Super Oblata.

Deus sub cuius nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt. suscipe precem & hostiam famuli tui ill. pro quo misericordiam tuam egrotante imploramus· Ut de cuius periculo metuimus de eius salute lætemur· per. 1395

Prefatio.

Vere dignum· per Christum Dominum nostrum. qui peccata nostra portavit in corpore suo· Cuius vulnere plagarum sanati sumus. cuius tactu vís febrium mox recessit. cuius sermone confestim surdus audivit. cuius iussu mutus fari non distulit. claudus cucurrit. cæcus vidit. egrotus prævaluit surrexit de sepulcro quatriduanus· Per ipsum te ergo Pater piissime postulamus ut sacrificii huius oblationem placatus suscipias. & peccantibus nobis veniam. & languenti fratri nostro ill. conferas salutem & veram medicinam. per eundem Christum. 1396

Post Comm.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium **635** (**647**) auxilii tui super infirmum famulum tuum ill. ostende virtutem. Ut ope misericordiæ tuæ adiuto salutiferam regni cælestis illi tribuas medicinam & ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentari mereatur· per. 1397

CCLV

MISSA PRO EPISCOPO DEFUNCTO.

Præsta quæsumus Domine ut anima famuli tui ill. episcopi. quam in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti cælesti sede gloriosa semper exultet· per. 1398

Ad Colossenses.

Fratres. Si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite ubi Christus est in dextera Dei sedens· Quæ sursum sunt sapite. non quæ super terram. Mortui enim estis. & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum Christus apparuerit vita vestra. tunc & vos apparebitis cum [eo] in gloria.

Secundum Iohannem.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Omne quod dat mihi Pater ad me veniet. & eum qui venit ad me non eiciam foras· Quia descendi de cælo non ut faciam voluntatem meam. sed voluntatem eius qui misit me· Hæc est autem voluntas eius qui misit me Patris. ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo. sed resuscitem illum in novissimo die. Hæc est enim voluntas Patris mei qui misit me. ut omnis qui vidit Filium & credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam. & resuscitabo **636** (**648**) ego eum in novissimo die.

Super Sindonem.

Deus cuius misericordiæ non est numerus· Suscipe pro anima famuli tui ill. episcopi preces nostras· Et duci [*leg.* lucis] lætitiæque in regione sanctorum tuorum societate concede· per. 1399

Super Oblata.

Suscipe Domine quæsumus pro anima famuli tui ill. sacerdotis quas offerimus hostias· Ut cui regiminis sacerdotii donasti. meritum concedas & præmium· per. 1400

Infra'c.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro commemoratione depositionis animæ famuli tui ill. episcopi quæsumus Domine ut placatus accipias· Et quem in corpore constitutum sedis apostolicæ gubernaculo præesse voluisti. in electorum tuorum numero constitue sacerdotum. Diesque nostros. 1401

Post Comm.

His sacrificiis quæsumus omnipotens Deus. purgata anima & spiritu famuli tui ill. ad indulgentiam & refrigerium sempiternum pervenire mereatur· per. 1402

CCLVI

MISSA
PRO SACERDOTE SIVE ABBATE DEFUNCT.

Præces nostras quæsumus Domine quas in famuli tui ill. sacerdotis depositione deferimus

propitiatus exaudi· Ut qui nomini tuo ministerium fidele dependit. perpetua sanctorum societate lætetur· per. 1403

Epistola et Evangelium require in missa pro episcopo defuncto.

Super Sindonem.

Largire quæsumus omnipotens Deus famulo tuo ill. sacerdoti **637 (649)** quietem beatitudinis sempiterne· Ut pro [quo] nunc gaudemus in terris. cum eodem apud te exultare mereamur in cælis. per. 1404

Super Oblata.

Concede quæsumus omnipotens Deus ut anima famuli tui ill. sacerdotis per hæc sancta misteria in tuo conspectu semper clara consistat quæ tibi fideliter ministravit· per. 1405

Post Comm.

Propitiare Domine supplicationibus nostris· & animam famuli tui ill. sacerdotis in regione vivorum æternis gaudiis iubeas sociari· per. 1406

CCLVII

MISSA UNIUS DEFUNCTI.

Inclina Domine aurem tuam ad preces nostras. quibus misericordiam tuam suppliciter deprecamur. ut animam famuli tui ill. quam de hoc sæculo migrare iussisti. in pacis ác lucis regione constituas. & sanctorum tuorum iubeas esse consortem· per. 1407

Lectio libri Machabeorum.

In diebus illis. vir fortissimus Iuda collatione facta. duodecim millia dragmas argenti misit Ierosolimam. offerre eas ibi pro peccatis mortuorum. iuste & religiose de resurrectione cogitans· Nisi enim eos qui ceciderant resurrecturos speraret. superfluum videretur. & vanum orare pro mortuis· Sed quia considerabat. quod hi qui cum pietate dormitionem acceperant. optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo & salubris est cogitatio offerre **638 (650)** sacrificium pro defunctis. & exorare ut a peccatis solvantur· per.

Secundum Iohannem.

In illo tempore Dixit Martha ad Ihesum· Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus· Sed & nunc scio. quia quæcumque poposceris a Deo. dabit tibi Deus· Dicit illi Ihesus· Resurget frater tuus· Dicit ei Martha· Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die· Dixit ei Ihesus· Ego sum resurrectio. & vita· Qui credit in me. etsi mortuus fuerit vivet· Et omnis qui vivit. & credit in me. non morietur in eternum· Credis hoc? Ait illi· Utique Domine ego credidi quia tu és Christus Filius Dei. qui in hunc mundum venisti.

Super Sindonem.

Fidelium Deus animarum conditor & redemptor. famulo tuo ill. cunctorum remissionem tribue peccatorum. ut quam semper optavit indulgentiam consequatur· Qui vivis. 1408

Super Oblata.

Animam famuli tui ill. quæsumus Domine ab omnibus vitiis conditionis humane hæc absolvat oblatio. quæ totius mundi tulit immolata peccata· per. 1409

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. hostiasque placationis & laudis offerre ut perpetuæ misericordiæ largitate. animam famuli tui ill. in lucis æterne facias regione gaudere· per Christum. 1410

[*Post Comm.*]

Præsta quæsumus Domine ut animam famuli tui ill. his purgata sacrificiis. indulgentiam pariter. & requiem **639 (651)** capiat sempiternam· per. 1411

CCLVIII

ITEM ALIA MISSA UNIUS DEFUNCTI.

Omnipotens sempiterne Deus cui numquam sine spe misericordiæ supplicatur. propitiare animæ famuli tui ill· Ut qui de hac vita in tui nominis confessione discessit. sanctorum tuorum numero facias aggregari· per. 1412

Super Sindonem.

Absolve Domine animam famuli tui ill. ab omni vinculo delictorum· Ut in resurrectionis gloria. inter sanctos tuos resuscitatus respiret· per. 1413

Super Oblata.

Propitiare quæsumus Domine animæ famuli tui ill. pro qua tibi hostias placationis offerimus· Et quia in hac luce in fide mansit catholica. in futura vita ei retributio condonetur· per. 1414

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. per Christum Dominum nostrum· In cuius adventu. cum geminam iusseris sistere plebem. iubeas & famulum tuum ill. a numero discerni malorum· Quem etiam tribuas pœnæ eternæ evadere flammas. & iuste potius adipisci prœmia vitæ· Induique iubeas devicta morte victorem semper inextinctam habere luminis auram· Eique dignare concedere perpetuam præclaro in corpore vitam. ubi nox nulla suas defendet atra tenebras· Securus de salute placidis lætetur in oris semper victurus. semperque in luce futurus· per eundem Christum Dominum nostrum. 1415

Infra'c.

Hanc igitur oblationem quam tibi pro requie **640 (652)** animæ famuli tui ill. offerimus. quæsumus Domine placatus accipias. & tua pietate concedas ut mortalitatis nexibus absoluta inter fideles tuos mereatur habere portionem· Diesque nostros. 1416

Post Comm.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut animam famuli tui ill. ab angelis lucis susceptam. in præparata habitacula deduci facias beatorum· per. 1417

CCLIX

IT. ALIA MISSA PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

Præsta quæsumus Domine animabus famulorum tuorum ill. & ill. misericordiam sempiternam· Ut mortalitatis nexibus expeditas. lux eas æterna possideat· per. 1418

Ad Tessalonicenses. II.

Fratres. nolumus vos ignorare de dormientibus ut non contristemini sicut & ceteri qui spem non habent· Si enim credimus quod Ihesus mortuus est. & resurrexit. ita & Deus eos qui dormierunt per Ihesum adducet cum eo· Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini. quia nos qui vivimus qui residui sumus. in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt. quoniam ipse Dominus in iussu. & in voce archangeli. & in tuba Dei descendet de cælo. & mortui qui in Christo sunt. resurgent primi· Deinde nos qui vivimus. qui relinquimur. simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aere. & sic semper cum Domino erimus. Itaque **641 (653)** consolamini invicem in verbis istis.

Secundum Iohannem.

In illo tempore· Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis. & turbis Iudæorum· Sicut Pater suscitat mortuos. & vivificat. sic Filius quos vult vivificat· Neque enim Pater iudicat quemquam. sed omne iudicium dedit Filio. ut omnes honorificent Filium. sicut honorificant Patrem· Qui non honorificat Filium. non honorificat Patrem. qui misit illum· Amen amen dico vobis. quia qui verbum meum audit. & credit ei qui misit me. habet vitam æternam. & in iudicium non venit. sed transit a morte in vitam.

Super Sindonem.

Deus cui soli competit medicinam prestare post mortem. tribue quæsumus ut animæ famulorum tuorum il. & il. ab omnibus exutæ peccatis. in electorum tuorum societatibus aggregentur· per. 1419

Super Oblata.

Hostias tibi Domine humili placatione deferimus. ut animæ famulorum tuorum ill. & ill. per hæc placationis officia. tuam misericordiam consequantur· per. 1420

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. qui és assumptor animarum sanctarum· Quamvis enim mortis humani generis illata conditio. pectora humana mentesque contristet tamen clementiæ tuæ dono. spe futuræ immortalitatis erigimur. & memores salutis æternæ. non timemus lucis huius subire **642 (654)** dispendium· Quia misericordiæ tuæ munere fidelibus vita mutatur. non tollitur. & in timoris tui observatione. defunctis domicilium perpetuæ felicitatis adquiritur· Tibi igitur clementissime Pater preces supplices fundimus. & maiestatem tuam devotis mentibus exoramus ut animæ famulorum tuorum ill. & ill. quorum diem commemorationis celebramus. mortis vinculis absolutæ transitum mereantur ad vitam· per Christum Dominum nostrum. 1421

Infra'.

Hanc igitur oblationem. quam tibi pro requie animarum famulorum tuorum ill. & ill. offerimus. quæsumus Domine propitius intuere· Et concede ut mortuis prosit ad veniam. quod cunctis viventibus præparare dignatus és ad medelam· Diesque nostros. 1422

Post Comm.

Inveniant quæsumus Domine animæ famulorum tuorum ill. & ill. omniumque in Christo quiescientium. lucis æternæ consortium. qui in hac luce positi tuum consecuti sunt sacramentum· per. 1423

CCLX

ITEM ALIA MISSA PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

Animabus quæsumus Domine famulorum tuorum ill. misericordiam concede perpetuam· Ut eis proficiat in æternum. quod in te speraverunt. & crediderunt· per. 1424

Super Sindonem.

Famulis tuis ill. quæsumus Domine oratio proficiat supplicantium· Ut eos & a peccatis exuas & tuæ redemptionis consortes efficias· per. 1425

Super Oblata.

643 (655) His quæsumus Domine placatus intende muneribus· Et quod ad laudem tui nominis supplicantes offerimus. ad indulgentiam proficiat defunctorum· per. 1426

Post Comm.

Supplices tibi Domine pro animabus famulorum tuorum ill. preces. effundimus. sperantes ut quicquid conversatione contraxerunt humana & clementer indulgeas. & in tuorum sede lætantium constituas redemptorum· per. 1427

CCLXI

MISSA IN DIE DEPOSITIONIS DEFUNCTI. III. VII. SIVE XXX.

Quæsumus Domine ut famulo tuo ill. cuius III. VII. sive XXXmum obitus sui diem commemoramus. sanctorum atque electorum tuorum largire consortium. & rore misericordiæ tuæ perennis infunde· per. 1428

Super Sindonem.

Adesto quæsumus Domine pro anima famuli tui ill. cuius in depositionis die ill. officium commemorationis inpendimus· Ut si qua in eum sæcularis macula inusit [*l.* inhæsit]. aut vicium mundiale infecit. dono tuæ pietatis indulgeas & extergas· per. 1429

Super Oblata.

Adesto quæsumus Domine supplicationibus nostris & hanc oblationem quam tibi offerimus ob diem depositionis ill. pro anima famuli tui ill. placatus ác benignus assume· per. 1430

Prefatio.

Vere dignum. per Christum Dominum nostrum· Per quem salus mundi. per quem vita omnium. per quem resurrectio mortuorum· **644** (**656**) Per ipsum te Domine suppliciter depræcamur ut animæ famuli tui ill. [cuius] diem [ill.] celebramus indulgentiam largiaris perpetuam. atque contagiis mortalitatis exutam in æterne salvationis parte restituas per ipsum Christum. 1431

Infra'c.

Hanc igitur oblationem Domine quam tibi offerimus pro anima famuli tui ill. cuius in depositionis die illum celebramus. quo deposito corpore animam tibi creatori reddidit quam dedisti. Pro quo petimus divinam clementiam tuam ut mortis vinculis absolutus transitum mereatur ad vitam· per. 1432

Post Comm.

Omnipotens sempiterne Deus conlocare dignare corpus animam & spiritum famuli tui ill. cuius diem illum seu depositionem celebramus. in sinibus Abrahæ Isaac & Iacob· Ut cum dies agnitionis tuæ venerit. inter sanctos & electos tuos eum resuscitare precipias· per. 1433

CCLXII

MISSA PRO DEFUNCT. ANNIVERSAR.

Præsta quæsumus Domine ut anima famuli tui ill. cuius anniversarium depositionis diem celebramus. hís purgata sacrificiis. indulgentiam pariter & requiem capiat sempiternam· psr. 1434

Lib. Iob.

In diebus illis. locutus est Iob dicens· Quis mihi hoc tribuat Domine. ut in inferno protegas me. & abscondas me. donec pertranseat furor tuus **645** (**657**) & constituas mihi tempus. in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursum vivet? Cunctis diebus quibus nunc milito. expecto donec veniat inmutatio mea· Vocabis me & ego respondebo tibi· Operi manuum tuarum porriges dexteram· Tu quidem gressus meos dinumerasti. sed parce peccatis meis.

Evangelium secundum Iohannem.

In illo tempore Dixit Ihesus discipulis suis. & turbis Iudæorum· Ego sum panis vivus qui de cælo descendi· Si quis manducaverit ex hoc pane· vivet in æternum· Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita· Litigabant ergo Iudæi ad invicem dicentes· Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Ihesus· Amen amen dico vobis. nisi manducaveritis carnem Filii hominis. & biberitis sanguinem eius. non habebitis vitam in vobis· Qui manducat meam carnem. & bibit meum sanguinem. habet vitam æternam. & resuscitabo ego eum in novissimo die.

Super Sindonem.

Adesto Domine supplicationibus nostris quibus misericordiam tuam suppliciter deprecamur pro anima famuli tui ill. cuius hodie annua dies agitur. ut eam mortalitatis nexibus absolutam. inter sanctos & electos tuos perpetuam iubeas habere portionem· per. 1435

Super Oblata.

646 (**658**) Propitiare Domine supplicationibus nostris pro anima famuli tui ill. cuius hodie dies annua agitur. pro qua tibi offerimus sacrificium laudis. ut eam sanctorum tuorum consortio sociare digneris· per. 1436

In Fra'c.

Hanc igitur oblationem Domine quam tibi offerimus pro anima famuli tui ill. cuius hodie dies annua agitur. quæsumus placatus intende. eamque mortalitatis nexibus absolutam. inter tuos fideles ministros habere perpetuam iubeas portionem. quam oblationem. 1437

Post Comm.

Inclina quæsumus Domine precibus nostris aures tuæ pietatis & animæ famuli tui ill. remissionem tribue omnium peccatorum. ut his sacrificiis purificatus. consortio mereatur perfrui beatorum· per. 1438

CCLXIII

MISSA PRO MORTALITATE HOMINUM.

Deus in cuius conspectu sanctus Michahel gloriosus assistit. præsta quæsumus ut ibi pro populo tuo exorare dignetur. ubi gratiam tuam semper meretur habere præsentem· per. 1439

Super Sindonem.

Omnipotens & misericors Deus respice propitius super populum tuum ill. maiestati tuæ subiectum· Et ne nos furor sævientis mortis inveniat. dextera tuæ propitiationis custodiat· per Dominum. 1440

Super Oblata.

Subveniat nobis Domine quæsumus sacrificii præsentis operatio. quæ nos & ab erroribus universis potenter **647** (**659**) absolvat. & a totius eripiat perditionis incursu· per. 1441

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus qui imminentem Ninevitis interitum. sola misericordia removisti.

quibus ut propitiator existeret conversionis potentiam præstitisti· Et huic populo tuo ante conspectum gloriæ tuæ prostrato orandi tribue puritatem & quem desiderat presta liberationis effectum· Ut quos Unigeniti tui sanguine redemisti. non patiaris propter misericordiam tuam mortalitatis introire supplicium· per eundem. 1442

Post Comm.

Tuere nos Domine quæsumus tua sancta sumentes. & ab omni propitius iniquitate defende· per. 1443

CCLXIV

MISSA PRO NAVIGANTIBUS.

Deus qui transtulisti patres nostros mare rubrum. & transvexisti per aquam nimiam. laudem tui nominis decantantes. supplices deprecamur· Ut in hác navi famuli tui ill. repulsis adversitatibus portum semper optabilem cursumque luciferum tribuas· per. 1444

Super Sindonem.

Exaudi Domine preces nostras. & iter famuli tui ill. propitius committare. atque misericordiam tuam sicut ubique és ita ubique largire· Quatenus a cunctis adversitatibus tua opitulatione deffensus gratiarum refferat actionem· per. 1445

Super Oblata.

Suscipe quæsumus Domine preces famuli tui ill. cum oblationibus hostiarum. & misteria tua celebrantes. ab omnibus defende periculis· per. 1446

Post Comm.

648 (660) Satiati divino misterio. maiestatem tuam suppliciter deprecamur & petimus· Ut quos donis cælestibus facis interesse. per lignum sanctæ crucis & peccatis abstrahas. & a periculis cunctis mi[se]ratus eripias· per. 1447

CCLXV

MISSA IN TEMPORE IEIUNII.

Deus qui [per] Verbum tuum humani generis reconciliationem mirabiliter operaris· Præsta quæsumus ut sancto ieiunio. & tibi toto corde subiecti. & in tua efficiamur pace concordes· per. 1448

Lec[tionem] require in letaniis.I. : Hæc dicit Dominus· Convertimini ad me in toto corde vestro.

Secundum Matheum.

In illo tempore Dicebat Dominus Ihesus discipulis suis· Cum ieiunatis. nolite fieri sicut ypocrite tristes· Exterminant enim facies suas ut pareant ab hominibus ieiunantes· Amen dico vobis. quia receperunt mercedem suam· Tu autem cum ieiunas. unge capud tuum. & facies tuas lava. ne videaris ab hominibus ieiunans· Et Pater tuus qui est in abscondito. palam reddet tibi· Noli[te] thesaurizare vobis thesauros in terra. ubi erugo & tinea demollitur. & ubi fures effodiunt & furantur· Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo. ubi neque erugo. neque tinea demollitur. & ubi fures non effodiunt. nec furantur· Ubi enim est thesaurus tuus. ibi est & cor tuum·

Super Sindonem.

Præsta nobis Domine quæsumus auxilium gratiæ tuæ· Ut ieiuniis. **649 (661)** & orationibus convenienter intenti. liberemur ab hostibus mentis & corporis· per. 1449

Super Oblata.

Accepta tibi sint Domine quæsumus nostri dona ieiunii· quæ expiandos nos tuæ gratiæ dignos efficiant. & ad sempiterna promissa perducant· per. 1450

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· Per hæc sacrosancta misteria quæ in nostra ieiunia iubente te sollemniter celebramus· Tribue quoque propitiatus. ut uberior gratia tuæ pietatis redundet in nobis· Ut sicut speramus animabus simul & corporibus tribuas æterne vitæ salutem per Christum. 1451

Post Comm.

Gratia tua nos Domine quæsumus non relinquat. quæ & sacræ nos deditos faciat servituti. & tuam nobis opem semper adquirat· per. 1452

CCLXVI

ALIA MISSA DE IEIUNIO.

Ieiunia nostra quæsumus Domine benigno favore prosequere. ut sicut ab alimentis in corpore. ita a vitiis ieiunemus in mente· per. 1453

Super Sindonem.

Sacræ nobis quæsumus Domine observationis ieiunia. & piæ conversationis augmentum. & tuæ propitiationis continuum prestent auxilium· per. 1454

Super Oblata.

Hæc hostia Domine quæsumus emundet nostra delicta· Et sacrificium celebrandum. subditorum tibi corpora mentesque sanctificet· per. 1455

Post Comm.

Celestia dona capientibus quæsumus Domine. non ad iudicium **650 (662)** pervenire patiaris. quæ fidelibus tuis ad remedium preparasti· per. 1456

CCLXVII

MISSA QUI A DEMONIO VEXATUR.

Omnipotens sempiterne Deus. Pater Domini nostri Ihesu Christi. te supplices deprecamur· ut imperes diabolo. qui hunc famulum tuum ill. detinet. ut ab eo recedat. & libera eum. qui

credidit in verum liberatorem Dominum nostrum Ihesum Christum. ut purgata ab eo omni labe iniquitatis. maiestati tuæ pura mente deserviat· per. 1457

Apocalypsis Iohannis apostoli.

In diebus illis. Factum est prælium magnum in cælo Michahel & angeli eius præliabantur cum dracone & draco pugnabat. & angeli eius· Et non valuerunt neque locus eorum inventus est amplius in cælo· Et draco magnus in bello erat. qui habebat capita septem. & cornua decem· Et proiectus est ipse draco magnus serpens antiquus qui vocabatur diabolus & satanas. qui seducit universum orbem. ipse proiectus est in terram. & omnes angeli eius cum illo missi sunt. propterea letamini cæli & qui habitatis in eo.

Evangelium secundum Marcum.

In illo tempore. Cum venisset Dominus Ihesus ad discipulos suos. vidit turbam magnam circa eos & scribas conquirentes cum illis. confestim omnis populus videntes eos· Stupefacti sunt & expaverunt· Occurrentes salutabant eum· Et interrogavit eos· **651** (**663**) Quid inter vos queritis? Et respondit unus de turba dixit· Magister. attuli filium meum ad te habentem spiritum meum [mutum]· Qui ubique eum apprehenderit illidet eum & spumat. & stridet dentibus & arescet· Et dixi discipulis tuis ut eicerent illum. & non potuerunt· Qui respondens eis dixit· O generatio incredula. quamdiu apud vos ero. quamdiu vos patiar? Afferte illum ad me· Et attulerunt eum. & cum vidisset illum. statim spiritus conturbavit eum. & elisus in terram volutabatur spumans· Et interrogavit patrem illius quantum temporis est. ex quo hoc ei accidit· Et ille ait ab infantia· Et frequenter eum in ignem & in aquam misit. ut eum perderet· Sed si quid potes adiuva nos. & miserearis· Ihesus autem ait illi· Si potes credere omnia possibilia credenti· Et continuo exclamans pater pueri. cum lacrimis aiebat· Credo adiuva incredulitatem meam· Et cum videret Ihesus concurrentem turbam. comminatus est spiritui inmundo dicens illi· Surde & mute spiritus. ego tibi præcipio exi ab eo. & amplius ne introeas in eum· & clamans & multum discerpens eum. & exiit ab eo· Et factus est sicut mortuus. ita ut multi dicerent quia mortuus est· Ihesus autem tenens manus eius. elevavit illum & surrexit· Et cum introisset Ihesus in domum. discipuli eius **652** (**664**) secreto interrogabant eum· Quare nos non potuimus eicere demonia? Et dixit illis· Hoc genus in nullo potest exire. nisi in oratione & ieiunio.

Super Sindonem.

Deus qui facturæ tuæ pio semper do[mi]naris affectu. inclina aurem tuam supplicationibus nostris. & famulum tuum ill. ex adversa valetudine corporis laborantem placitus respice. & visita eum in salutari tuo. & cælestis gratiæ presta medicinam· per. 1458

Super Oblata.

Deus qui humani generis & salutis remedii. vitæ æternæ contulisti· Conserva famulo tuo ill. tuarum dona virtutum· Et concede ut medellam tuam non solum in corpore. sed etiam in anima sentiat· per. 1459

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus. Virtutum cælestium Deus. qui ab humanis corporibus. omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis· Adesto propitius huic servo tuo ill. ut fugatis infirmitatibus & viribus revocatis. nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat· per. 1460

Post Comm.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus. ut accipientem fratrem nostrum sacrosanctam eucharistiam corporis & sanguinis Domini nostri Ihesu Christi Filii tui. tam corporis quam & animæ accipiat sanitatem· per. 1461

CCLXVIII

ITEM ORATIO PRO HIS QUI A DEMONIO VEXANTUR.

Domine Deus omnipotens qui omnia proprio dispensas arbitrio **653** (**665**) tu Pater clemens. tu pius propitiator. tu mæstorum consolator. tu tribulantium fortitudo. tu ægrotantium medicus. tu defensor tuarum plasmarum. respice de sede sancta tua super hunc famulum tuum ill. quem dæmonum malignus conturbat spiritus. & memor esse digneris. quia opera manuum tuarum est. & pretioso sanguine eum redimere és dignatus. ut non sinas eum amplius animam laniare diabolica fraude deceptam. sed concede ut medelam tuam non solum in corpore. sed etiam in anima sentiat· per. 1462

Alia.

Deus conditor & defensor generis humani. qui hominem ad imaginem & similitudinem tuam manibus tuis sanctis. & propriæ tuæ divinitatis ore firmasti· Respice super famulum tuum ill. qui dolis invidi serpentis adpeditur [*l.* appetitur]. Quem vetus adversarius & hostis antiquus ad reformidinis [*leg.* atræ formidinis] horrore circumvolat. & sensum mentis humanæ stupore defigit terrore conturbat. & metu trepidi timoris exagitat· Repelle Domine virtutum diaboli. fallaces insidias. procul impius temptator aufugiat· Sit in hominis tuo [*leg.* in nominis tui] signo famulus tuus & animo tutus & corpore· Tu pectoris huius interna custodias. tu viscera regas. tu corda confirmes. in animae [*l.* anima e[ius] adversariæ potestatis temptamenta vanescant· Da ad hanc invocationem nominis tui gratiam. ut qui hucusque terrebat territus ambiat [*l.* abeat] **654** (**666**) & victus abscedat· Tibique possit hic servulus tuus corde firmato & mente sincera debitum præbere famulatum· 1463

Signa eum et dic.

Benedicat te Dominus & custodiat semper. ostendat Dominus faciem suam tibi & misereatur tui. convertat Dominus vultum suum ad te & det tibi pacem· qui vivit & regnat. 1464

CCLXIX

MISSA PRO PESTE ANIMALIUM.

Deus qui laboribus hominum. etiam de mutis animalibus solatia subroborasti [*leg.* subrogasti]. supplices te rogamus. ut sine quibus non alitur humana conditio. nostris facias usibus non perire· per. 1465

Super Sindonem.

Averte Domine quæsumus a fidelibus tuis cunctos miseratus errores. & sevientium morborum depelle perniciem· Ut quos merito flagellas devios. foveas tua miseratione correctos· per. 1466

Super Oblata.

Sacrificiis Domine placatus oblatis opem tuam nostris temporibus clementer impende· per. 1467

Post Comm.

Benedictionem tuam Domine populus fidelis accipiat. qua corpore salvatus ác mente. & congruam tibi exibeat servitutem. & propitiationis tuæ beneficia semper inveniat· per. 1468

CCLXX

Oratio super aquam et sal ad animalia.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus. defende pecora nostra. defende misericors dona tua per hanc creaturam salis & aquæ defende piissime a rapacibus. **655 (667)** a latronibus. a bestiis. ab scabia. a morbo. a mortibus. a laqueis diaboli. ab infirmitate. & a temptatione. & ab invidia. & a malicia. a malis hominibus. a malo loquente. a malis oculis. a veneficis. & ab aruspicibus. & ab omnibus temptationibus atque infirmitatibus· per. 1469

Item benedictio salis ad pecora.

Deus invisibilis. inæstimabilis. qui per cuncta defensor és. pietatem tuam & misericordiam per sanctum & tremendum Filii tui nomen supplices deprecamur. ut in hanc creaturam salis benedictionem & potentiam visibili operatione infundas· Ut iumenta. quæ necessitatibus humanis tribuere dignatus és cum ex eadem acceperint vel gustaverint hæc benedictio & sanctificatio tua inlæsa reddat. & ab omni temptatoris incursu te protegente custodiat· per. 1470

CCLXXI

EXORCISMUS SALIS AD AQUAM SANCTIFICANDAM.

Exorcizo te creatura salis per Deum vivum. per Deum verum. per Deum sanctum. per Deum qui te per Heliseum prophetam in aquam mitti iussit. ut sanaretur sterilitas aquæ ut efficiaris sal exorcizatus. in salutem credentium. ut sis omnibus te sumentibus sanitas animæ & corporis. & effugiat atque discedat ab eo loco. quo aspersus fueris. omnis phantasia. & nequitia. vel versutia diabolicæ fraudis. omnisque spiritus immundus. adiuratus per eum. qui venturus est iudicare vivos & mortuos. & sæculum per ignem· Amen. 1471

656 (668) *Benedictio salis.*

Immensam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus. ut hanc creaturam salis. quam in usum generis humani tribuisti. ✠ Benedicere ✠ & sanctificare tua pietate digneris ut sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis· Et quicquid eo tactum vel respersum fuerit. careat omni immunditia. omnique impugnatione spiritalis nequitiæ· per. 1472

Exorcism. aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis. & in nomine Ihesu Christi Filii eius Domini nostri. ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici. & ipsum inimicum eradicare. & explantare cum angelis suis apostaticis. per virtutem Domini nostri Ihesu Christi. qui venturus est in Spiritu Sancto iudicare vivos & mortuos. & sæculum per ignem· Amen. 1473

Benedictio aquæ.

Deus qui ad salutem humani generis. maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti. adesto invocationibus nostris. & elemento huic multimodis purificationibus præparato. virtutem tuæ benedictionis effunde· Ut creatura mysterii tui tibi serviens. ad abiciendos dæmones morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectum· Ut quicquid in domibus. vel in locis fidelium hæc unda resperserit. careat immunditia. liberetur a noxa· Non illic resideat spiritus pestilens. non aura corrumpens· Discedant **657 (669)** omnes insidiæ latentis inimici· & si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet. aut quieti. aspersione huius aquæ effugiat· Ut salubritas per invocationem tui nominis expetita. ab omnibus sit impugnationibus defensa· per. 1474

Benedictio salis et aquæ pariter.
Hic mittitur sal in aqua.

Deus invictæ virtutis auctor. & inseparabilis imperii rex ac semper magnificus triumphator. qui adversæ dominationis vires reprimis. qui inimici rugientis sevitiam superas. qui hostiles nequitias potens expugnas. te Domine trementes & supplices deprecamur. ác petimus ut hanc creaturam salis & aquæ dignanter accipias. benignus inlustres. pietatis tuæ more sanctifices· Ut ubicumque fuerit aspersa. per invocationem sancti tui nominis omnis infestatio immundi spiritus abiciatur. terrorque venenosi serpentis procul pellatur. & præsentia Sancti Spiritus nobis mise-

ricordiam tuam poscentibus ubique adesse dignetur· per Dominum. in unitate eiusdem Spiritus Sancti. 1475

CCLXXII

AD CATHEZIZANDUM PARVULUM.

Exorcismus salis.

Exorcizo te creatura salis. in nomine Dei Patris omnipotentis· ✠ & in caritate Domini nostri Ihesu Christi ✠ & in virtute Spiritus Sancti· ✠ Exorcizo te per Deum verum. qui te ad tutelam generis humani procreavit. & populo venienti ad credulitatem. per servos suos consecrari præcepit· Proinde rogamus te Domine Deus noster. ut hæc creatura salis. in nomine sanctæ Trinitatis efficiatur salutare sacramentum. ad effugandum inimicum· ✠ quam tu Domine **658** (**670**) sanctificando ✠ sanctifices ✠. benedicendo benedicas. ut fiat omnibus accipientibus ex eo perfecta medicina. permanens in visceribus eorum. in nomine Domini nostri Ihesu Christi. qui venturus est in Spiritu Sancto iudicare sæculum per ignem. 1476

Exorcismus olei.

Exorcizo te creatura olei. per Deum omnipotentem. qui fecit cælum & terram. mare & omnia quæ in eis sunt· Omnis virtus adversarii. omnis exercitus diaboli omnis incursio. omne phantasma satanæ eradicare. & effugare ab hac creatura olei. Ut fiat omnibus qui ex eo unguendi sunt. in adoptionem filiorum Dei per Spiritum Sanctum. in nomine Dei Patris omnipotentis. & in caritate Domini nostri Ihesu Chrisri. qui venturus est iudicare sæculum per ignem·. Amen. 1477

Interroga nomen eius. et dic· Quis illum offert?

℟. Ego.

Int. Quid vult fieri?

℟. Christianus.

Int. Meretur a parentibus suis?

℟. Meretur.

Int. Abrenuntiat diabolo. & operibus eius?

℟. Abrenuntiat.

Int. Sæculo & pompis eius?

℟. Abrenuntiat.

Hic contestare eum. et dic· Memor esto sermonum tuorum. ut a te numquam abscedant. 1478

Deinde tange aures et nares de sputo. et dic· Eppheta. quod est adaperire in odorem suavitatis. 1479

Insuffla in faciem eius in similitudinem crucis. et dic· Insufflo te immunde spiritus. in nomine Domini nostri Ihesu Christi· Tu autem effugare diabole· Appropinquavit enim iudicium Dei. 1480

Hic oleum benedictum. et lini eum cum police inter scapulas. et in pectore· Ego te linio oleo salutis. in Christo Ihesu Domino nostro. in vitam eternam· Amen. 1481

659 (**671**) *Dominus vobiscum.* Et cum spiritu tuo.

Æternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus luminis & veritatis super hunc famulum tuum ill. & famulam tuam ill. ut digneris eum vel eam inluminare lumine intelligentiæ tuæ. munda eum. & sanctifica· Da ei scientiam veram. ut dignus efficiatur accedere ad gratiam baptismatis tui· Teneat firmam spem. consilium rectum. doctrinam sanctam. ut aptus sit ad percipiendam gratiam tuam· per. 1482

Insuffla in faciem eius in similitudinem crucis. et dic·

Exorcizo te omnis immundissime spiritus. in nomine Domini nostri Ihesu Christi· Omnis incursio adversarii. omnis ira. omne phantasma eradicare & effugare ab hac plasma Dei. quam Dominus noster Ihesus Christus hodie ad templum sanctum suum vocare dignatus est. ut fiat templum Dei vivi. & Spiritus Sanctus habitet in eo. in nomine Dei Patris omnipotentis. & in nomine Ihesu Christi Filii eius. qui venturus est in eodem Spiritu Sancto iudicare sæculum per ignem. 1483

Hic pone nomen· Signa eum. et dic nomen eius.

Accipe signum sanctæ crucis. serva præcepta divina· Verbo Dei hodie renasceris. & cælesti luce formaris· Ingredere templum Dei vivi. & sublato errore tenebrarum. evasisse te laqueos mortis lætus agnosce· Nunc ergo promissa cælestia. & adventum Dei omnipotentis expecta. ut possis sperare venturum Verbum genitum. virginali partu aeditum. credentibus annuntiatum· In cuius invocatione inluminaris. ✠ Cuiusque signaculo in fronte signaris. ✠ per hoc signum quod non designabitur. ✠ In nomine **660** (**672**) Dei Patris omnipotentis. & in nomine Ihesu Christi Filii eius. qui venturus est in Spiritu Sancto iudicare sæculum per ignem. 1484

Dominus vobiscum.

Deus cui ad initiandum nulla parvitas non idonea est. qui omnem ætatem. omnemque sexum ad maiestatis tuæ cultum dignanter admittis. tibi hæc novi hominis exordia & rudis vitæ dicamus infantiam· Da ut hunc ignarum mali parvulum. Unigeniti tui signo sanctæ crucis tueatur inscriptio· Tuus sit. tibi adolescat. te timeat. te diligat. te creatorem suum semper agnoscat. & ad sanctum lavacrum regenerationis te deducente perveniat. per eundem Dominum nostrum Ihesum Christum qui venturus est in Spiritu Sancto iudicare sæculum per ignem. 1485

Accipe sal benedictum. et pone in ore infantis. dicendo nomen illius· Accipe sal sapientiæ. propitiatum tibi in vitam æternam. 1486

Dominus vobiscum.

Deus patrum nostrorum. Deus conditor veritatis. te supplices exoramus. ut super hunc famulum tuum ill. respicere digneris propitius. Ut hoc primum pabulum salis gustantem. non

diutius eum esurire permittas. quominus cibo expleatur cælesti. quatenus sit semper Domine spiritu fervens. spé gaudens. tuo semper nomini serviens· Perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum. ut cum fidelibus tuis. promissionum tuarum æterna prœmia consequi mereatur· per. 1487

CCLXIII

SEQUITUR EXORCISMUS.

Omnipotens Domine Verbum Dei Patris Christe Ihesu. Deus & Dominus **661 (673)** universæ creaturæ· Quis [*l.* Qui] sanctis apostolis tuis potestatem dedisti calcandi supra serpentes & scorpiones. qui inter cetera mirabilium tuorum præcepta dignatus es dicere. dæmones effugate· Cuius virtute victus tamquam fulgur de cælo satanas cecidit· Tuum nomen cum timore & tremore supplex precor. ut indignissimo mihi data venia omnium delictorum confidentiam & possibilitatem donare digneris· Ut hunc crudelem draconem. bracchii tui munitus potentia. fideliter & securus aggrediar· Adiuro te ergo omnis immundissime spiritus. omne phantasma. omnis incursio satanæ in virtute nominis Christi. qui post lavacrum Iordanis in desertum ductus est. & in tuis te sedibus vicit. ut quem ille de limo terræ ad honorem gloriæ suæ formavit tu desinas impugnare. & in homine miserabili. non humanam fragilitatem. sed omnipotentis Dei imaginem contrimiscas· Cede ergo Deo. qui te humiliato famulo suo Iob. in servitutem redegit· Cede Deo qui te & militiam tuam. in Pharaone & in eius exercitu. per Moysen servum suum dimersit in abyssum· Cede Deo. qui te per Danihelem puerum suum in Beel prodidit & in dracone prostravit· Cede Deo. qui te per fidelissimum suum David de Saule rege spiritalibus canticis pulsum fugavit· Cede Deo. qui te in Iuda traditore damnavit· Ille enim te nunc divinis verberibus agit. in cuius conspectu cum tuis legionibus tremens clamabas· Quid nobis **662 (674)** & tibi Ihesu fili David? Venisti ante tempus torquere nos· Ille te flammis perpetuis urguet. qui in fine temporum dicturus est impiis. ite maledicti in ignem æternum. quem præparavit Pater meus diabolo & angelis eius· Tibi enim impie. & angelis tuis vermis qui numquam moritur tibi & angelis tuis inextinguibile præparatur incendium. quia tu és maledicte homicidii princeps. tu auctor incæsti. tu sacrilegorum caput. tu artium pessimarum magister tu hereticorum doctor. tu totius obscenitatis inventor· Exi ergo impie. exi excellerate. exi cum omni fallacia tua. quia hominem templum suum voluit Deus esse· Sed quod diutius moraris? Da honorem Deo Patri omnipotenti. cui omne flectitur genu· Da locum Christo Ihesu. qui pro homine suum sanguinem fudit. Da locum Spiritui Sancto. qui te per beatum apostolum suum Petrum manifestavit in Symone. qui falla-ciam tuam in Anania & Saphira condemnavit. qui te in Herode rege honorem Deo non dante percussit. qui te in Ethimo mago. per apostolum suum Paulum cæcitatis caligine perfudit. & per eundem de pittonissa verbo imperans exire præcepit· Discede ergo nunc. discede seductor. Tibi enim heremus sedes est. tibi habitatio serpens est· Humiliare. prosternere. non est iam differendi tempus· Ecce enim dominator Dominus proximat. cito ignis ante ipsum **663 (675)** ardebit. & inflammabit in circuitu inimicos tuos· Si enim hominem fallis. Deum non potes inridere· Ille te eicit cuius oculis nihil occultum est· Ille te expellit. cuius virtuti universa subiecta sunt· Ille te excludit. qui tibi & angelis tuis æternam præparavit gehennam· De cuius ore exiet gladius bis acutus. qui venturus est in Spiritu Sancto iudicare sæculum per ignem· Amen. 1488

CCLXXIV

ITEM AD INFANTEM GRAVIDAL. BAPTIZANDUM.

Oratio super aquam.

Omnipotens sempiterne Deus. Adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis. adesto sacramentis· Et ad creandos novos populos quos tibi fons baptismatis parturit. Spiritum adoptionis emitte· Ut quod humilitatis nostræ gerendum est mynisterio tuæ virtutis impleatur effectu· per. 1489

[*Insuffla in ipsa aqua in modum crucis.*] Insufflo te immundissime spiritus. in nomine D. N. J. C.

Exorcismus aquæ.

[Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis. &] in nomine Ihesu Christi Filii eius. & Spiritus Sancti· Si quod phantasma si qua virtus inimici. si qua incursio diaboli. eradicare. & effugare ab hac creatura aquæ. ut fiat fons aquæ salientis in vitam æternam· Et cum baptizatus fuerit hic famulus Dei. non ei dominetur ulla infirmitas corporis. neque adversetur ei humani generis inimicus. sed dum renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto fiat templum Dei vivi in remissionem peccatorum. in nomine Dei Patris omnipotentis. & in nomine Ihesu Christi Filii eius. qui venturus est in Spiritu Sancto iudicare sæculum per ignem· Amen. 1490

664 (676) *Deinde accipe chrisma fundens illud super ipsam aquam in similitudinem crucis. et misce. et antequam perfundas aquam interroga.* Quid petis? ℟. Volo baptizari.

Interroga nomen eius. et dic. Credis in Deum Patrem omnipotentem. creatorem cæli & terræ? ℟. Credo.

Int. Et in Ihesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum natum & passum? ℟. Credo.

Int. Credis & in Spiritum Sanctum. sanctam ecclesiam catholicam. remissionem peccatorum carnis resurrectionem. vitam æternam? ℟. Credo.

Baptizo te in nomine Patris. & Filii. & Spiritus Sancti. 1491

Hic dic Domine miserere Christe libera nos Salvator libera nos.

Deus omnipotens Pater Domini nostri Ihesu Christi. qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto. quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum. ipse te linit chrismate salutis in Christo Ihesu Domino nostro. in vitam æternam· Amen. 1492

Oratio post baptismum.

Omnipotens æterne Deus. qui regenerasti famulum tuum ill. ex aqua & Spiritu Sancto. quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum. tribue ei continuam sanitatem. ad agnoscendam divinitatis tuæ veritatem· per. 1493

Confirma eum.

Corpus Domini nostri Ihesu Christi sanguine suo tinctum. conservet animam tuam in vitam æternam· Amen. 1494

CCLXXV

ORATIO AD VISITANDUM INFIRMUM.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ. ter quinos ad vitam annos donasti. ita & famulum tuum ill. a lecto egritudinis. tua potentia erigat ad salutem. per Dominum nostrum Ihesum Christum Filium tuum. 1495

Alia.

Respice Domine famulum tuum ill. infirmitate sui corporis laborantem. & animam refove quam creasti· Ut castigationibus emendatus. con- **665 (677)** tinuo se sentiat tua medicina salvatum· per. 1496

CCLXXVI

OR. AD RECONCILIANDUM PÆNITENTEM.

Adesto Domine supplicationibus nostris. & me qui etiam misericordia tua primus indigeo clementer exaudi· Et quem non electione meriti. sed dono gratiæ tuæ constituisti operis huius ministrum. da fiduciam tui muneris exequendi. & ipse in nostro ministerio. quod tuæ pietatis est operare· per. 1497

Alia.

Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo ill. dignum pænitentiæ fructum· Ut ecclesiæ tuæ sanctæ. a cuius integritate deviarat peccando. admissorum reddatur innoxius veniam consequendo· per. 1498

Alia.

Deus humani generis benignissime conditor. & misericordissime reformator. qui hominem invidia diaboli ab æternitate deiectum Filii tui sanguine redemisti. vivifica hunc famulum tuum ill. quem tibi nullatenus mori desideras· Et qui non derelinquis devium assume correctum· Moveant pietatem tuam quæsumus Domine huius famuli tui lacrimosa suspiria· Tu eius medere vulneribus. tu iacenti manum porrige salutarem ne ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur. ne grex tuus detrimentum sustineat. ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet. ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat· Tibi ergo Domine supplices preces. tibi fletum cordis effundimus. tu parce confitenti· Ut sic in hac mortalitate peccata sua té adiuvante defleat. qualiter in tremendi iudicii die. **666 (678)** sententiam æterne damnationis evadat. & nesciat quod terret in tenebris. quod stridet in flammis. atque ab erroris via ad íter reversus iustitiæ. nequaquam ultra verberibus saucietur. sed integrum sit ei atque perpetuum. & quod gratia tua contulit. & quod misericordia reformavit· per eundem. 1499

CCLXXVII

ITEM RECONCILIATIO PÆNITENTIS AD MORTEM.

Deus misericors. Deus clemens. qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pænitentium deles. & præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas. respice super hunc famulum tuum ill. & remissionem sibi omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem. deprecatus exaudi· Renova in eo piissime Pater quicquid terrena fragilitate corruptum. vel quicquid diabolica fraude violatum est. & in unitate corporis ecclesiæ tuæ membrorum perfecta remissione restitue· Miserere Domine gemituum. miserere lacrimarum. & non habentem fiduciam nisi in tua misericordia. ad sacramentum reconciliationis admitte· per. 1500

Alia.

Maiestatem tuam Domine supplices deprecamur. ut huic famulo tuo ill. longo squalore pænitentiæ macerato. miserationis tuæ veniam largiri digneris· Ut nuptiali veste recepta ad regalem mensam unde eiectus fuerat mereatur introire· per. 1501

CCLXXVIII

OR. IN AGENDA MORTUORUM CUM ANIMA DE CORPORE EGREDIETUR.

Pio recordationis affectu fratres karissimi commemorationem facimus cari nostri ill. quem Dominus de temptationibus huius sæculi assumpsit. **667 (679)** obsecrantes misericordiam Dei nostri. ut ipse ei tribuere dignetur placitam & quietam mansionem. & remittat omnes lubricæ temeritatis offensas· Ut concessa venia plenæ indulgentiæ. quicquid in hoc sæculo proprio reatu deliquit totum ineffabili pietate ac benignitate sua deleat. & abstergat. quod ipse præstare. 1502

Alia.

Deus cui omnia vivunt. & cui non pereunt moriendo corpora nostra. sed mutantur in melius.

te supplices deprecamur. ut suscipi iubeas animam famuli tui ill. per manus sanctorum angelorum tuorum deducendam in sinum amici tui Abrahæ patriarchæ. resuscitandamque in novissimo magni iudicii die· Et quicquid vitiorum fallente diabolo contraxit. tu pius & misericors ablue indulgendo. 1503

Alia.

Suscipe Domine animam servi tui ill. quam de ergastulo huius sæculi dignatus es assumere. & libera eam de principibus tenebrarum. & de locis pœnarum· Ut absoluta omnium vinculo peccatorum. quietis ác lucis æterne beatitudine perfruatur. & inter sanctos & electos tuos· in resurrectionis gloria resuscitari mereatur· per. 1504

Alia.

Fác quæsumus Domine hanc cum servo tuo misericordiam. ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem. qui tuam in nobis tenuit voluntatem· Ut sicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis. ita eum illic tua miseratio societ angelicis choris· per. 1505

Alia.

Annue nobis Domine. ut anima famuli tui il. remissionem quam semper optavit mereatur percipere peccatorum· per. 1506

668 (680) OR. POST LAVATIONEM CORPORIS.

Deus vitæ dator. & humanorum corporum reparator. qui te a peccatoribus exorari voluisti· exaudi preces. quas speciali devotione pro anima famuli tui ill. tibi lacrimabiliter fundimus. ut liberare eam ab infernorum cruciatibus. & collocare inter agmina sanctorum tuorum digneris· Veste quoque cælesti. & stola immortalitatis indui. & paradisi amœnitate confoveri iubeas· per. 1507

Alia.

Deus qui human[ar]um animarum æternus amator es animam famuli tui. quam vera dum in corpore maneret tenuit fides. ab omni cruciatu inferorum redde extorrem· Ut segregata in infernalibus claustris. sanctorum mereatur adunari consortiis· per. 1508

ANTE SEPULCRUM PRIUSQUAM SEPELIATUR.

Obsecramus misericordiam tuam æterne omnipotens Deus. qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus és. ut spiritum & animam famuli tui ill. quem hodierna die rebus humanis eximi. & ad te accersiri iussisti. blande & misericorditer suscipias· Non ei dominentur umbre mortis. nec tegat eum chaos. & caligo tenebrarum. sed exutus omnium criminum labe. in sinu Abrahæ patriarchæ collocatus. locum lucis & refrigerii se adeptum esse gaudeat· Et cum dies iudicii advenerit. cum sanctis & electis tuis eum resuscitari iubeas· per. 1509

Alia.

Deus apud quem mortuorum spiritus vivunt. & in quo electorum animæ deposito carnis onere plena felicitate letantur. præsta supplicantibus nobis. ut anima famuli tui il. quæ temporali per corpus visionis huius luminis caruit. visu æternæ illius lucis solatio· potiatur * **669 (681)** . . . (1).

. . . .

Deus qui iustis supplicantibus semper presto es. quia vota dignaris intueri dá famulo tuo ill. cuius depositione hodie officia humanitatis exhibemus. cum sanctis atque fidelibus tuis beati muneris portionem· per. 1512

Alia.

Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes. Deum cui omnia vivunt fideliter deprecemur. ut hoc corpus cari

(1) Intercisum est, injuria quadam, folium numeris 680 & 681 signatum. Nihil tamen eapropter reliquum esse nisi locum ambigendi quinam videlicet textus utrobique supplendi sint, incitatius pronuntiare noli. Collatis nimirum variis ordinibus sepulturæ, quibus forte Bergomensis noster proxime accederet, occurrit apud Martene (*De Antiq. Eccles. ritib.*, lib. III, cap. xv, col. 1070) Codex Floriacensis, nunc Aurelianensis nº 105 signatus, cuius eo loci cum nostro consuetudinem nemo non perspiciet ex schemate subjecto :

Codex Bergomensis		Codex Floriacensis	
1. Obsecramus	1509	1. Obsecramus	1509
2. Deus apud quem	1510	2. Deus apud quem	1510
(membranæ decisa pars in qua nonnisi quinque circiter & decem versus exarari potuerunt.)		3. Oremus fratres carissimi	1511
4. Deus qui justis... portionem	1512	4. Deus qui justis... portionem	1512

Unde nemini nimis conjecturis indulgere videbimur si, quandoquidem quidvis ejusmodi consuetudinis nullibi suppetit ex editis missalibus, floriacensem textum, bergomensis evanidi vice, describimus, ad vacuam intercisi folii partem verosimilius reficiendam, anteriori saltem facie. Posterior namque facies quomodo satius supplenda sit, in præsentia non constat :

Deus apud quem mortuorum spiritus (*ut supra*)... potiatur. * non eum mortis tormentum attingat ; non dolor horrendæ visionis adficiat ; non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima catena constringat, sed, concessa sibi venia delictorum omnium, optatæ quietis consequatur gaudia repromissa. 1510

Item oratio.

Oremus fratres carissimi, pro spiritu cari nostri ill. quem Dominus de laqueo huius sæculi liberare dignatus est, cujus corpusculum hodie sepulturæ traditur, ut eum pietas Domini in sinu Abrahæ, Isaac, & Jacob, collocare dignetur ; ut cum dies judicii advenerit, inter sanctos & electos suos eum in parte dextera collocandum resuscitari faciat, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo in unitate Spiritus Sancti, vivit & regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen. 1511

nostri ill. a nobis in infirmitate sepultum. in ordine sanctorum suorum resuscitet. & eius spiritum sanctis ác fidelibus aggregari iubeat. cum quibus inenarrabili gloria & perenni felicitate perfrui mereatur· Præstante Domino nostro Ihesu Christo qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. 1513

Alia.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui ill. ut defunctus sæculo. tibi vivat· Et si qua per fragilitatem mundanæ conversationis peccata admisit. tua venia misericordissimæ **670 (682)** [pietatis absterge. Per Dominum.] 1514

. . . .

CCLXXIX

AD CLERICUM FACIENDUM.

Oremus dilectissimi fratres Dominum nostrum Ihesum Christum. pro hoc famulo suo ill. qui ad deponendam comam capitis sui pro amore Christi festinat. ut donet Spiritum Sanctum. qui habitum religionis in eo perpetuum conservet. & a mundi impedimento. vel sæculari desiderio. eius cor custodiat· Ut sicut mutatus erit in vultu. ita manus dexteræ suæ in eum virtutem profectionis boni operis tribuat in actu. & ab omni cecitate spiritales oculos aperiat. ác lumen æternitatis gratiam concedat· qui vivit & regnat cum Patre. 1515

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus. propitiare peccatis nostris· & ab omni servitute secularis habitus hunc famulum tuum ill. dum comam capitis deponit. clementer emunda· Tua semper perfruatur gratia· Et sicut similitudine coronæ. tui ornatus gestare eum fecimus in capite sic tuam virtutem & hereditatem subsequi **671 (683)** mereatur in corde· per. 1516

Postquam tonsus fuerit seq. oratio.

Præsta omnipotens Deus. ut famulus tuus ill. cuius hodie capitis comam pro divino amore deposuimus. in tua dilectione perpetuo maneat. & sine macula in sempiternum custodiri mereatur· per. 1517

CCLXXX

AD BARBAM INCIDENDAM.

Omnipotens sempiterne Deus. benedic hunc famulum tuum ill. qui tibi primitias suæ offert iuventutis· Effunde Domine benedictionem tuam in caput. barbamque eius transeat. sicut in barbam Aaron· Ut in eadem benedictione in via mandatorum tuorum ambulet. & cum eadem ad summam senectutem perveniat· per. 1518

CCLXXXI

OR. AD VESTEM RELIGIONIS MUTANDAM.*

Domine Deus omnipotens qui tibi famulantibus. salutarem auditum clementer ostendis. concede huic famulæ tuæ. quæ se religionis vestem induit. vitam religionis servare· Ut tua protectione defensa. virginitatis palmam obtineat. & cum prudentibus virginibus. æternam suscipiat claritatem· per. 1519

CCLXXXII

AD PATENAM CONSECRANDAM.

Consecramus & sanctificamur hanc patenam. ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Ihesu Christi patientis crucem. pro salute nostra omnium. qui cum Patre & Spiritu Sancto. 1520

Faciendum signum crucis de oleo sancto super eam et dicend. hanc orationem.

Consecrare. & sanctificare digneris Domine patenam hanc. per istam unctionem. & nostram benedictionem. in Christo Ihesu Domino nostro. Qui tecum vivit. 1521

CCLXXXIII

IT. AD CALICEM BENEDICENDUM.

672 (684) Oremus dilectissimi fratres. ut Dominus Deus noster calicem suum in ministerio consecrandum. cælesti gratiæ inspiratione sanctificet. & ad humanam benedictionem. plenitudinem divini favoris accomodet· per. 1522

Alia.

Dignare Domine calicem istum in usum ministerii tui pia famuli tui devotione formatum. ea sanctificatione perfundere. qua Melchisedech famuli tui sacratum calicem perfudisti· Et quod arte vel metallo officii non potest altaribus tuis digne fiat tua benedictione pretiosum· per. 1523

CCLXXXIV

BENEDICTIO INCENSI.

Domine Deus omnipotens. cui adstat exercitus angelorum cum tremore quorum servitus in ventum & ignem convertitur. dignare respicere ✠ Et benedicere hanc creaturam incensi. ut omnes· langorum insidiæ odorem ipsius sentientes effugiant. & separentur a plasma tua. quam pretioso sanguine redemisti. ut numquam lædatur a morsu antiqui serpentis· per. 1524

CCLXXXV

AD FRUGES NOVAS.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus. qui cælum & terram mare & omnia creasti. te supplices quæsumus. ut hunc fructum novum benedicere ✠ & sanctificare digneris. & multiplicare abundanter offerentibus tibi· Et repleas eorum cellaria. cum fortitudine frumenti & vini. ut lætantes in eis. referant tibi laudes & gratias. per. 1525

CCLXXXVI

BENEDICTIO UVÆ

Benedic Domine hunc fructum novum uvæ. quem tu Domine per rorem cæli. & inundantiam pluviarum **673 (685)** & tempora serena atque tranquilla ad maturitatem perducere dignatus és ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini nostri Ihesu Christi. cum quo beatus vivis. 1526

CCLXXXVII

BENEDICTIO VINI.

Domine omnipotens Christe qui ex quinque panibus & duobus piscibus milia hominum satiasti. & in Chana Galileæ ex aqua vinum fecisti· Qui es vitis vera. multiplica super servos tuos misericordiam pietatis tuæ. quemadmodum fecisti cum patribus nostris in tua misericordia sperantibus· Benedicere & sanctificare digneris hanc creaturam vini. quam ad substantiam servorum tuorum tribuisti· Ut ubicumque ex hác creatura fusum fuerit. vel a quolibet potatum. divinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur. ut accipientibus ex ea cum gratiarum actione sanctificetur in visceribus eorum· per. 1527

CCLXXXVIII

BENEDICTIO PANIS.

Benedic Domine creaturam istam panis. sicut benedixisti quinque panes in deserto. ut omnes gustantes ex eo accipiant tam corporis quam animæ sanitatem· qui vivis. 1528

CCLXXXIX

AD OMNIA QUÆ VOLUERIS.

Benedic Domine creaturam istam. ut sit remedium salutare generi humano· & præsta per invocationem nominis tui ut quicumque ex ea sumpserit. corporis sanitatem & animæ tutelam percipiat· per. 1529

CCXC

BENEDICTIO FONTIS UBI ALIQUID CECIDERIT.

Deus qui ad hoc in Iordanis alveum sanctificaturus aquas descendisti. ut a te potius mundiciam caperent quam mundarent· Da tactum sacri corporis quod sanctificasti per lavacrum has **674 (686)** aquas influente gratia Spiritus Sancti digneris ad munditiam revocare per donum. quam in Cana Galilæe initiorum tuorum ostenso virtutis tuæ misterio aquas mutare in vinum dignatus es· Et sicut Heliseus animas orando sanavit in laticis aqua. ita ad preces fidelium tuorum clementer abstergas ab his aquis pollutionis originem· per. 1530

CCXCI

OR. SUPER PENITENTEM.

Da nobis Domine ut sicut publicani precibus & confessione placatus es. ita & huic famulo tuo ill. placare Domine & precibus eius benignus aspira· Ut in confessione flebili permanens & petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret. sanctis [que] altaribus & sacramentis restitutus. rursus cælesti gloriæ mancipetur· per. 1531

CCXCII

OR. IN DOMO.

Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus· & mittere dignare angelum tuum sanctum de cælis qui custodiat. foveat. protegat. visitet & defendat omnes inhabitantes in hoc [h]abitaculo famuli tui ill· & præsta quæsumus ut sanctificatio sit domui huic. noster introitus· Dona cunctis intra eius ambitum constitutis. divinarum beatitudinum largitatem· Dominis ác familiæ. gubernaculum. ad custodiendam obœdientiam inreprehensibilem disciplinam· Infantibus. bonæ indolis gratiam· Adultis. immaculatam adulescentiam· Senibus. sanctam seriem conversationis· Ætatem omnibus longam. ác sibi placitam senectutem· Et ita patrocinantibus **675 (687)** sanctis. perennem domui huic beatitudinem præsta. ut iugis super eam angelicæ protectionis custodia perseveret· per. 1532

Alia.

Benedic Domine Deus omnipotens locum istum. ut sit in eo sanitas. sanctitas. & castitas. virtus. victoria. & sanctimonia. & bonitas. mansuetudo. lenitas. plenitudo legis. & obœdientia Deo Patri & Filio & Spiritui Sancto· Hæc sit semper benedictio super hunc locum. & super omnes habitantes in eo· per eundem. 1533

Alia.

Adesto Domine supplicationibus nostris. & hanc domum serenis oculis tuæ pietatis inlustra· Descendat super habitantes in ea. gratiæ tuæ larga benedictio· Ut in his manufactis cum salubritate manentibus. ipsi tuum semper sint habitaculum· per. 1534

CCXCIII

OR. IN CELLARIO.

IN VIGILIIS NATAL. DOMINI.

Gratias nomini tuo referimus omnipotens & misericors Pater. quia per unigenitum Filium tuum. mundi nos tenebris constitutos. visere es dignatus· Qui cum sit Dominus maiestatis. servi formam suscipere non abhorrens angusto sed claudens in utero. partu inluxit virgineo. & homo factus. humanum genus diaboli a servitute redemit· Ideoque petimus clementiam tuam. ut

cunctis a nobis Satane suggestionis depulsis inlecebris claritate huius luminis nostra inlustrare corda digneris. & horrendæ noctis dempta caligine. lucis tuæ semitam rectis gressibus tribuas properare. atque tantæ festivitatis exultantes tripudio. intra hæc claustra convenientes **676 (688)** & affluenti copia. & munere concedas gratulari ætherio· per. 1535

IN VIGILIIS EPYPHANINE.

Gratias tibi omnipotens deferimus Pater. qui & nativitatis unigeniti Filii tui lumine mundum inluminare dignaris. & mirabilium celeritate torpentia corda. ad agnitionem tuæ virtutis excitare· Cuius micantem stellam magi [ad] adorandum properantes secuti sunt· Qui a Iohanne nostre mundans contagia vitæ. baptizari dignatus est in Iordane. & mirabilium suorum principio aquas mutavit in vinum· Per quem universa condita. per quem sunt omnia reparata· Per quem misericordiam petimus tuam. ut eius Epyphaniæ annua ovantes lætitia. hæc intra claustra conveniendo incolumes. & abundantiæ ubertate. & sobriis mentibus de tuo munere gloriemur· per eumdem. 1536

CCXCIV

SUPER AGNUM IN PASCHA.

Deus universæ carnis. qui Noe & filiis suis. de mundis & inmundis animalibus precepta dedisti. quique sicut holera erbarum humano generi quadrupedia mundi edere permisisti. qui agnum in Ægypto Moysi & populo tuo in vigiliis Paschæ comedere præcepisti. in figura Agni Domini nostri Ihesu Christi. cuius sanguine omnia primogenita tibi de mundo redemisti. & in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere præcepisti. servans populum tuum prænotatum agni sanguine **677 (615)** Domine· ✠ Benedicere. benedicere has ovium mundarum carnes. ut quicumque ex populis tuis fidelibus ex eis commederit. omni benedictione cælesti & gratia repleatur· per Dominum. 1537

CCXCV

INCIPIUNT OR. MATUTINALES.
DIE DOMINICO.

In Cantemus.

Deus qui populum tuum ex Ægypto tenebrarum duris operibus adgravatum. Moyse famulo tuo duce liberare dignatus és. & nos famulos tuos de huius sæculi caligine liberatos. promissam patribus requiem introire permittas· per. 1538

In Benedicite.

Deus qui tribus pueris in camino positis. quartus adesse dignatus es. cui facillimum est ignium temperare naturas. & extinguere flammarum impetus. eandem Domine ad protegendas & liberandas animas nostras. extende virtutem tuam· qui. 1539

In Laudate.

Deus lux vera credentium. Deus gloria sempiterna iustorum. cuius lumen non occidit. cuius claritas terminum nescit. da nobis in gloria tua vivere. & ad lumen tuæ æternitatis intrare· Ut quos post hanc noctem lucem fecisti cernere. ad beatum illum. ac sempiternum diem iubeas pervenire· per. 1540

Alia.

Gratias tibi agimus omnipotens Deus. qui ante requievimus in sopore. & ad te resurreximus post quietem· Vigilet in nobis gratia tua. redeat spiritalis infusio sensibus excitatis. totosque nos splendor tuæ claritatis illustret· Ut qui ad lucem tendimus. lucis tuæ semitam consequi mereamur. 1541

Alia.

Excelsum nomen maiestatis tuæ omnipotens Deus ex toto **678 (616)** corde veneramur. & debita laude prosequimur. obsecrantes ut nostræ pusillitatis obsequio matutino dignanter accepto. solita nos pietate prosequaris & foveas· per. 1542

In Baptisterio.

Vide quæsumus Domine infirmitates nostras. & celeri nobis tua pietate succurre· per Christum. 1543

Alia.

Ad aures clementiæ tuæ Deus vox nostræ supplicationis ascendat & tua nos misericordia prosequatur· per Christum. 1544

CCXCVI

FERIA II.

In Lmo (*i. e. in quinquagesimo psalmo* : Miserere.)

Miserere nobis omnipotens Deus. & lucem tuam nobis concede perpetuam· per. 1545

In Laudate.

Deus auctor lucis. claritatis inventor. inlumina quæsumus nostrarum tenebras animarum. nosque famulos tuos matutina benedictione confirma· per. 1546

Alia.

Matutinas preces famulatus nostri quæsumus Domine propitius exaudire digneris· Ut cupientibus ad te pervenire. indulgentiæ tuæ nobis ianua patefiat· per. 1547

Alia.

Deus qui matutino tempore lumen effundis vestigia nostra pie custodi· Ut bonis actibus ambulando fides sanctitatis in nobis semper eluceat· per. 1548

In Baptisterio.

A cunctis iniquitatibus nostris exue nos Domine. & in tua fac pace semper gaudere· per Christum. 1549

Alia.

Porrige nobis Deus dexteram tuam. & auxilium nobis supernæ virtutis impende· per Christum. 1550

CCXCVII

FERIA III.

In Lmo.

Tua nos Domine quæ lux est veritas sancta faciat conversatio- **679 (625)** ne fulgere· qui vivit & regnat. 1551

In Laudate.

Deus cuius imperio ad te diluculo vigilamus. præsta quæsumus famulis tuis. ut impollutis semper tibi gressibus præsentemur· per. 1552

Alia.

Candidum & serenum cordibus nostris veritatis tuæ lumen infunde omnipotens Deus· Ut peccati tenebras nesciamus. qui te æternum lumen scire meruimus & timere· per. 1553

Alia.

Exaudi nos Deus salutaris noster. & omnes pravas cupiditates. a consensu nostræ mentis exclude· Ut qui te verum lumen agnovimus. nullis sæculi laqueis implicemur· per. 1554

In Baptisterio.

Ut tuam Domine misericordiam consequi mereamur. fac nos tibi toto corde semper esse devotos· per Christum. 1555

Alia.

Concede quæsumus Domine nos studia perversa deponere & sancta semper amare· per Christum. 1556

CCXCVIII

FERIA IIII.

In Lmo.

Tuæ Domine nobiscum virtutis dextera committetur. & ab omni nos reatu nostri cordis absolvat· per. 1557

In Laudate.

Deus a quo bona cuncta procedunt. largire nobis ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt. & eadem semper te gubernante faciamus· per. 1558

Alia.

Domine Deus noster cuius regnum æternitate diffunditur sæculorum. tuo nos quæsumus decore inlumina & virtute confirma· per. 1559

Alia.

Dona tua sunt Domine quod quievimus. muneris tui est quod ad te diluculo vigilamus· Da desiderabilem fontem lucis post ardorem noctis. ut a rore cælesti gutta perfusi. tota die desideriis cælestibus foveamur· per. 1560

In Baptisterio.

680 (626) Ad conditionem quæsumus Domine nostræ fragilitatis attende· Et quia sine te subsistere non valemus. potenti pietate succurre· per. 1561

Alia.

Tua nos Domine protectione defende. & ab omni semper iniquitate custodi· per Dominum. 1562

CCXCIX

FERIA V.

In Lmo.

Miserere nobis omnipotens Deus. secundum tuæ misericordiam pietatis· Ut magna calamitas delictorum. magnæ miserationis relevetur auxilio· per. 1563

In Laudate.

Deus qui tenebras ignorantiæ Verbi tui luce depellis. auge in cordibus supplicum. virtutem fidei quam dedisti· Ut ignis quem gratia tua fecit accendi. nullis temptationibus possit extingui· per Dominum. 1564

Alia.

Laudet te Domine ós nostrum. laudet & vita· Ut dum tibi in utroque inclinamur obsequio. mens nostra splendoris tui radios relucescat· 1565

Alia.

Domine Deus misericors. matutinas preces nostras propitiatus intuere. & supplicibus tuis cælestia beneficia prestare dignare· Ut insidias inimici. te auxiliante vitemus· per. 1566

In Baptisterio.

Clamantes ad te Deus dignanter exaudi. ut nos de profundo iniquitatis eripias· per Christum. 1567

Alia.

Protector noster aspice Deus. & tibi nos iugiter servire concede· per Christum· 1568

CCC

FERIA VI.

In Lmo.

Exurge Domine fer opem nobis & diabolicas a nobis semper repelle nequitias· per. 1569

In Laudate.

Omnipotens sempiterne Deus. cui sine fine potestas est miserendi. qui humanum genus regis· & ut convertatur expectas· te supplices rogamus & petimus. ut oblitus præteritorum. **681 (619)** malorum nostrorum. matutinas preces nostras ad aures tuæ pietatis admittas· per. 1570

Alia.

Gratias tibi agimus omnipotens Deus. quod præteritæ noctis tenebris absolutos. claritate nos lucis inlustras· Itaque supplices deprecamur. ut mentis puritate servata. sine labe corporis diei nos occasus inveniat· per Dominum. 1571

Alia.

Exaudi nos Domine bonæ lucis indultor. & corda nostra respectu tuæ claritatis inlumina. Ut in illo [in nullo] hæc dies tenebrarum operet [opere] maculetur. sed te sequamur in cunctis actibus ducem. & voluntas nostra in omnibus tuæ serviat unitati· per. 1572

In Baptisterio.

Tua nos Domine gratia benedicat. & ad vitam perducat æternam· per 1573

Alia.

Esto nobis Domine auxiliator & rector ut viam tuam rectis mentibus ambulemus· per Christum. 1574

CCCI

DIE SABBATI.

In Confitemini.

Protege nos Deus salutaris noster. & circumda misericors remediis præsentibus & futuris· per. 1575

In Laudate.

Deus qui & lucem nobis tribuis temporalem. & polliceris æternam: da ut totam hanc diem prosperam actuum successione ducamus· Ut qui ad ducem [quia ducem] te novimus. quæ sunt recta te auxiliante consequi mereamur· per. 1576

Alia.

Deus qui diem discernis a nocte. actus nostros a tenebrarum distingue caligine· Ut semper quæ sancta sunt meditantes. in tua iugiter luce vivamus· per. 1577

Alia.

Omnipotens sempiterne Deus. cuius imperio dies oritur. & splendore lucis mundus ornatur. suscipe propitius orationem **682 (620)** nostram. tuumque nobis lumen ostende· Ut viam tui salutaris ingressi. te ducem sequamur & principem· per. 1578

In Baptisterio.

Iniquitates nostras ne respicias Deus. sed sola nos tua misericordia consequatur. 1579

Alia.

Respice in nos omnipotens Deus. & preces nostras miseratus exaudi. 1580

CCCII

OR. AD HORAM PRIMAM.

Domine Deus omnipotens. qui nos in hanc horam incolumes pervenire fecisti. conserva nos hodie per omnium horarum spatia. & momenta temporum. & tua gratia fac semper permanere inlæsos· per. 1581

CCCIII

AD TERTIAM.

Deus Pater omnipotens gloriam maiestatis tuæ suppliciter exoramus. ut sicut tertia hora apostolos Filii tui. visitatione Sancti Spiritus confirmasti. ita corda nostra eo adveniente inluminare. & custodire digneris· per eundem Dominum nostrum. in unitate. 1582

CCCIV

AD SEXTAM.

Sanctum & terribile nomen tuum omnipotens Deus humiliter deprecamur. qui hora diei sexta gloriosissimum Filium tuum Dominum nostrum crucem ascendere voluisti ut nos a potestate hostis nequissimi liberares· Præsta quæsumus ut eius cruce redempti. tibi Domino iugiter sine offensione omni tempore serviamus· per eundem. 1583

CCCV

AD NONAM.

Domine Ihesu Christe. qui hora nona in crucis patibulo confitentem latronem infra mœnia paradisi transire iussisti. te supplices deprecamur. ut paradisi portas nos facias introire gaudentes· qui vivis. 1584

CCCVI

INCIPIUNT ORATIONES VESPERTINALES COTIDIANÆ.

DIE DOMINICO.

Respice Domine de excelsa sede maiestatis tuæ. & tenebras noctis horrendæ. radio tui splendoris inlumina· **683 (617)** Absterge a singulorum sensibus inertem diffidentiæ somnum. & a filiis lucis remove nequitias tenebrarum· per. 1585

Alia.

Deus qui operatus es salutem in medio terræ. a quo tenebræ non obscurabuntur. & nox sicut dies inluminabitur. Inlumina quæsumus tenebras nostras· Ut tranquillam & quietam noctem deducentes. matutinis horis in tuis laudibus consurgamus· per. 1586

Alia.

Respice in nobis omnipotens Deus. qui omni hora omnique in tempore tuis presto es· Sanctifica vespertinum hoc ecclesiæ tibi supplicantis officium· Ut misericordiæ tuæ dono. quod nos vespertina poscimus prece. omnes nobiscum infirmi nostri nocturnam sentiant sanitatem· per. 1587

Alia.

Fortitudo fidelium Deus. vita & resurrectio mortuorum. præbe tuis fidelibus firmitatem. & restitue nobis dona salutis· per. 1588

In Baptisterio.

Exaudi nos misericors Deus. & mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende· per Christum. 1589

Alia.

Os nostrum Domine gaudio repleatur. & in tua misericordia semper exultet· per Christum. 1590

CCCVII

FER. II.

Clementiam tuam supplices exoramus omnipotens Deus. ut sicut vespertinas tibi fundimus preces. ita nos dies futura lætos excipiat· per. 1591

Alia.

Exaudi nos Deus recedente die. accedente nocte· Ut puris precibus & vocibus castis. te in aurora adorare possimus· per. 1592

In Baptisterio.

Tua nos Domine veritas semper inluminet. & ab omni pravitate defendat· per Christum. 1593

Alia.

Ut cunctis nos Domine foveas adiumentis. tuis apta propitius **684 (618)** disciplinis. per Christum. 1594

CCCVIII

FERIA III.

Transacto diei cursu. gratias nomini tuo referimus omnipotens Deus· Quæsumus misericordiam tuam. ut quæcumque in hac die per fragilitatem carnis contraximus. veniam nobis largiri digneris· per. 1595

Alia.

Adesto nobis misericors Deus. & die nocteque nos protege· Ut quibuslibet alternationibus temporum fatigati tua semper incommutabilitate firmemur· per. 1596

In Baptisterio.

Ab omnibus nos quæsumus Domine peccatis propitiatus absolve· Ut percepta venia peccatorum. liberis tibi mentibus serviamus· per Christum. 1597

Alia.

Iniquitates nostras ne despicias Deus. sed sola tua misericordia prosit indignis· per Christum. 1598

CCCIX

FERIA IIII.

Vespertinum incensum nostrum quæsumus Domine clementer intende· Ut ignitum eloquium tuum. credentium corda clarificet· per. 1599

Alia.

Deus qui nos ad hoc opus vespertinum perducere dignatus és. tribue quæsumus ut discussa caligine tenebrarum. ad matutinam laudem resurgamus incolumes· per. 1600

In Baptisterio.

Familiam tuam quæsumus Domine cælesti protectione circumda· Ut te parcente sit libera. te custodiente a malis omnibus sit secura· per Christum. 1601

Alia.

Fac nos quæsumus Domine Deus noster in tua devotione gaudere. quia perpetua est & plena felicitas. si bonorum omnium tibi serviamus auctori· per Christum. 1602

CCCX

FERIA V.

Vespertinis orationibus te deprecamur omnipotens Deus. ut peccata nostra placatus avertas. & quicquid pro delictis nostris meremur **685 (623)** miseratus absolvas· per. 1603

[*Alia.*]

Deus qui ad quietem laboris humani generis operum tuorum velamen extendis. exaudi supplices tuos. & sine offensione matutinis laudibus repræsenta· per. 1604

In Baptisterio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus. ut liberis tibi mentibus serviamus· per Christum. 1605

Alia.

Concede nobis quæsumus Domine veniam peccatorum nostrorum· Ut quod meritis non præsumimus. indulgentiæ tuæ celeri largitate percipiamus· per Christum. 1606

CCCXI

FERIA VI.

Gratias tibi agimus omnipotens Deus. quod declinante iam die nos vespertinis luminis claritate circumdas· Petimus clementiam tuam. ut sicut nos huius luminis claritate circumvallas. ita Sancti Spiritus tui luce. corda nostra inluminare digneris· per. in. 1607

Alia.

Opitulare Deus in opibus. & paternum destitutis præbe solacium· Ut qui privamur humanis divinis præsidiis adiuvemur· per· 1608

In Baptisterio.

Fac nos quæsumus Domine mala nostra toto corde respuere. ut bona tua capere valeamus· per Christum. 1609

Alia.

Redemptor noster aspice Deus. & tibi nos iugiter servire concede· qui vivis. 1610

CCCXII

DIE SABBATI.

Deus qui super omnia mutabilia incommutabilis permanes. da vigorem cordibus nostris· Ut

omni nos ignorantiæ caligine liberatos. in veritatis tuæ luce constituas· per. 1611

Alia.

Lumen tuum Domine magnum ác sempiternum est· Ideoque misericordiam tuam petimus. quam opere non meremur. ut oratio captiva peccatis. quæ inimico impediente fuscatur. **686 (624)** vultus tui candore purgetur· per. 1612

Alia.

Vespere mane & meridie maiestatem tuam supplices exoramus omnipotens Deus· Ut expulsis peccatorum tenebris. ad veram lucem quæ Christus est nos iubeas pervenire· per Christum. 1613

Alia.

Respice in nos. omnipotens & misericors Deus. & ab omnibus tribulationibus propitiatus absolve· per Christum. 1614

CCCXIII

ITEM DIE DOMINICO.

Inlumina Domine lucernam corporis nostri. & nos peccati nocte fuscatos. Sancti Spiritus tui igne sanctifica· Ut in fine diei huius supervenienbus tenebris. dum religiosi officiis insistimus perpetui luminis claritatem de tua æternitate capiamus· per Dominum. in unitate. 1615

Alia.

Decurso diei spatio. & in vespertina prona vergente. orationis vota solvamus. ut Deus a nobis tenebras vitæ mortalis abstergat. & lumen perpetuæ salutis infundat· per Dominum. 1616

Alia.

Oramus te Domine Deus. ut ecclesia tua dum temporali lumine in tuo honore utitur. æterno lumine gratiæ tuæ remuneratione perfrui mereatur· per. 1617

Alia.

Misericordiæ tuæ quæsumus Domine in nobis dona confirma· Ut quos fessos nos accipit post laborem. redeunte die renovet opere tuæ virtutis & luminis· per. 1618

Alia.

Diei labore transacto. te qui perpetuum lumen és Domine deprecamur. ut quamvis in vicem temporum constitutus a sæculis noctis ordo succedat. ad requiem nobis tamen sola divini operis tui lux sempiterna permaneat· per. 1619

Alia.

Deus sæculorum conditor. temporum distributor. noctium dierumque **687 (621)** moderator. te supplices deprecamur ut sicut pondus diei te iuvante usque ad vesperam portavimus. ita noctis adventum sub alarum tuarum tegmine transeamus· per. 1620

Accedunt jam, — nec manu semper eadem scripta forsitan, — ad finem usque Codicis Bergomensis, appendicula quæ cum ad collectionem ambrosianorum monumentorum aliqua ratione pertineant, hic etiam describere supervacaneum nemini videbitur.

CCCXIV

OR. AD AQUAM CALIDAM VEL FERRUM BENEDICEND.

Deus iudex iustus fortis & patiens. qui es auctor pacis. & iudicas æquitatem. qui respicis super terram & facis eam tremere. tu Deus omnipotens qui per adventum unigeniti Filii tui Domini nostri Ihesu Christi mundum salvasti. & per sanctissimam eius passionem genus humanum redemisti· ✠ Sanctifica hanc aquam vel hoc ferrum. qui tres pueros de camino ignis accenso salvare dignatus es. & Susannam de falso crimine liberare· Tu clementissime Dominator præsta quæsumus ut si hic innocens est de hac criminis suspicione cum [in] hanc aquam manum miserit. salvam & inlesam tua virtute reducat· Et si de hac causa culpabilis est & incrassante diabolo cor induratum habuerit. & manum submittere præsumpserit. tu iustissime Pater sic declarare digneris in corpore eius maculam iniquitatis suæ. ut per iustissimam corporis exustionem. tuum æquum manifestetur iudicium & eo toto ad te corde converso anima eius per pænitentiam salvetur· Nam si per aliquid maleficium aut per herbas peccatum suum tegere voluerit. tua dextera hoc evacuetur· per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Ihesum Christum qui tecum. 1621

CCCXV

688 (622) ORATIO ANTE ALTARE.

Deus omnipotens miserere ác propitius esto mihi peccatori. quia non sum sicut innumeri servi tui. contemptu sæculi sublimes. iustitiæ merito gloriosi. castitatis laude angelici. & sicut innumeri eorum qui post publica flagitia pœnitendo tibi meruerunt esse devoti· Et si quid boni tua gratia largiente fecero quo fine illud faciam quave a te districtione pensetur ignoro· Et ideo suppliciter misericordiam tuam deprecor clementissime Pater. ut quod meritis obtinere non valeo. tua gratuita bonitate me a cunctis peccatorum meorum sordibus emundes. gratiamque Sancti Spiritus infundens. dona tua. quæ inmerito contulisti conservare. & ea quæ mihi desunt iugiter digneris augere· Quatenus me dignum tuis altaribus ministrum efficias. atque officium sacerdotale. quod indigne celebrare præsummo. tibi semper acceptabiliter solvere concedas· sacrificium quoque meis manibus licet inmundis. ad laudem tamen & honorem tui nominis oblatum. dignanter accipias· per Ihesum. 1622

Alia.

Rogo te altissime Deus sabaoth. Pater Sancte. ut me tunica castitatis digneris accingere. & meos lumbos balteo tui timoris ambire. renes cordis mei tuæ caritatis igni urere. ut pro peccatis meis possim intercedere. & astantibus veniam peccatorum . . . . (1). 1623

CCCXVI

[MISSA IN CŒMETERIO.]

689 (692) Deus cuius miseratione anime fidelium requiescunt famulis famulabusque tuis vel omnibus hic in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum ut a cunctis reatibus absoluti sine fine letentur· per. 1630

[*Super Sindonem.*]

Omnipotens sempiterne Deus annue precibus nostris & que poscimus & dona omnibus quorum corpora hic requiescunt refrigerii sedem quietis beatitudinem luminis claritatem Ut qui peccatorum pondere prægravantur eos supplicatio commendet ecclesie· per. 1631

[*Super Oblata.*]

Pro animabus famulorum famularumque tuarum & hic omnium catholicorum dormientium ostiam Domine suscipe benignus oblatam ut hoc sacrificio singulari vinculis orrende mortis exute vitam mereantur æternam· per. 1632

[*Prefatio.*]

Vere dignum. Æterne Deus. Ineffabili potentie tue hec redemtionis nostre munera deferentes pro requie omnium in Christo quiescentium Ut peccatorum sordibus tuo munere emundentur cuius imperio nascimur cuius misterio vivificamur. 1633

[*Post Comm.*]

690 (691) Deus fidelium lumen animarum adesto supplicationibus nostris. & da omnibus fidelibus in Christo quorum corpora hic requiescunt. refrigerii sedem. quietis beatitudinem luminis claritatem· per. 1634

CCCXVII

KALENDIS NOVEMBRIS.

FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM.

Oratio super populum.

Omnipotens sempiterne Deus. qui nos omnium sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari. Quæsumus ut desideratam nobis tue propitiationis habundantiam multiplicatis intercessionibus largiaris· per. 1635

Super Sindonem.

Da quæsumus Domine fidelibus populis omnium sanctorum semper veneratione letari. & eorum perpetua suplicatione muniri· per. 1636

[*Super Oblata.*]

Altare tuum Domine Deus muneribus cumulamus oblatis. da quæsumus ut salutem nostram omnium sanctorum tuorum precatione proficiant quorum solemnia ventura percurrimus. 1637

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus reverentie tuæ dicato ieiunio gratulantes. quia veneranda omnium sanctorum sollemnia desideratis prævenimus officiis. ut ad eadem celebranda solemniter præparent· per Christum. 1638

Post Comm.

Omnipotens sempiterne Deus. qui nos omnium sanctorum multiplici facis sollemnitate gaudere. concede quæsumus ut sicut illorum commemoratione temporali 691 (689) gratulamur officio. ita perpetuo letemur aspectu· per. 1639

CCCXVIII

[DE SANCTO MARTINO.]

Omnipotens sempiterne Deus. misericordiam tuam suplices exoramus. ut nobis per intercessionem sancti antistitis tui Martini propitius ac placatus nostra peccata indulgeas· Et gloriam primæ resurrectionis tribuas· & a secunda morte defendas· per. 1640

(1) Interruptam hic defectu pergaminis orationem « Rogo te Altissime » lector mox inveniet n° 1671 signatam, iterum videlicet a quodam amanuensi repetitam a capite, cœterisque adiunctis integratam.

[*Super Sindonem.*]

Præsta quæsumus Domine ut sicut divina laudamus in sancto Martino confessore tuo atque pontifice magnalia. sic indulgentiam tuam piis eius precibus assequamur· per. 1641

[*Super Oblata.*]

Suscipe quæsumus Domine hec munera de tua tibi largitate dicata· Ut intercedente pro nobis beato Martino confessore tuo atque pontifice fidelium mentes exerceant· Quatenus temporalibus adiuti præsidiis· ad promerenda præmia conferantur eterna· per. 1642

[*Prefatio.*]

Vere dignum. Æterne Deus. qui ut infidelitatis tenebras profugares. divini Verbi luce perspicuum ac miraculis coruscantem. beatum Martinum in partes occiduas direxisti qui profani **692 (690)** eroris destruat templa ac vexilla erigat pietatis. hic suscitat mortuos. ab obsessis corporibus seva excludit demonia. ac variis laborantes languoribus salutis remedio sublevat. ut quos culpæ caligo in mortem presserat. hos gratia revocaret ad vitam· per Christum. 1643

[*Post Comm.*]

Deus qui nos in commemoratione beati Martini sacerdotis tui atque pontificis gratia potiore letificas. concede propitius ut & per sancta que sumsimus. & eius pro nobis intervenientibus meritis. pertingere ad gaudia æterna mereamur· per· 1644

Quæ sequuntur, fragmenta sunt Antiphonarii præsertim & Lectionarii, genuino missarum nostrarum ordini præmissa, tanquam ultimum Codicis auctarium, ita nempe comparatum ut nihil amplius uno eodemque volumini deesset horum quæ tum in choro, tum in ambone, tum ad altare recitanda missarum ordo requirit, quo demum « Missale plenarium », ut aiunt, pedetentim evaderet. Liber namque Sacramentorum Bergomensis, prout iacet, absque complemento, plenariam ad hanc formam iam accedebat, quippe cuius missarum orationibus, lectiones etiam epistolarum necnon & evangeliorum coagmentantur.

Antiphonarii porro fragmenta, ratione collectionis, evulgamus, nec omnino redundantia. Collato siquidem cum his fragmentis, v. g., *Manuali* quod proxime dabimus, peculiaria quædam habet Bergomensis noster nec semel, nec ullius certe momenti.

Antiphonario num accesserint ex integro per ordinem, saltem pro Dominicis & Festis, lectiones omnes illæ quæ, præter epistolam & evangelium, ad missam, Ambrosiani recitare solent ante Psalmellum, satis incertum pro ratione fragmenti. Quæ disjuncta præbet auctarium, ea quadragesimales quinque Dominicas tantum attingunt, Sabbatum quoque sanctum, Pascha, Pentecosten, Ecclesiæ Dedicationem & sancti Petri festivitatem. Munuscula sunt hæc, sicuti, re vera, quinque missæ prorsus extravagantes, variæque preces ante altare recitandæ quæ paginas aliquot antea vacuas occupant. Ea tamen benevolus lector, ne quid celare videamur, accipiat.

[DOMINICA V. DE ADVENTU.]

. . . .

[*Offertorium.*] **1**. . . . veniet & salvos nos faciet Audite itaque domus David non pusillum certamen præstare hominibus quoniam Dominus præstat certamen propterea dabit vobis signum ecce virgo in utero concipiet. ipse veniet.

Confratorium. Ecce virgo in utero concipiet & pariet filium & vocabitur nomen eius Emanuhel.

Transitorium. Dominus prope est occurrite illi dicentes magnum principium & regni eius non erit finis Deus fortis dominator princeps pacis all.

DOM. VI. DE ADVENTU.

Ingressa. Credite salvatorem nostrum venturum esse cum gloria & vos estote parati suscipere regnum Dei.

Psalmellus. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum omnibus qui invocant eum in veritate. ℣. Laudem Domini loquitur os meum & benedicit omnis caro nomen sanctum eius.

Alia. Videsne Helisabet cum Dei genetrice Maria· disputantem quid ad me venisti mater Domini mei. si enim scirem in tuum venirem occursum tu enim regnatorem portas & ego prophetam tu legem dantem & ego legem accipientem tu verbum & ego vocem proclamantis adventum salvatoris.

Lectio Esaiæ Prophetæ. Si correxeris & feceris.

Psalmellus. Respice de cælo Deus & vide & ostende faciem tuam. & salvi erimus· ℣. Qui regis Israel intende qui deducis velut ovem Iosep qui sedes super Cherubim appare coram Efrem & Beniamin & Mannassen.

Epistola ad Philippenses. Gaudete in Domino semper.

Psalmellus. Suscipiant Domine montes & colles populo tuo iusticia iudica[bit] egen[os] populi ut salvet filios pauperum. ℣. [I.] Deus iudicium tuum da regi. & iustitiam tuam. [℣. II.] Humiliavit calumniatorem & permanebit cum sole & ante lunam generacionis generationum & descendet sicut pluvia in vellus. & sicut stillicidia stillantia.

Evangelium secundum Lucam. Missus est Angelus Gabriel.

Post Evangelium. Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo exultavit ut gigans ad currendam viam assummo celo egressio eius.

Offertorium. Ecce Dominus de Sion veniet & de Ierusalem dabit vocem suam & exultabunt ante illum cæli & terra. & in illa die stillabunt montes
2 dulcedinem & omnes colles fluent lac & mel.

Confractorium. Confirmatum est cor virginis Mariæ angelo Domini dicente ad eam ave gratia plena Dominus tecum benedicta inter mulieres. & benedictus fructus ventris tui. Ave Maria gratia plena Dominus tecum benedicta inter mulieres & benedictus fructus ventris tui.

IN NATALI DOMINI.

Ingressa. Lux fulgebit hodie super nos quia natus est nobis Dominus & vocabitur admirabilis Deus princeps pacis pater futuri sæculi cuius regni non erit finis.

Lectio Esaie prophetæ. Primo tempore.

Psalmellus. Tecum principium in die virtutis tue splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. ℣. Dixit Dominus Domino meo sede a dextris.

Epistola ad Hebræos. Multifarie.

℣. *in Alleluia.* Hodie in Bethleem puer natus est.

Evangelium secundum Lucam. Exiit edictum a Cesare.

Post Evang. Gaudeamus omnes fideles Salvator noster natus est in mundo hodie processit proles & magnifici germinis & perseverans pudor virginitatis.

Offertorium. Ecce apertum est templum tabernaculi testimonii & Hierusalem nova descendit de celo. in qua est sedes Dei & Agni & servi eius afferunt ei munera dicentes Sanctus Sanctus Sanctus. Dominus Deus omnipotens qui erat & qui est & qui venturus est. ℣. Et ecce sedet in medio eius super thronum maiestatis sue Agnus & vox sonat ante eum dicens vicit leo de tribu Iuda radix David & quatuor animalia requiem non habent dicentia sedenti super thronum Sanctus Sanctus Sanctus.

Confractorium. Magnum & salutare misterium Dei nostri qu[æ] peperit & mater & virgo est. quem peperit homo & Deus est ipse est creator omnium filius virginis Dominus genetricis.

Transitorium. Gaude & letare exultacio angelorum. Gaude Domini virgo prophetarum gaudium. Gaudeas benedicta Dominus tecum est. Gaude que per angelum gaudium mundi suscepisti. Gaude quæ genuisti factorem & Dominum gaudeas quia digna es esse Mater Christi. Mare Dominum vidit & timuit. unde obviam venit ut adoraret eum hoc videns Petrus clamabat dicens miserere mei Deus.

DIE XXIII.

3 NATAL. SANCTI STEPHANI.

Ingressa. Video celos apertos & Ihesum stantem a dextris virtutis Dei. Domine Ihesu accipe spiritum meum & ne statuas illis hoc peccatum quod nesciunt qui faciunt.

Psalmellus. Stefanus plenus gratia Spiritus Sancti faciebat mirabilia magna in populo. ℣. Positis autem genibus orabat dicens. Domine ne statuas illis.

Epistola ad Hebræos. Multifarie.

℣. *in Alleluia.* Puer natus est nobis & Filius datus est nobis.

Evangelium secundum Matheum. Cum veniset Ihesus Capharnaum.

Post Evangelium. Posuerunt Domine mala pro bonis & odium pro dileccione mea ego autem semper orabam.

Offertorium. Ecce apertum est templum tabernaculi.

Confractorium. Magnum & salutare misterium.

Transitorium. Magnum hereditatis misterium. templum Dei factus est uterus nescientis virum non est pollutus ex ea carnem assumens omnes gentes venient dicentes gloria tibi Domine.

DIE XXV.

SANCTI IOHANNIS EVANGELISTÆ.

Ingressa. In excelso throno vidi sedere virum quem adorant multitudo angelorum psallentes in unum. & ecce cuius imperium non estimabitur.

Psalmellus. Speciosus forma præ filiis hominum diffusa est gratia in labiis tuis. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum.

Epistola ad Romanos. Hoc est verbum fidei.

℣. *in Alleluia.* Quam speciosi pedes evanzelizancium pacem.

Evangelium secundum Iohannem. Dicebat Dominus Ihesus.

Post Evangelium. In Deo sperabo non timebo quid faciat mihi homo in me sunt Deus vota quæ reddam laudes tibi. quia liberasti animam meam de morte.

[*Offertorium.*] Stetit angelus super aram Dei habens turibulum aureum & date sunt ei supplicationes multe ut darent de oracionibus sanctorum ad altare Dei quod est ante thronum. & ascendit fumus supplicacionum de manu angeli in conspectu Dei all. al. al.

Confractorium. Exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur & non dixit Ihesus non moritur sed sic eum volo manere donec venio.

Transitorium. Iste est Iohannes qui supra pectus Domini recubuit dilectus discipulus cui revelata sunt secreta celestia.

DIE XXVI.

NAT. INNO- 4 CENTUM.

Ingressa. Sub altare Dei audivi voces occisorum dicencium quare non defendit sanguinem nostrum & acceperunt divinum responsum adhuc requiescite modicum tempus donec compleatur numerus fratrum vestrorum.

Psalmellus. Vindica Domine sanguinem nostrum qui effusus est. ℣. Posuerunt mortalia servorum tuorum.

Epistola ad Romanos. Quicumque Spiritu Dei aguntur.

℣. *in Alleluia.* Iustorum anime in manu Dei.

Evangelium secundum Matheum. Angelus Domini apparuit.

Post Evangelium. Accedit homo ad cor altum & exaltabitur Deus sagitte parvulorum facte sunt plage eorum & infirmatæ sunt in ipsis lingue eorum.

Offertorium. Splendet Egipti campus de candidata turba infantum preciosa corpora pro Christo occisa iacebant ab Herode.

Confractorium. Vox in Rama audita est ploratus & ululatus Rachel plorans filios suos noluit consolari quia non sunt.

Transitorium. Sanguis sanctorum martirum pro Christo effusus est in terra ideo adepti sunt munera sempiterna.

DIE XXVII MENSIS DECEMBRIS.

SANCTI IACOBI.

Ingressa. Puer natus es nobis & filius datus es nobis cuius imperium super humerum Dei & vocabitur nomen eius magni concilii angelus.

Psalmellus. Gloria & honore coronasti eos & constituistis eos super opera manuum tuarum. ℣. Domine Deus noster quam.

Epistola ad Galatas. Notum facio vobis.

℣. *in Alleluia.* Posuisti in capite eius coronam.

Evangelium secundum Matheum. Accessit ad Ihesum mater filiorum.

Post Evangelium. Audi me Iacob serve meus & Israel quem elegi effundam spiritum meum in te benediccionem super populum istum & ego primus & ego novissimus. & præter me non est Deus.

Offertorium. Desiderium anime eius tribuisti ei.

Transitorium. Magna est gloria eius in salute tua Domine alleluia.

DOMINICA POST NATALE DOMINI.

Ingressa. In patre manet eternitas quia non peribit de matre virginitas invisibilis non dedignatus est carnem assumere natus non relinquit imperium.

Lectio Esaie prophetæ. Nobiscum Deus scitote gentes.

Psalmellus. Benedictus qui venit in nomine Domini Deus Dominus. & inluxit nobis 5
℣. Confitemini Domino quoniam bonus quoniam misericordia.

Epistola ad Romanos. Deus filium suum mittens.

Psalmellus. Iubilate Deo omnis terra.

Evangelium secundum Lucam. Regressus est Dominus Ihesus.

Post Evangelium. Laudate Dominum omnes angeli eius laudate eum omnes virtutes eius

laudate eum sol & luna laudate eum omnes stelle & lumen.

Offertorium. Visi sunt gressus tui Domine gressus Dei mei regis qui est in sancto prævenerunt principes coniuncti psallentibus. ℣. Montem Dei montem uberem mons caseatus mons uber ut quid suscipamini montem montem in quo beneplacuit Deo. habitare in eo. prævenerunt.

Confractorium. Spiritus Domini super me eo quod uncxerit me evangelizare pauperibus misit me prædicare captivis remissionem.

Transitorium. Maria virgo semper letare que tantam gratiam meruisti celi & terre creatorem de tuo utero generare.

KALENDIS IANUARII.

SEU OCTAVA DOMINI.

Ingressa. In conspectu gentium nolite metuere vos enim in corde vestro adorate & timete Dominum angelus enim eius vobiscum est.

Lectio Ieremiæ prophetæ. Exemplar epistole.

Psalmellus. Sciant gentes quoniam nomen tibi Deus tu solus altissimus super omnem terram. ℣. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt. & q. d.

Epistola ad Philippenses. Gaudete in Domino eadem vobis scribere.

Evangelium secundum Lucam. Cum consummati essent dies octo.

Post Evangelium. Hic est Deus noster vivens in secula & regnum eius non estimabitur & potestas eius in eternum erit.

Offertorium. Ubi sunt nunc dii eorum in quibus confidebatis in eis quorum adipem sacrificiorum edebatis & bibebatis vinum libacionum eorum surgant nunc & adiuvent vos & fient vobis protectores.

Confractorium. Nunc dimittis Domine servum tuum secundum verbum tuum in pace quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Transitorium. Puer crescebat & confortabatur usque ad ostensionem suam Israel.

DIE VI. MENSIS IANUARII.

EPIFANIA DOMINI.

Ingressa. Civitas non eget sole neque luna ut luceant quoniam claritas Dei **6** inluminat eam & ambulabunt gentes in lumine eius & reges terre offerent claritatem suam in ea.

Lectio Esaie prophetæ. Surge inluminare Ierusalem.

Psalmellus. Benedictus Dominus Deus Israel qui facit mirabilia solus in secula. ℣. Suscipiant montes pacem. ℣. II. Humiliavit calumniatorem & permanebit cum sole.

Epistola ad Titum. Apparuit gratia Salvatoris nostri.

℣. *in Alleluia.* Magi venerunt ab Oriente Hierosolimam dicentes.

Evangelium secundum Matheum. Cum natus esset Ihesus in Betleem.

Post Evangelium. Cum Ihesus natus esset in Bethleem Iudee. ecce magi ab Oriente venerunt Hierosolimam dicentes ubi est qui natus est rex Iudeorum vidimus enim stellam eius & venimus adorare eum.

Offertorium. Orietur in diebus eius iusticia & habundancia pacis donec extollatur luna. ℣. Et dominabitur a mari usque ad mare & afflumine usque ad terminos terre donec extollatur.

Confractorium. Hoc fecit inicium signorum Ihesus in Cana Galilee & manifestavit gloriam suam discipulis suis.

Transitorium. Hodie celesti sponso iuncta est ecclesia quoniam in Iordane lavit eius crimina currunt cum munere magi ad regales nupcias & ex aqua facto vino letantur convivia baptizat miles regem servum Dominum suum Iohannes Salvatorem aqua Iordanis stupuit columba protestatur paterna vox audita est Filius meus hic est in quo bene complacuit ipsum audite.

DOMINICA POST EPIPHANIAM.

Ingressa. Dum medium silencium tenerent omnia & nox in suo cursu medium iter haberet omnipotens sermo tuus Domine de celis a regalibus sedibus venit.

Psalmellus. Benedicite gentes Deum nostrum & obaudite voci laudis eius qui posuit animam meam ad vitam. ℣. Iubilate Deo omnis terra psalmum.

℣. *in Alleluia.* Iubilate Deo omnis terra.

Evangelium secundum Matheum. Cum esset Ihesus annorum duodecim.

Post Evangelium. Domine Deus noster pacem da nobis omnia enim.

Offertorium. Domine convertere & eripe animam meam salvum me fac propter misericordiam tuam.

. . . .

[DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.]

. . . .

[*Transitorium*]... **7** Festinemus iram Dei antevertere flentes & dicentes qui tollis peccata mundi miserere nobis.

DOMINICA IN CAPITE QUADRAGESIMÆ.

Ingressa. Invocabit me & ego exaudiam eum eripiam eum & glorificabo eum longitudine dierum adimplebo eum alleluia.

Psalmellus. Scuto circumdabit te veritas eius non timebis a timore nocturno. ℣. Qui habitat in adiutorio Altissimi.

Epistola ad Corinthios. II. Ecce nunc tempus acceptabile.

℣. *in Alleluia*. Non in solo pane vivet homo.

Evangelium secundum Matheum. Ductus est Dominus Ihesus in desertum.

Post Evangelium. Ecce nunc tempus acceptabile ecce nunc dies dies salutis commendemus nosmetipsos in multa paciencia in multis ieiuniis per arma iusticie virtute Dei.

Offertorium. Scapulis suis obumbravit tibi Dominus & sub pennis eius sperabis scuto circumdabit te veritas eius. ℣. Super aspidem & bassiliscum ambulabis & conculcabis leonem & draconem.

Confractorium. Dicet Dominus susceptor meus es Deus meus sperabo in eum.

Transitorium. Qui cognoscis omnium occulta a delicto meo munda me tempus mihi concede ut penitens clamem peccavi miserere mei Deus.

DOMINICA DE SAMARITANA.

Ingressa. Deus in adiutorium meum intende Domine ad adiuvandum me festina. confundantur & revereantur inimici mei qui querunt animam meam.

Lectio libri Exodi. Locutus est Dominus cunctos sermones suos.

Psalmellus. Redde mihi leticiam salutaris tui & spiritu principali confirma me. ℣. Miserere mei Deus & secundum magnam misericordiam tuam & secundum multitudinem.

Epistola ad Ephesios. Audiens fidem vestram.

Cant. Nisi quod Deus erat in nobis dicat nunc Israel nisi quod Dominus erat in nobis. ℣. Anima nostra erepta est de laqueo venancium. laqueus contritus est & nos liberati sumus. ℣. II. Adiutorium nostrum a Domino qui fecit cælum & terram.

Evangelium secundum Iohannem. Venit Dominus Ihesus.

Post Evangelium. Tollam vos de gentibus & effundam super vos aquas mundas lavabimini ab omnibus 8 iniquitatibus vestris dabo vobis cor novum & spiritum rectum innova[bo] in visceribus vestris.

Offertorium. Precatus est Moises in conspectu Domini Dei & dixit. precatus est Moises in conspectu Domini Dei sui. & dixit quare Domine irasceris in populo tuo parce ire animi tui memento Abraham Isaac & Iacob quibus iurasti dare terram fluentem lac & mel. ℣. Et placatus factus est Dominus de malignitate quam dixit facere populo suo.

Confractorium. Si scires quod esset donum Dei tu a me petisses aquam vivam dicit Dominus & qui biberit ex ea non siciet in eternum sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam eternam.

Transitorium. Dicit Dominus Samaritane qui biberit aquam quam ego dabo non siciet in êternum sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam eternam. dicit mulier Domine da mihi hanc aquam. ut bibam & non siciam.

DOMINICA II. DE ABRAAM.

Ingressa. Misericors & miserator Dominus qui non secundum peccata nostra fecit nobis sed sicut miseretur pater filiis ita miseratus est nobis Dominus Deus noster.

Lectio libri Exodi. Locutus est Dominus ad Moisen dicens.

Psalmellus. Deus vita mea nunciavi tibi posui lacrimas meas in conspectu tuo. ℣. Miserere mei Dominus quoniam conculcavit me homo tota die.

Epistola ad Thessalonicenses. I. Vos estis gloria nostra & gaudium.

Cant. Ad Dominum cum tribularer clamavi & exaudivit me. ℣. Domine libera animam meam a labiis iniquis & a lingua dolosa. ℣. II. Heu me quod incolatus meus prolongatus est habitare cum habitantibus Cedar.

Evangelium secundum Iohannem. Dicebat Dominus Ihesus ad eos.

Post Evangelium. Respice Domine ad fragilitatem generis humani & require vulnera quē curasti quia quantum circa nos pietatem impenderis amplius in quibus mise[re]aris invenies extende quæsumus medicas manus & quod infirmum est cura quod dubium est repara quod integrum fide perseverante conserva.

Offertorium. Dixit Moises & Aaron dixit Moises & Aaron ad omnem sinagogam filiorum Israel accedite ante Dominum maiestas Domini apparuit in nube & exaudivit murmuracionem vestram in tempore. & placatus.

Confractorium. Habraam pater vester exultavit ut videret 9 diem meum & vidit & gavisus est dicit Dominus.

Transitorium. Si manseritis in sermone meo vere discipuli mei eritis & cognoscetis veritatem & veritas liberabit vos.

DOMINICA III. DE CECO.

Ingressa. Circumdederunt me gemitus mortis dolores inferni circumdederunt me & in tribulacionem meam invocavi Dominum & exaudivit de templo sancto suo vocem meam.

Lectio libri Exodi. Tria tempora anni.

Psalmellus. Ego dixi Domine miserere mei. sana animam meam quoniam peccavi tibi. ℣. Beatus qui intellegit super egenum & pauperem in die.

Epistola ad Thessalonicenses. I. Rogamus vos & obsecramus.

Cant. Levavi oculos meos ad montes unde veniet auxilium mihi. ℣. Auxilium meum a Domino qui fecit celum & terram. ℣. II. Dominus custodiat animam tuam ex hoc nunc & usque in seculum.

Evangelium secundum Iohannem. Transiit Ihesus vidit hominem cecum.

Post Evangelium. Missus sum sanare tribulatos corde prædicare captivis remissionem & ceci[s] reddere lumen.

Offertorium. Dixit Dominus ad Moisen invenisti gratiam in conspectu meo. & scio te præ omnibus & festinus Moises inclinavit se in terram & adoravit dicens scio quia misericors es in milibus auferens iniquitatem & peccata & placatus factus est.

Confractorium. Ille homo qui dicitur Ihesus lutum fecit & linivit oculos meos & modo video.

Transitorium. Lutum fecit ex sputo Dominus & linivit oculos meos & abii & lavi & vidi & credidi Deo.

SABBATO IIII.

Psalmellus. Voce mea ad Dominum clamavi vox mea ad Dominum & respexit me. ℣. In die tribulacionis meæ Deum exquisivi manibus meis.

Epistola ad Tesalonicenses. I. Rogamus vos ut noveritis.

Cant. Benedicam Dominum qui mihi tribuit intellectum.

Evangelium secundum Matheum. Tunc oblati sunt parvuli.

Post Evangelium. Memento verbi tui servo tuo in quo mihi spem dedisti hec me consolata est in humilitate mea quia eloquium tuum Domine vivificabit me.

DOMINICA IIII. DE LAZARO.

Ingressa. Videns Dominus sororem Lazari ad monumentum lacrymatus coram Iudeis exclamavit. **10** Lazare veni foras & prodigens ligatis manibus & pedibus stetit ante eum qui quatriduanus fuerat mortuus.

Lectio libri Exodi. Quid clamas ad me.

Psalmellus. Occurrerunt Maria & Marta ad Ihesum dicentes Domine & Domine si fuisses Lazarus non esset mortuus respondens Ihesus Martha si credideris videbis gloriam Dei. ℣. Videns Ihesus turbam flentem infremuit spiritu lacrimatus. & veniens ad locum clamavit voce magna. Lazare veni foras & revixit qui erat mortuus. vidit gloriam Dei.

Epistola ad Ephesios. Videte quomodo caute ambuletis.

Cant. Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in unum. ℣. Sicut unguentum in capite quod descendet in barbam in barbam Aaron. ℣. II. Quia illic mandavit Dominus benediccionem & vitam & usque in secula.

Evangelium secundum Iohannem. Erat quidam languens Lazarus a Bethania.

Post Evangelium. Infirmorum propiciator abiectorum protector desperandorum salvator Deus Patris mei & Deus hereditatis Israel dominator celorum & terre creator aquarum rex tocius creature tuæ exaudi preces nostras.

Offertorium. Hæc dicit Dominus erit vobis sabbatum venerabile & vocabitur sanctum & offeretis ad vesperum holocaustomata vestra quia in die illa propiciabitur vobis Salvator noster. ℣. Locutus est Moises filiis Israel dicens quarto decimo die ad vesperum pasca Domini est. & in quinto decimo sollempnitatem celebrabitis altissimo Deo. quia in. ℣. II. In die octavo venturo sumite vobis ramos palmarum & secundum legem quam præcepit vobis sollempnitatem celebrabitis.

Confractorium. Domine si fuisses hic frater meus non moreretur. sed nunc scio quia quæcumque petieris a Deo dabit tibi Deus.

Transitorium. Martha surge[t] frater tuus scio Domine quia resurget in resurreccione in novissimo die.

SABBATO IN TRADITIONE SIMBOLI.

Psalmellus. Deus canticum novum cantabo in psalterio decem cordarum psallam tibi. ℣. Benedictus Dominus Deus noster qui docet manus meas ad prælium digitos meos ad bella.

11 *Epistola ad Ephesios.* Confortamini in Deo.

Cant. Laudate Dominum omnes gentes & conlaudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia. & veritas Domini manet in eternum.

Evangelium secundum Matheum. Confiteor tibi Pater.

Post Evangelium. Adtendite populus meus legem meam inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Offertorium. Lex Domini inreprehensibilis. convertens animas testimonium fidele sapienciam præstans parvulis.

Confractorium. Venite ad me omnes qui laboratis & ego vos reficiam.

Transitorium. Tollite iugum meum super vos dicit Dominus & discite a me quia mitis sum & humilis corde iugum enim meum suave est & onus meum leve est.

DOMINICA IN RAMIS OLIVARUM.

Ingressa. In nomine Domini omne genu flectatur celestium terrestrium & infernorum quia Dominus factus obediens usque ad mortem mortem autem crucis ideo Dominus Ihesus Christus in gloria est Dei Patris.

Lectio Esaiæ Prophetæ. Domine quis credidit.

Psalmellus. Ego autem dum mihi molesti essent induebam me cilicium & humiliabam in ieiunio animam meam & oracio mea in sinum meum convertetur. ℣. Iudica Domine nocentes me & expugna impugnantes me.

Epistola ad Tessalonicenses. II. State & tenete tradiciones.

Psalmellus. Pacifice loquebantur mihi inimici mei & in ira molesti erant mihi. ℣. Vidisti Domine ne sileas ne discedas a me.

Evangelium secundum Iohannem. Proximum erat [Pascha] Iudeorum.

Post Evangelium. Statuite verba verba ista in auribus vestris & alligabitis ea in signum & docebitis ea filios vestros sedentes in domum et ambulantes in via & cum dormiunt & cum surgunt.

Offertorium. Eripe me Domine de inimicis meis doce me facere voluntatem tuam quia tu es Deus meus. ℣. In factis manuum tuarum meditabor velociter exaudi me quia tu es.

Confractorium. Sitientes venite ad aquas dicit Dominus & qui non habetis precium venite & edite & bibite in leticia.

Transitorium. Mittens hec mulier unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.

12 IN CENA DOMINI V FERIA.

Ingressa. Cene tue mirabili hodie Filius Dei socium me accepis non enim inimicis tuis hoc misterium dicam non tibi dabo osculum sicuti & Iudas sed sicut latro confitendo te memento mei Domine in regno tuo.

Lectio de Ione propheta. Factum est verbum Domini super Ione.

Psalmellus. Vigilate & orate ne intretis in temptacionem quia Filius hominis tradetur in manus sacerdotum. ℣. Surgite eamus ecce appropinquabit qui me tradet.

Epistola ad Romanos. Convenientibus vobis in unum.

Psalmellus. Tamquam ad latronem venistis cum gladiis comprehendere me. Cottidie apud vos eram in templo docens & non me tenuistis & ecce traditis ad crucifigendum. ℣. Adhuc eo loquente ecce turba & qui vocabatur Iudas venit & appropinquabit ad Ihesum ut eum oscularetur Ihesus dixit eis Iuda osculum filium hominis tradit ad crucifigendum.

Evangelium secundum Matheum. Prima die azimorum.

Offertorium. Contumelias & terrores passus sum ab eis qui erant pacifici mei & custodientes latus meum. dicentes decipiamus eum & prævaleamus ei sed tu Domine mecum esto sicut pugnator fortis. cadant in obprobrium sempiternum & videam vindictam in eis quia tibi revelavi causam meam.

Confractorium. Hoc corpus quod pro vobis tradetur hic calix novi testamenti est in meo sanguine dicit Dominus hoc facite quotienscumque summetis in meam commemoracionem.

Transitorium. Tristis est anima mea usque ad mortem sustinete hic & vigilate mecum nunc videbitis turbam que me circumda[t] & vos fugam capietis & ego vadam immolari pro vobis.

VI FERIA.

Antifona ad crucem. Crucem tuam adoramus Domine. & sanctam resurreccionem tuam glorificamus. ℣. II. Adoramus crucem tuam & signum de cruce tua & qui crucifixus est virtutem. ℣. III. Laudamus te Christe & himnum dicimus tibi quia per crucem redemisti mundum.

Sabbatum in Parasceve non habet officium ad missam nisi Psalmellum.

DOMINICA IN PASCA DOMINI.

Ingressa. 13 Resurrexi & adhuc tecum sum alleluia posuisti super me manum tuam alleluia mirabilis facta est sciencia tua alleluia alleluia.

Lectio Actuum Apostolorum. Primum quidem sermonem.

Psalmellus. Hec dies quam fecit Dominus exultemus & letemur in ea. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus quoniam in seculum misericordia eius.

Epistola ad Corinthios. I. Tradidi enim vobis in primis.

℣ *in Alleluia.* Pasca nostrum immolatus est Agnus.

Antiphona ante Evangelium. Laudate Dominum de celis laudate eum in excelsis angeli eius angeli eius quia hodie resurrexit Dominus & redemit populum suum. alleluia alleluia.

Evangelium secundum Iohannem. Maria stabat ad monumentum.

Post Evangelium. Dicant qui redempti sunt a Domino alleluia quos redemit de manu inimici de regionibus congregavit eos alleluia.

Offertorium. Angelus Domini descendit de celo & dixit mulieribus quem queritis surrexit sicut dixit alleluia. ℣. I. Euntes dicite discipulis eius ecce præcedit vos in Galileam ibi eum videbitis sicut dixit alleluia. ℣. (II.) Ihesus stetit in medio eorum & dixit eis pax vobis videte quia ipse ego sum. sicut dixit alleluia.

Confractorium. Pasca nostrum immolatus est Christus alleluia itaque epulemur in azimis sinceritatis & veritatis alleluia alleluia.

Transitorium. Venite populi sacrum immortale misterium illibatum agendum cum timore & fide accedamus manibus mundis penitencie munus communicemus quoniam Agnus Dei propter nos Patris sacrificium propositum est. ipsum solum adoremus ipsum glorificemus cum angelis clamantes alleluia alleluia.

Aliud. Himnum canite agni mundi lavacro fontis renati saciati corpore Christi alleluia alleluia.

FERIA II· DE ALBAS.

Ingressa. Aqua sapiencie potavit eos alleluia firmabitur in illis & non flectetur alleluia edificavit eos in eternum alleluia alleluia.

Lectio Actuum Apostolorum. Angelus Domini locutus est ad Philippum.

Psalmellus. Hec dies quam fecit Dominus. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus.

Epistola ad Romanos. Hoc est verbum fidei.

℣. *in Alleluia.* **14** Venite exultemus.

Evangelium secundum Iohannem. Una sabbati valde diluculo.

Post Evangelium. Dominus memor fuit nostri & benedixit nos alleluia benedixit domum Israel. benedixit domum Aaron.

Offertorium. Celebraverunt filii Israel Pasca in die sollemni azimorum septem dies alleluia alleluia.

Confractorium. Data est mihi omnis potestas in celo & in terra alleluia euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti alleluia.

Transitorium. Accedite & edite alleluia corpus Christi summite alleluia gustate & videte alleluia quam suavis est Dominus alleluia.

FERIA III· DE ALBAS.

Ingressa. Venite benedicti Patris mei percipite regnum alleluia. quod vobis paratum est ab origine mundi alleluia alleluia alleluia alleluia.

Lectio Actuum Apostolorum. Petrus & Iohannes.

Psalmellus. Hæc dies quam fecit. ℣. Confitemini Domino quod.

Epistola ad Ephesios. Christus resurgens.

℣. *in Alleluia.* Preveniamus faciem eius.

Evangelium secundum Matheum. Erat dies festus azimorum.

Post Evangelium. Benedixit Dominus omnes timentes eum pusillos & magnos alleluia adiciat Dominus super vos alleluia super vos & super filios vestros alleluia.

Offertorium. Alleluia steterunt levite in vasis David & sacerdotes in tubis offerre holocaustomata super altare. in die solemni azimorum septem dies alleluia alleluia.

Confractorium. Si conresurrexistis cum Christo que sursum querite alleluia ubi Christus est in dextera Dei sedens que sursum sunt sapite alleluia.

Transitorium. Post passionem Domini factus est conventus quia non est inventum corpus in monumentum lapis sustinuit perpetuam vitam monumentum reddidit celestem margaritam· Alleluia.

FERIA IIII· DE ALBAS.

Ingressa. In conspectu Agni steterunt ante thronum & palme in manibus eorum clamabant voce magna dicentes salus nostra Deus in secula alleluia.

Lectio Actuum Apostolorum. Dixerunt filii prophetarum ad Heliseum.

Psalmellus. Hec dies. ℣. Confitemini.

Epistola ad Corinthios· I. Esca nos non commendat Deo.

℣. *in Alleluia.* Dominus regnavit.

15 *Evangelium secundum Iohannem.* Diligite inimicos.

Post Evangelium. Cantate Domino canticum novum alleluia cantate Domino omnis terra alleluia cantate Domino benedicite nomen eius alleluia.

Offertorium. Isti sunt dies quos ulla numquam delebit oblivio & per singulas generaciones cuncte in toto orbe provinciæ celebrabunt alleluia alleluia.

Confractorium. Populus adquisicionis annunciate virtutes alleluia qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum· alleluia.

Transitorium. Pater noster qui es in celis sanctificetur sanctum nomen tuum veniat regnum tuum fiat voluntas tua. sicut in celo & in terra alleluia alleluia alleluia.

Aliud. Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur vobis alleluia.

V· FERIA. AD SANCTUM AMBROSIUM.

Ingressa. Victricem manum tuam Domine laudaverunt pariter alleluia quia sapienciam aperuit os mutum & linguas infancium fecit disertas alleluia alleluia.

Psalmellus. Hec dies quam fecit Dominus. ℣. Confitemini.

Epistola ad Corinthios· I. Si conresurrexistis cum Christo.

℣. *in Alleluia.* Cito euntes dicite discipulis eius surrexit.

Evangelium secundum Matheum. Ego sum pastor bonus.

Post Evangelium. Lauda anima mea Dominum alleluia laudabo Dominum in vita mea alleluia psallam Deo meo quamdiu ero alleluia.

Offertorium. De ore prudentis procedit mel & lac alleluia dulcedo mellis est lingua eius alleluia favus distillans labia eius alleluia alleluia. ℣. Gustate & videte quam suavis est Dominus beatus vir qui sperat in eum. favus.

Confractorium. Christus resurgens a mortuis : Iam non moritur alleluia mors illi ultra non dominabitur alleluia alleluia.

Transitorium. Ymnum canite Agni mundi.

VI· FERIA.

Ingressa. Populus adquisicionis annunciate virtutes eius alleluia.

Epistola ad Ephesios. Omnis sermo malus.

℣. *in Alleluia.* Domine exaudi orationem.

Evangelium secundum Iohannem. Ego sum panis vivus.

Post Evangelium. Exaudivit de templo sancto suo vocem meam alleluia & clamor meus in conspectu eius alleluia alleluia.

Offertorium. Resurrexi **16** tamquam dormiens alleluia.

Confractorium. Quasi modo geniti infantes alleluia racionabile sine dolo lac concupiscite alleluia. alleluia.

Transitorium. Maria & Martha dum venirent ad monumentum angeli splendentes [ap]paruerunt dicentes quem queritis viventem in mortuos non est hic venite videte locum ubi iacuit cito euntes [dicite] discipuiis eius quia surrexit Dominus alleluia.

SABBATO ALBAS DEPOSITAS.

Ingressa. Introduxit vos in terram fluentem lac & mel alleluia & ut lex Domini semper sit in ore vestro alleluia.

Lectio Esaie prophetæ. Letetur anima mea.

Psalmellus. Hec dies quam fecit Dominus. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus.

Epistola ad Ephesios. Obsecro omnium primum.

℣. *in Alleluia.* Preveniamus faciem eius.

Evangelium secundum Iohannem. Postquam surrexit Dominus a cena.

Post Evangelium. Domine Deus noster pacem da nobis.

Offertorium. In die sollemnitatis vestre dicit Dominus inducam vos in terram fluentem lac & mel alleluia.

Confractorium. Ecce iam tercio manifestavit se Dominus Ihesus discipulis suis postquam surrexit a mortuis.

Transitorium. Postquam surrexit Dominus a cena misit aquam in pelvem cepit lavare pedes discipulorum suorum alleluia si ego Dominus & magister vester lavi pedes vestros alleluia quanto magis vos debetis alter alterius pedes lavare. alleluia.

DOMINICA I. POST ALBAS.

Ingressa. Eduxit Dominus populum suum in exultatione & electos suos in leticia alleluia.

Lectio Esaiæ Profetæ. Lætetur anima mea.

Psalmellus. Lapidem quem reprobaverunt edificantes hic factus est in caput anguli. ℣. Confitemini Domino quoniam bonus quoniam in sæculum.

Epistola ad Ephesios. Renovamini spiritu.

℣. *in Alleluia.* Venite exultemus.

Evangelium secundum Iohannem. Cum essent congregati.

Post Evangelium. Laudate Dominum omnes angeli eius. laudate eum omnes virtutes eius laudate eum sol & luna laudate eum omnes stelle & lumen.

Offertorium. Preparatum est ministerium Domini & celebraverunt Pasca filii Israel & offerebant holocausta Domino super altare alleluia alleluia.

Confractorium. Resurgens Ihesus Dominus noster stans in medio discipulorum suorum dixit pax vobis alleluia. **17** gavisi sunt discipuli viso Domino alleluia.

Transitorium. Mitte manum tuam. & cognosce loca clavorum alleluia & noli esse incredulus sed fidelis alleluia alleluia alleluia.

DOMINICA II. POST ALBAS.

Ingressa. Misericordia Domini plena est terra alleluia verbo Dei celi firmati sunt alleluia alleluia.

Psalmellus. Miserere mei Deus miserere mei quoniam in te confidit anima mea. ℣. Misit de celo & liberavit me & dedit in obprobrium conculcantes me.

℣. *in Alleluia.* Præveniamus faciem eius.

Evangelium secundum Iohannem. Altera die vidit Iohannes.

Post Evangelium. Nos populus tuus & oves gregis tui.

Offertorium. Iubilate Domino Deo universa terra.

Confractorium. Pater cum essem cum eis ego servabam eos quos dedisti mihi alleluia nunc autem ad te venio non rogo ut tollas eos de mundo sed ut serves eos ex malo alleluia alleluia.

Transitorium. Qui manducaverit corpus meum & biberit sanguinem meum ipse in me manet & ego in eum alleluia.

DOMINICA III. POST ALBAS.

Ingressa. Inclina Domine aurem tuam.

Psalmellus. Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugii ut salvum me facias. ℣. Deus in te speravi Domine non confundar in eternum.

℣. *in Alleluia.* Dominus regnavit.

Evangelium secundum Iohannem. Ego sum lux mundi.

Post Evangelium. Nos populus tuus.

Offertorium. Super flumina Babilonis illic sedimus & flevimus dum recordaremur tui alleluia.

Confractorium. Panem de celo dedisti nobis Domine habentem omnem delectamentum & omnem saporem suavitatis alleluia alleluia.

Transitorium. Sacramentum celeste cum timore accipite & saciamini de Christi dulcedine panem celi dedit nobis Dominus panem angelorum manducavit homo alleluia alleluia.

DOMINICA IIII. POST ALBAS.

Ingressa. Dominus inluminacio mea.

Psalmellus. Oculi mei. ℣. Respice in me & miserere.

℣. *in Alleluia*. Domine exaudi orationem.

Evangelium secundum Iohannem. Non turbetur cor vestrum.

Post Evangelium. Custodi Deus porcionem tuam.

Offertorium. Exaltabo te Domine quoniam suscepisti.

Confractorium. Domine Deus meus in te speravi.

Transitorium. Angeli circumdederunt altare.

DOMINICA V. POST ALBAS.

Ingressa. **18** Tanto tempore vobiscum & non cognovistis me Philippe alleluia qui videt me videt & Patrem meum. non credis quia ego in Patre & Pater in me est alleluia alleluia.

Psalmellus. Iacta cogitatum tuum in Domino. ℣. Dum clamarem ad Dominum.

℣. *in Alleluia*. Venite exsultemus Domino.

Post Evangelium. Domine Domine Deus omnium creator terribilis.

Offertorium. Deus enim firmavit orbem terre.

Confractorium. Voce mea ad Dominum clamavi.

Transitorium. Diligamus nos invicem quia caritas.

IN ASCENSIONE DOMINI.

Ingressa. Psallite Domino qui ascendit super celos celorum ab Oriente alleluia.

Lectio Actuum Apostolorum. Vos estis mihi testes in Ierusalem.

Psalmellus. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat & humilia respicit in cælo & in terra. ℣. Suscitans a terra inopem & de stercore erigens pauperem.

Epistola ad Corinthios. I. Unicuique nostrum data est gratia.

℣. *in All.* Ascendit Deus in iubilacione & Dominus in voce tubæ.

Post Evangelium. Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum Deum meum & Dominum vestrum & remittam vobis Paracletum Spiritum alleluia alleluia.

Offertorium. Deus enim firmavit orbem terre. qui non commovebitur.

Confractorium. Si abiero & præparavero vobis locum alleluia iterum venio & accipiam vos ut ubi ego sum & vos estis mecum alleluia.

Transitorium. Pater noster qui es in celis sanctificetur sanctum nomen tuum.

DOMINICA VI POST ALBAS.

Ingressa. Pacem meam do vobis alleluia pacem meam relinquo vobis alleluia non turbetur cor vestrum donec veniam ad vos alleluia alleluia.

Psalmellus. Ascendisti in altum cepisti captivitatem dedisti dona hominibus. ℣. Qui regis Israel intende qui sedes super Cherubim appare.

℣. *In Alleluia*. Ascendit Dominus in iubilatione.

Evangelium secundum Iohannem. Elevatis Dominus Ihesus oculis.

Antiphona post Evangelium. Ascendo ad Patrem meum.

Offertorium. Curvati sunt celi dum calcaret capita nubium creator astrorum & dum ascenderet celos dominator omnium terrore concusssus est numerus Angelorum laudancium & dicencium quantus est iste cui throni & dominaciones occurrunt alleluia alleluia.

Confractorium. Cum venerit Paraclitus Spiritus veritatis ille arguet mundum de peccato & de iudicio & de iusticia alleluia alleluia.

19 *Transitorium*. Si diligitis me mandata mea servate alleluia iterum mandatum novum ut diligatis invicem sicut dilexi vos alleluia alleluia alleluia.

DOMINICA IN PENTECOSTEN.

Ingressa. Factus est repente de celo sonus adveniente spiritu vehementi ubi erant sedentes alleluia & repleti sunt omnes Spiritu Sancto loquentes magnalia Dei alleluia.

Lectio. Factus est repente de celo.

Psalmellus. Cor mundum crea in me Deus spiritum rectum innova in visceribus meis ne proicias me a facie tua Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. ℣. Redde mihi leticiam salutaris tui & Spiritu principali confirma me.

Epistola ad Corinthios. I. De spiritualibus nolo vos.

℣. *in Alleluia*. Spiritus Domini replevit orbem terrarum ex hoc quod.

Evangelium secundum Iohannem. Si diligitis me.

Post Evangelium. Cum sanctificatus fuero in vobis congregabo vos de universo mundo dabo vobis cor novum. alleluia alleluia.

Offertorium. Erit hic vobis dies memorialis alleluia & diem festum celebrabitis sollemnem Domino in progenies vestras legitimum sempiternum diem alleluia alleluia. ℣. Alleluia dixit Moises ad populum bono animo estote & veniet vobis salus a Domino Deo & pugnabit pro vobis in progenies vestras. legitimum.

Confractorium. Ultimo festivitatis die dicebat Ihesus qui in me credit flumina de ventre eius fluent aque vive hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum alleluia alleluia.

Transitorium. Hymnum canite agni mundi lavacro fontis.

VIII. KALENDAS MARTII.

SANCTI GEORGII.

Ingressa. Iustus non conturbabitur quia Dominus firmat manum eius.

Psalmellus. Iustus ut palma florebit sicut cedrus. ℣. Bonum est confiteri Domino.

Epistola ad Corinthios. II. Nolumus vos ignorare.

℣. *in Alleluia.* Sanctus Georgius dixit tenentibus se.

Evangelium secundum Matheum. Qui vult post me venire.

Post Evangelium. Iustus velut palma florebit sicut cedrus que est in Libano multiplicabitur.

Offertorium. In virtute Domine letabitur iustus.

Confractorium. In salutari tuo animam meam.

Transitorium, Magna est gloria eius in salute tua Domine alleluia.

DIE XXVII. MENSIS APRILIS.

SANCTI VITALIS.

Omnia de uno Martyre.

KALENDIS MAGII.

SANCTORUM **20** PHILIPPI ET IACOBI.

Omnia de plurimorum Sanctorum.

DIE III. MENSIS MAGII.

INVENCIO SANCTE CRUCIS.

Ingressa. O crux illa magna fallens gaudia tartatorum & resolvens vincula peccatorum gaudeant omnes gentes quia rex noster infernum vicit alleluia alleluia.

℣. *in Alleluia.* Domine refugium factus.

Post Evangelium. Laudamus te Christe & himnum dicimus tibi quia per crucem redemisti mundum.

Offertorium. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Ihesu Christi· In quo est salus vita & resurreccio nostra per quem salvati & liberati sumus alleluia alleluia.

Confractorium. Orabat Iuda Deus Deus meus ostende mihi lignum sancte crucis alleluia.

Transitorium. O crux benedicta que sola fuisti digna portare regem celorum & Dominum alleluia.

DIE VIII. MENSIS MAGII.

SANCTI VICTORIS.

Ingressa. Iustus non conturbabitur quia Dominus.

Psalmellus. Posuisti super caput eius coronam de lapide precioso. ℣. Vitam petiit a te & tribuisti ei longitudinem.

Epistola ad Corinthios. I. Sicut portavimus imaginem.

Evangelium secundum Matheum. Ecce mitto vos.

Post Evangelium. Principes persecuti sunt gratis Domine & a verbis tuis formidavit cor meum exulto ego in verbo tuo sicut qui invenit spolia multa alleluia.

Offertorium. In virtute tua Domine.

Confractorium. In salutari tuo animam meam.

Transitorium. Magna est gloria eius.

DIE X MENSIS MAGII.

TRANSLACIO SANCTI NAZARII.

Ingressa. Iustus non conturbabitur.

Psalmellus. Refloruit caro mea. ℣. Ad te Domine clamabo.

Epistola ad Corinthios. II. Deus qui dixit de tenebris.

℣. *in Alleluia.* Venite & audite & ennarrabo vobis.

Evangelium secundum Iohannem. Stabat Iohannes.

Post Evangelium. Dominus amat iudicium & non derelinquet sanctos suos.

Offertorium. In virtute tua Domine.

Confractorium. In salutari tuo.

Transitorium. Multitudo languencium.

DIE XII. MENSIS MAGII.

SANCTI PANCRACII.

Omnia de uno martyre.

DIE XIII. MENSIS MAGII.

TRANSLATIO SANCTORUM VICTORIS FELICIS ET FORTUNATI.

Ingressa. Stabunt iusti [in] magna.

21 *Psalmellus.* Iusti confitebuntur nomini tuo. ℣. Cognovi quoniam faciet Dominus.

Epistola ad Corinthios· I. Vos estis corpus Christi.

℣. *in Alleluia.* Iustorum anime in manu Dei.

Post Evangelium. Principes persecuti sunt me.

Offertorium. Gloriabuntur in te omnes.

Confractorium. Ego elegi vos de mundo.

Transitorium. Isti sunt qui propter sacrum martirium facti sunt.

DIE XXV. MENSIS MAGII.

DEPOSITIO SANCTI DIONISII.

Omnia de Confessore.

DIE XXVI. MENSIS MAGII.

SANCTI THEODORI.

Omnia de uno Martyre.

DIE XXVII. MENSIS MAGII.

SANCTORUM SISINNII MARTIRII ET ALEXANDRI.

Omnia de pluribus sanctis.

III. KALENDAS IULIAS. (*l.* JUN.)

SANCTORUM PETRI ET LAURENCII.

Omnia de pluribus Martyribus.

DIE X. MENSIS IUNIUS.

SANCTI PANTALEONIS.

DIE XIIII. MENSIS IUNIUS.

SANCTORUM CANCIANORUM.

Omnia de pluribus Sanctis.

DIE XV. MENSIS IUNII.

SANCTI VITI.

Omnia de uno Martyre.

Transitorium. O quam beatus Vitus impertu tuo [*l.* in perpetuum] qui taliter promeruit a Domino accipere coronam indulgencie & triumphalem palmam martyrum.

DIE XVIII. MENSIS IUNII.

SANCTORUM PROTASII ET GERVASII.

Ingressa. Bonos medicos habentes patrie nostre gaudete fratres beatum Protasium & Gervasium. martires Domini & Ambrosium qui suis sanctis intercessionibus a malis omnibus liberaverunt nos.

Psalmellus. Ecce quam bonum & quam iocundum habitare fratres in unum. ℣. Sicut unguentum in capite quod descendet in barbam in barbam Aaron.

Epistola ad Ephesios. Cum essetis mortui.

℣. *in Alleluia.* Plantati in domo Domini in atriis Dei nostri.

Evangelium secundum Matheum. Non est occultum quod non reveletur.

Post Evangelium. Vos estis vasa sancta Domino auro fulgente ante Dominum quia sponte obtulistis Domino Deo animas vestras in eternum & in seculum seculi.

Offertorium. [H]i sunt qui secuti sunt Domini mei Ihesu Christi vestigia.

Confractorium. Signa eos qui in me credent hæc sequentur demonia eicient **22** super egros manus imponent & bene habebunt.

Transitorium. Isti sunt qui propter sacrum martyrium facti sunt perfecti & fideles amici Christi opportet nos mundum contemnere ut possimus sequi Christum Dominum ne perdamus vitam perpetuam propter vanam huius mundi gloriam.

X. KALENDAS IULIAS.

SANCTI IULIANI MARTYRIS.

VIII. KALENDAS (IUL.)

NATIVITAS SANCTI IOHANNIS BAPTISTE.

' *Ingressa.* Spiritu Sancto replebitur puer ex utero matris sue. & multi in nativitate eius gaudebunt erit enim magnus ante Dominum.

Psalmellus. Priusquam te formarem in utero novi te & antequam exires de ventre sanctificavi te. ℣. Misit Dominus manum suam & tetigit os meum.

Epistola ad Galatas. Notum vobis facio evangelium.

℣. *in Alleluia.* Inter natos mulierum non surrexit maior Iohanne Baptista.

Evangelium secundum Lucam. Fuit in diebus Herodis regis quidam sacerdos.

Post Evangelium. Serviamus in sanctitate & iusticia omnibus diebus nostris & tu puer propheta Altissimi vocaberis præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.

Offertorium. Priusquam te formarem in utero novi te & antequam exires de ventre sanctificavi te & prophetam in gentibus posui te.

Confractorium. Ecce ut facta est salutacio beate Marie in auribus meis exultavit infans in utero meo.

Transitorium. Nazareus vocabitur puer iste vinum & siceram non bibet & omne immundum non manducabit ex utero matris sue.

III. KALENDAS IULIAS.

SANCTORUM PETRI ET PAULI.

Ingressa. Dicit Dominus Petro cum esses iunior cingebas te & ambulabas ubi volebas cum autem senueris extendes manus tuas & alius te cinget & ducet quo tu non vis hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum.

Psalmellus. Constitues eos principes super omnem terram memores erunt nominis tui Domine . . . .

[DOMINICA II. [DE ABRAHAM.]

[*Lectio libri Exodi.*]

...... **23** non pascantur e contra. Excidit ergo duas tabulas lapideas quales antea fuerant & de nocte consurgens ascendit in montem Sinai sicut præceperat ei Dominus portans secum tabulas· Cumque descendisset Dominus per nubem stetit Moises cum eo invocans nomen Domini. quo transeunte coram eo ait Dominator Domine Deus misericors & clemens patiens & multe miseracionis & verus qui custodis misericordiam in millia qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum in filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem. Festinusque Moises curvatus est pronus in terram & adorans ait· Si inveni gratiam in conspectu tuo Domine. obsecro ut gradiaris nobiscum populus enim dure cervicis est & auferas iniquitates nostras. atque peccata nosque possideas. Respondit Dominus ego inibo pactum videntibus cunctis signa faciam que numquam visa sunt super terram nec in ullis gentibus ut cernat populus iste in cuius es medio opus Domini terribile quod facturus sum ego : dicit Dominus omnipotens.

DOMINICA III, [DE CÆCO].

Lectio libri Exodi :

In diebus illis Locutus est Dominus ad Moisen dicens tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israel. Cum enim tulero gentes a facie tua & dilatavero terminos tuos ullus insidiabitur terre tue ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. Non immolabis super fermento sanguinem hostie mee neque residebit mane de victima sollemnitatis Phase. Primicias frugum terre tue offeres in domo Domini Dei tui non coques hedum in lacte matris sue. Dixitque Dominus ad Moisen. Scribe tibi verba hec quibus & tecum & cum Israel pepigi fedus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes panem **24** non commedit & aquam non bibit. & scripsit in tabulis verba federis decem. Cumque descenderet Moises de monte Sinai tenebat duas tabulas testimonii. & ignorabat quod cornuta esset facies sua. ex consorcio sermonis Dei· Videntes autem Aaron & filii Israel cornutam faciem Moisi timuerunt prope accedere : Vocatique ab eo reversi sunt tam Aaron quam principes sinagoge. & postquam locutus est venerunt ad eum etiam omnes filii Israel. Quibus præcepit cuncta que audierat a Domino. In monte Sinai. Impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam. Quod ingressus ad Dominum & loquens cum eo aufer[eb]at donec exiret. Tunc loquebatur ad filios Israel omnia quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciem egredientis Moisi esse cornutam sed operiebat rursus ille faciem suam si quando loquebatur ad eos. [Igitur congregata omni turba filiorum Israel dixit ad eos]. Hæc precepta que iussit fieri Dominus Deus noster.

DOMINICA IIII. [DE LAZARO].

Lectio libri Exodi.

In diebus illis. Locutus est Dominus ad Moisen dicens. Quid clamas ad me. Loquere filiis Israel ut proficiscantur· Tu autem eleva virgam tuam. & extende manum super mare & divide illud. ut egrediantur filii Israel per medium maris per sicum. Ego autem indurabo cor Egiptiorum & in omni exercitu eius. in curribus & in equitibus illius. Et scient Egipcii quia ego sum Dominus. cum glorificatus fuero in Pharaone & in curribus atque in equitibus eius. Tollensque se angelus Dei qui præcedebat castra Israel abiit post eos & cum eo pariter columna nubis priora dimittens post tergum stetit inter castra Egiptiorum & castra Israel. Et erat nubes tenebrosa inluminans noctem. ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent. Cumque extendisset Moises manum super mare. abstulit illud Dominus flante vento vehementi. & urente tota nocte illa & in sicum. divisaque est aqua. Et ingrsssi sunt filii Israel per medium maris sicci. **25** Erat enim aqua quasi murmur a dextra eorum & leva. persequentesque Æiipcii. ingressi sunt post eos. omnis equitatus Faraonis. currus eius & equites per medium maris. Iamque advenerat vigilia matutina & ecce respiciens Dominus super castra Egipciorum. per columnam ignis & nubis. interficit exercitum eorum. & subvertit rotas curruum ferebanturque in profundum. dixeruntque ergo Egipcii fugiamus Israhelem Dominus pro eis pugnat contra nos. Et ait Dominus ad Moisen. Extende manum tuam super mare ut reuertantur aquæ ad Ægipcios. super currus & equites eorum. Cumque extendisset Moises manum contra mare. reversum est primo diluculo ad priorem locum. fugientibusque Egipciis occurrerunt aque & involvit eos Dominus in mediis fluctibus. Reverseque sunt aque. & operuerunt currus & æquites cuncti exercitus Faraonis. qui sequentes ingressi fuerant in mare. nec unus quidem superfuit ex eis. filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris. & aque eis erant quasi pro muro a dextris & a sinistris. Liberavitque Dominus in die illo Israel de manu Ægipciorum. & viderunt Ægiptios mortuos super litus maris & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos. Timuitque populus Dominum. & crediderunt Domino & Moisi servo eius.

DOMINICA IN RAMIS OLIVARUM.

Lectio Esaie prophete.

In diebus illis. Locutus est Esaias ad Dominum dicens. Domine quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui revelatum est. & ascendit sicut virgultum coram eo. & sicut radix de terra sitienti. Non est ei species neque decor. & vidimus eum. & non erat ei aspectus. Et desideravimus eum despectum & novissimum virorum virum dolorum & scientem infirmitatem. & quasi absconditus vultus eius & despectus. unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros **26** ipse tulit & dolores nostros portavit. & nos puta[vi]mus eum quasi leprosum & percussum a Deo & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostre super eum & livore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus unusquisque a via sua declinavit. & Dominus posuit in eo iniquitates omnium nostrorum. Oblatus est quia ipse voluit & non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tundente obmutescet. & non aperiet os suum. De angustia & de iudicio sublatus est generacionem eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra vivencium. propter scelus populi percussit eum. & dabit impios pro sepultura & divitem pro morte sua eo quod iniquitatem non fecerit. neque dolus fuerit in ore eius. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longevum & voluntas Domini in manum eius dirigetur· Pro eo quod laboravit

anima eius. videbit & saturabitur. Et sciencia sua iusti[fi]cabit ipse iustus servus meus multos & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo disperciam ei plurimos. & forcium dividet spolia : Pro eo quod tradidit in mortem animam suam. & cum sceleratis reputatus est. Et ipse peccatum multorum tulit & pro transgressoribus rogavit ut non perirent. dicit Dominus omnipotens.

SABBATO IN PARASCEVE.

Lectio Actuum Apostolorum.

In diebus illis dicebat Petrus ad plebem· Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David quoniam sepultus est & sepultus & sepulchrum eius est apud vos. usque in hodiernum diem. propheta igitur cum esset & sciret quia iure[iu]rando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius. providens locutus est de resurreccione Christi quia neque derelictus est in inferno neque caro eius vidit corrupcionem. Hunc Ihesum resuscitavit Deus cui omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus & promissi- **27** one Spiritus Sancti accepta a Patre effudit hoc donum quod vos videtis & auditis. Non enim David ascendit in celum dicit autem ipse. Dixit Dominus Domino meo. sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos· scabellum pedum tuorum. Certissime ergo sciat omnis domus Israel quia & Dominum meum [*l.* eum] & Christum Deus fecit hunc Ihesum quem vos crucifixistis. His auditis compuncti sunt corde & dixerunt ad Petrum & ad reliquos apostolos. Quid faciemus viri fratres ? Petrus ad illos. penitenciam inquit agite. & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Ihesu Christi. In remissionem peccatorum. Et accipietis donum Spiritus Sancti.

DOMINICA IN PASCHA.

Lectio Actuum Apostolorum.

Primum quidem sermonem feci de omnibus o Theophile. que cepit Ihesus facere. usque in diem quo precipiens apostolis per Spiritum Sanctum quos elegit assumptus est. Quibus & prebuit seipsum vivum. post passionem suam in multis argumentis. per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei. et convescens præcepit eis ab Ierosolimis ne discederent. sed expectarent promissionem Patris. quam audistis inquit per os meum. Quia Ihoannes quidem baptizavit aqua. vos autem baptizamini Spiritum Sanctum. quam audistis inquit per os meum. Quia Iohannes quidem baptizavit aqua. vos autem baptizabimini Spiritu Sancto (1) non post [multos] hos dies. Igitur qui convenerant. interrogabant eum dicentes : Domine si in hoc tempore restitues regnum Israel ? Dixit autem eis. Non est vestrum nosse tempora vel momenta. que pater posuit in sua potestate. Sed accipietis virtutem supervenientis in vos Spiritus Sancti.

IN PENTECOSTEN.

Lectio Esaie Prophete (2).

In diebus illis. Dum complerentur dies Pentecosten. erant omnes discipuli pariter in eodem loco. Et factus est repente de celo sonus **28** tamquam advenientis spiritus vehementis. & replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertite lingue tamquam ignis seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. & ceperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. erant autem in Ierusalem habitantes Iudei. viri religiosi ex omni nacione que sub celo est. Facta autem [h]ac voce convenit multitudo & mente confusa est. Quoniam audiebat unusquisque linguam suam illos loquentes· Stupebant autem omnes & mirabantur dicentes· Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus. Parthi & Medi & Eleamitei & qui habitabant Mesopotamiam & Iudeam. & Cappadociam. Pontum & Asiam. Phrigiam & Pamphiliam Egiptum & partes Libie que est circa Cirenen & advene Romani. Iudei quoque & proseliti. Cretes & Arabes. audivimus loquentes eos nostris linguis magnalia Dei.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Lectio Apocalypsis beati Iohannis apostoli.

In diebus illis· Vidi civitatem sanctam Ierusalem novam descendentem de celo a Deo paratam. sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam. de throno dicentem· Ecce tabernaculum Dei cum hominibus & habitabit cum eis. Et ipse populus eius erit. & ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum & mors ultra non erit neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno ecce nova facio omnia.

CCCXIX

MISSA SANCTI SIGISMUNDI [PRO HIS] QUI FEBRICITANTUR.

O miseratio Dei [*ed.* omnipotentem Deum] qui per sanctos apostolos & martires suos diversa sanitatum dona largitur fratres karissimi deprecemur ut huic famulo suo ill. qui quartana[ru]m seu tercia[naru]m [febrium] vexacionem figuratur [*ed.* vexatione fatigatur] fidelis famuli sui Sigismundi precibus dum nobis illius **29** patefacit merita isti conferat medicinam. per. 1646

(1) Redundantia verba, prout in Codice leguntur, nimia forte scrupulositate ducti, servamus.

(2) In hunc titulum rite notatur inferiore margine, quod « sic scriptum est, » &, ut patet, per amanuensis oscitantiam, quæcumque sit, sive nempe titulum, sive lectionem ipsam transcribentis.

Super Sindonem.

Domine sancte Pater omnipotens eterne Deus qui contulisti fidelibus tuis remedium vite post mortem ut sanum esse senciat quibus paradisus patit· Præsta quæsumus. ut quod fideliter in nomine electi tui Sigismundi pro infirmantibus. petimus vel pro famulo tuo il. qui febrium patitur. modercia [*l.* molestia] celeri medicina consequatur. præsta ergo Domine ut quicumque sub conspectu nominis tui [nomen famuli tui] Sigismundi. & Desiderii episcopi. invocaret ad sanitatem pristinam. ex tua gratia semper venisset protinus senciat. per. 1647

Super Oblata.

Deus qui das horacionem oranti ac difusa iocunditatem benedictionem annos iusti. adesto quæsumus nobis supplicantibus famulis tuis atque hanc oblacionem quam in honorem nominis tui. & commemoracionem electi tui Sigismundi Desiderii episcopi & martires offerimus pro famulo tuo il. qui febrium laborabat : placatus ac benignus assumme. atque eius quæsumus salutiferam medicinam conferre digneris. per. 1648

Prefatio.

Dignum & iustum est. nomen sanctum tuum laudare. cuius maiestatem [*ed.* majestati tanto] magis obnoxii sumus. quantum illi pro suscepta nostri corporis humilitatem [*ed.* humilitate] debemus exemplum nobis relinquens ut sequamur vestigia eius : qui peccatum non fecit nec dolus non est inventus in ore eius. Quisnam eum in hoc mundo ita poterit sequi. ut nec dolus in ore eius nec peccatum inveni- **30** atur in opere. sed per pacienciam quod [*ed.* quam] Deus amat maiestas divina commendat· Nunc ergo Domine donum maiestatis tue agnoscimus. requiem esse homini pacifico. Tu namque omnipotens Deus qui inter bellatorum tam multis [*ed.* tumultus] examinancium persecutoris electo tuo Sigismundo. triumphum martirii contulisti ut dispensandum pauperibus pulsanti aperire dignatus es secutus gratiam. secutus misericordiam ut post mortem ostendat in virtute. quam ante mortem firmavit. In fide tua enim dona sunt Domine. ut in nomine dilecti tui Sigismundi. pro commemoracionem corporis & sanguine Domini nostri Ihesu Christi. tempestatem frigoris excucias febrium ardorem repellas. Et presente famulo tuo il. [*ed.* presentem famulum tuuum il.] ad sanitatem revocare digneris. per quem magestatem. 1649

Post Comm.

Domine sancte Pater eterne Deus qui benedictionis tue gratiam ægris infundendo criminibus (*ed.* corporibus) facturam tuam multiplici pietate custodis. ad invocacionem nominis tui Sigismundi regis benignus assiste. Ut hunc famulum tuum & liberatum egritudine & sanitate donatum dextera tua erigas virtute confirmes. potestate tuearis ecclesie tue [cum omni desiderata] prosperitate restituas per Dominum nostrum Ihesum. 1650

IN SANCTI PETRI.

Lectio Actuum Apostolorum.

In diebus illis misit Herodes rex manus ut affligeret quosdam de ecclesia. occidit autem Iacobum fratrem Iohannis **31** gladio. Videns autem quia placeret Iudeis. apposuit ut apprehenderet & Petrum. Erant autem dies azimorum. Quem cum apprehendisset misit in carcerem. tradens quatuor quaternionibus militum custodientes eum. volens post Pasca producere eum populo. Et Petrus quidem servabatur in carcerem. Oracio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes in ipsa nocte. erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus : & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus Domini astitit & lumen refulsit in habitaculo : percussoque lateræ Petri suscitavit eum dicens : Surge velociter ceciderunt catene de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum precingere & calcia te calligas tuas & fecit sic. Et dixit illi : circumda tibi vestimentum tuum. & sequere me. Et exiens sequebatur. & nesciebat quia verum est quod fiebat per angelum. estimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam. venerunt ad portam ferream quæ ducit ad civitatem que ultro aperta est eis. & exeuntes processerunt vicum unum. Et continuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reversus dixit. Nunc scio vere. quia misit Dominus angelum suum. & eripuit me de manu Herodis. & de omni expectacione plebis Iudeorum.

32 CCCXX

MISSA IN TRIBULATIONE.

Omnipotens & misericors Deus qui subvenis in periculis & necessitatibus laborantibus maiestatem tuam suppliciter exoramus ut mittere digneris sanctum angelum tuum ad (*ed.* qui) me famulum tuum in angustiis & necessitatibus laborantem consolationibus tuis attolat : Quibus & de præsenti consequar auxilium & eterna gaudia comprehendam. 1651

Super Sindonem.

Benedictio tua quæsumus Domine mihi famulo tuo copiosa descendat. Et quam subiectis cordibus expeto largiter consequar. per. 1652

Super Oblata.

Oblationes angustie Domine pro peccatis meis oblatas accipe quia in te confidimus vere prophetam dixisse. Immola Deo sacrificiam laudis redde Altissimo vota tua· Invoca me in die tribulationis tue & eruam te. 1653

Prefatio.

Vere dignum eterne Deus. Qui offensionibus servorum tuorum seu ancillarum iuste parcis & clementer ignoscis : præsta quæsumus Domine mihi famulo tuo indulgentiam peccatorum meorum & ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate : ut quia maiestatis tue flagella formido ab occultis reatibus tibi semper exepediar & manifestis expurger. Concede mihi benignissime Pater tue consolationis auxilium· Da mihi de tribulatione leticiam ut de mœrore convertas in gaudium & correptus ab iniquitate* & . . . . (1)

CCCXXI

33 XIII. DIE MENSIS NOVEMBRIS.

SANCTI ANTONINI.

Oratio super populum.

Maiestati tuæ nos quæsumus Domine beati martyris tui Antonini supplicatio veneranda conciliet· Ut qui incessabiliter actibus nostris offendimus. continuis eius precibus expiemur· per. 1657

Epistola et Evangelium require de martyr.

Super Sindonem.

Deus qui sanctam nobis huius diei sollemnitatem pro commemoratione beati martyris tui Antonini vel passione fecisti· Adesto familiæ tuæ præcibus & da ut cuius hodie festa celebramus. eius meritis & intercessionibus adiuvemur· per· 1658

Super Oblata.

Præsentia munera quæsumus Domine ita serena pietate intuere. ut Sancti Spiritus perfundantur benedictione· Et in nostris cordibus eam dilectionem validam infundant· per quam sanctus martyr Antoninus omnia corporis tormenta devicit· per· 1659

Prefatio.

Vere quia dignum & iustum est æquum & salutare· Te semper in laude martyrum honorare & in præsenti festivitate sancti martyris tui Antonini tibi confitenti gratias agere· Cui dedisti cælestis palmam triumphi. nobis quoque eo suffragante emundationem ac veniam concede peccati· Ut in te etiam exultemus in misericordia. in quo ille lætatur in gloria· per Christum. 1660

Post Comm.

Sumpsimus Domine sancti Antonini martyris sollemnitate cælestia sacramenta. Cuius suffragiis quæsumus largiaris **34** ut quod temporaliter gerimus æternis gaudiis consequamur· per. 1661

CCCXXII

XXVIII· DIE MENSIS NOVEMBRIS.

SANCTORUM GRISANTI ET DARI[Æ].

Beatorum martyrum Domine Grisanti & Dariæ nobis adsit oratio· Ut quos obsequio veneramur. pio iugiter expiemur auxilio· per. 1662

Epistola et Evangelium require in plurim. martyr.

Super Sindonem.

Præsta Domine quæsumus ut sicut sanctorum tuorum Grisanti & Dariæ natalicia celebranda non desunt ita iugiter suffragiis committentur· per. 1663

Super Oblata.

Populi tui Domine quæsumus tibi grata sit hostia quæ sanctorum martyrum tuorum Grisanti & Dariæ sollemnitatibus immolatur· per. 1664

Prefatio.

Vere dignum. Æterne Deus· qui sanctorum martyrum tuorum Grisanti & Dariæ certamina ad copiosam perducis victoriam. atque perpetuum largiris triumphum. ut in exemplum ecclesiæ tuæ per innumera proficiat sæcula. Præsta nobis per eorum quorum festa celebramus intercessionem tuæ pietatis æterno perfrui auxilio· per. 1665

Post Comm.

Animæ nostræ quæsumus omnipotens Deus. hoc potiantur desiderio ut a tuo Spiritu inflam-

(1) Interruptam, folio avulso, Præfationem istam & reliqua iam supplemus e consimili precum argumento Missalis ambrosiani Mediolanum impressi an. 1522, ubi, f° 242. legitur « *Missa sacerdotis pro tribulationibus suis,* » hucusque tam arcte cum bergomensi nostra consentiens, ut nullus sit ambigendi locus eamdem usque in finem concordiam perseverasse.

Prefatio.

Vere dignum. eterne Deus. Qui offensionibus. &c. Da mihi de tribulatione letitiam : ut de merore convertar in gaudium & correptus ab iniquitate : * cessatio fiat a verbere. Et qui iuste pro peccatis meis affligor : intercedentibus sanctis tuis, mihi tribue spiritum corrigendi : ut celerius in tua misericordia valeam respirare. Et quem iuste verberum multitudo facit afflictum : abundantia remediorum faciat consolatum. Que me quoque ab humanis retrahat semper excessibus : & ad salutaria gaudia perducat. Per Christum. 1654

Infra canonem.

Hanc igitur oblationem, Domine : quam tibi offerimus hodie pro necessitate & tribulatione mea : pius ac propitius clementi vultu suscipias. Ut qui de meritorum qualitate diffido : non iudicium sed indulgentiam sentiam : & de adversis prospera percipiam : quatenus ab omni impugnatione defensus : tua preveniente misericordia, pietatis tue gratiam adipiscar. Diesque. 1655

Post Comm.

Muneribus divinis perceptis quæsumus, Domine : & devotionem meam confirmes in bono : & mittas mihi auxilium de sancto : & de Syon tuearis me. Per. 1656

mentur· Ut sicut lampades divino munere satiati ante conspectum venientes Christi Filii tui velut clara luminaria fulgeamus· per eundem. 1666

CCCXXIII

35 IN DIE NATALIS DOMINI.

MISSA SANCTÆ ANASTASIÆ.

Da quæsumus omnipotens Deus· Ut qui beatæ Anastasiæ martiræ sollemnia colimus. eius apud te patrocinia sentiamus· per. 1667

Super Sindonem.

Da quæsumus omnipotens Deus· Ut qui nova incarnatione Verbi tui luce perfundimur. hoc in nostro resplendeat opere. quod per fidem fulget in mente· per eundem. 1668

Super Oblata.

Accipe quæsumus Domine munera dignanter oblata· Et beatæ Anastasiæ suffragantibus meritis ad nostræ salutis auxilium provenire concede· per. 1669

Post Comm.

Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris· Eius quæsumus semper interventione nos refove. cuius sollemnia celebramus· per. 1670

CCCXXIV

ORATIO ANTE ALTARE.

Rogo te Altissime Deus Sabaoth Pater Sancte. ut me tunica castitatis digneris accingere. & meos lumbos balteo tui timoris ambire. renes cordis mei tuæ caritatis igne urere. ut pro peccatis meis possim intercedere. & astantibus veniam peccatorum (1) promereri ac pacificas singulorum hostias immolare. Me quoque audacter accedentem non sinas perire sed dignare lavare ornare clementer suscipere per Ihesum Christum. 1671

Alia.

Indignum me Domine sacris tuis altaribus esse fateor qui innumeris cottidie peccatis fuscor **36**
Quid ego te blandis verbis rogare præsumo quem improbis sepissime factis offendo· Tu enim mihi medicinam ingeris egro· ego sanitati mee contraria ago· Legem tuam sacris inditam lego· Ad tuum quidem altare quasi devotus accedo sed a preceptis tuis contumaci corde recedo. Da ergo mihi cor compunctum quod veraciter hodio habeat peccatum· Meum est si donaveris delicta deflere. tuum est ea ut nubem cito delere. Ut licet palmam amiserim inimico fraudante ad veniam saltim perveniam te miserante· per. 1672

Alia.

Iniquitates meas & propinquorum ac familia-r[i]um meorum seu cunctorum fidelium vivorum atque defunctorum ne respicias omnipotens Deus sed omnia meorum scilicet & ipsorum vincula peccatorum miseratio tue pietatis absolvat· per Christum. 1673

ORATIO AD MUN[US] O[BLATUM]

Omnipotens sempiterne Deus placabilis & acceptabilis sit tibi hec oblatio quam ego indignus pro me peccatore & delictis meis innumerabilibus. tue pietati offero ut veniam & remissionem omnium peccatorum meorum mihi concedas & iniquitates meas ne respexeris sed sola tua misericordia mihi prosit indigno. Per Christum. 1674

(1) Cf. supra, n° 1623.

CAPITULARIA

LECTIONUM, EPISTOLARUM ET EVANGELIORUM.

I

CAPITULARE LECTIONUM.

Lectiones ante *Psalmellum,* ambrosiano ritu fieri solitæ, Codici Bergomensi cum desint, exceptis his quæ modo descripsimus fragmentis, operæ pretium duximus, quo pleniorem Ambrosianæ missæ notitiam Liturgiarum studiosis patefaceremus, uniuscuiusque pericopes cuique diei propriæ, juxta codicem sæculi XII, bibliothecæ Præfecti SS. Cæremoniarum in Ecclesia metropolitana mediolanensi, peculiares tantum continentem hasce Lectiones, saltem initium ac finem recensere. Librum istum *Lectionum* Franciscus Castello, — quod ipse manu propria prodit, — Ecclesiæ mediolanensis ordinarius, anno Domini fere MDCLXV, vili pretio sibi comparatum « a quodam bibliopola qui iam decreverat, eo prius foliatim destructo, in usus alteros consuere », « pluribus in locis emendavit » Nos certe notas in margine Lectionibus passim appositas, pro re nata, curavimus hic exscribendas, quandoquidem nullum alium huiusmodi codicem, nullibi, quod sciamus, nec in ipsis Ambrosianæ Bibliothecæ pluteis, invenire sit. Unde docto viro Magistretti, qui nobiscum istum codicem humanissime communicavit, jure merito debitam gratiam amanter & memori mente persolvimus.

f. I. DOMINICA I DE ADVENTU.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LI. 1-9.) Hæc dicit Dominus Deus : Audite me, audite populus meus...
...& justitia mea in generationes generationum, dicit Dominus omnipotens.

f. I'. DOMINICA II DE ADVENTU.

Lectio Hieremiæ prophetæ. (Baruch. IV. 36-37 & V.) Hæc dicit Dominus : Circumspice ad Orientem...
...cum misericordia & justitia quæ ab ipso est, dicit Dominus omnipotens.

f. II. DOMINICA III DE ADVENTU.

Lectio Esaiæ prophetæ. (XXXV.) Hæc dicit Dominus Deus : Lætabitur deserta...
...lætitia sempiterna super capita eorum, dicit Dominus omnipotens.

f. III. DOMINICA IV DE ADVENTU.

Lectio Esaiæ prophetæ. (XL. 1-11.) Consolamini, consolamini populus meus...
...ipse portabit & consolabitur, dicit Dominus omnipotens.

f. IV'. DOMINICA V DE ADVENTU.

Lectio Malachiæ prophetæ. (Michææ, V. 2 & Malachiæ III. 1-5 a, 6-7.) Hæc dicit Dominus Deus omnipotens. Et tu Bethleem Efrata, parvulus es in milibus Iuda (1)...
...revertimini ad me & revertar ad vos dicit Dominus omnipotens.

(1) *In margine legitur : Ab hoc signo* ¶ [Ecce ego mittam angelum] *usque ad aliud* ¶ [Et accedam ad vos in iudicio] *convenit in festo Purificationis.*

f. IV'. DOMINICA VI DE ADVENTU.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XLIV. 1-15.) In diebus illis, Locutus est Ezechiel propheta dicens : Convertit me angelus...
...ut offerant mihi adipem & sanguinem, dicit Dominus omnipotens.

f. VI. IN SANCTÆ MARIÆ.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LXII. 8-12 & LXIII 1-4.) Si correxeris te Yerusalem & feceris exultationem...
...annus redemptionis meæ venit dicit Dominus omnipotens.

f. VII. IN VIGILIA NAT. DOMINI.

(*I*) *Lectio Esaiæ prophetæ.* (VII. 10-17 & VIII 4.) In diebus illis, adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens :...
...& spolia Samariæ coram rege Assyriorum.

f. VIII. *II. Lectio libri Judicum.* (XIII. 2-9.) In diebus illis. Erat vir quidam de Saraa, & de stirpe Dan, nomine Manue.
... Exaudivitque Dominus precantem Manue.

f. VIII'. *III. Lectio libri Genesis.* (XV. 1-10 a.) In diebus illis. Factus est sermo Domini ad Abram dicens : Noli timere Abram Ego protector...
... Qui tollens universa hæc fecit sicut præceperat ei Dominus.

f. IX. *IV. Lectio libri Regum.* (I Reg. I. 7b-17.) In diebus illis tristis erat Anna & non capiebat cibum...
·.. & Deus I. det tibi petitionem quam rogasti eum.

f. X. IN DIE NAT. DOMINI.

Lectio Esaiæ prophetæ. (IX. 1-7.) Primo tempore alleviata est...
... amodo & usque in sempiternum dicit Dominus.

f. XI. IN SANCTI STEPHANI.

(*In margine : Primicerius lectorum*).

Lectio Actuum Apostolorum. (VI. 8-15, VII, VIII. 1-4.) In diebus illis Stephanus plenus gratia & fortitudine...
... Igitur qui dispersi erant pertransiebant evangelizantes Verbum Dei.

f. XII'. IN FESTIVITATE SANCTI STEPHANI, *in ecclesia Yemale ; — et in ecclesia æstiva,* SABBATO ALBIS DEPOSITIS : *require* IN L[ETANIIS DIE 2°] AD S. AGATHAM. (f. CVII'.) *Lectio Esaiæ prophetæ.* (LXI. 10.) In diebus illis, dixit Esaias : Gaudens gaudebo... indumento iustitiæ circumdedit me.

f. XII' IN SANCTI IOHANNIS EVANGELISTÆ, *require* DIE II DE LETANIIS.

Lectio Epistolæ beati apostoli et evangelistæ Iohannis. f° CIX : Quod fuit ab initio quod audivimus. (I Ioh. I. 1-10, II. 1-17.)

f. XIII. INNOCENTUM.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XXXI. 15-20.) Hæc dicit Dominus Deus : Vox in Rama audita est lamentationis, fletus...
... miserans miserebor eius dicit Dominus omnipotens.

f. XIII'. IN SANCTI IACOBI APOSTOLI.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LII. 1-10.) Consurge consurge induere fortitudine...
... & videbunt omnes fines terræ salutare De nostri...

f. XIV. DOMINICA I POST NATALE DOMINI.

Lectio Esaiæ prophetæ. (VIII. 9-10.) In diebus illis dixit Esaias : Nobiscum Deus scitote gentes..,
... a Domino exercituum qui habitat in monte Syon.

f. XV. IN OCTAVA DOMINI.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (Baruch, VI. 1-2, Hierem. LI. 47-48, 58, Baruch, 3-6.) Hæc dicit Dominus Deus : Propter peccata vestra quæ peccastis ante Dominum...
... Angelus enim meus vobiscum est, dicit Dominus omnipotens.

f. XV' IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

I. Lectio Esaiæ prophetæ. (XLIX. 8-13.) Hæc dicit Dominus Deus : In tempore placito exaudivi te & in die salutis...
... & pauperum suorum miserebitur.

f. XVI. *II. Lectio libri Regum.* (IV Reg. II. 1-12.) In diebus illis, Cum levare vellet Dominus Heliam per turbinem...
... & non vidit eum amplius.

f. XVII. *III. Lectio libri Numeri.* (XXIV. 15-25.) In diebus illis, Sumpta parabola Balaam hæc locutus est : Dixit Balaam filius...
... surrexit que Balaam & reversus est in locum suum.

f. XVIII. *IV. Lectio libri Regum.* (IV Reg. VI. 1-7.) In diebus illis, Dixerunt Filii Prophetarum ad Heliseum : Ecce locus in quo habitamus...
... qui extendit manum & tulit illud.

f. XVIII'. IN EPIPHANIA DOMINI.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LX. 1-6.) In diebus illis, Dixit Esaias : Surge, illuminare, Hierusalem quia...
... & laudem Domino annuntiantes.

f. XIX. IN PURIFICATIONE SANCTÆ MARIÆ.

Lect. require DOMINICA POST NATALE DOMINI. (Isaiæ, VIII, 9-19.) Nobiscum Deus scitote gentes (f. XIV).

f. XIX. DOMINICA IN SEPTUAGESIMA.

Lectio Malachiæ prophetæ. (III. 7-12, 13-18. IV. 1-2.) Hæc dicit Dominus Deus : Revertimini ad me & revertar ad vos...

... & sanitas in pennis eius, dicit Dominus omnipotens.

f. XX. DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LXI. 1-4, LXII. 11-12.) Hæc dicit Dominus Deus : Spiritus Domini super me, eo quod unxit me...
... & vocabunt eos populus sanctus redempti a Domino Deo nostro.

f. XX'. DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

Lectio libri Numeri. (XX. 2-13.) In diebus illis Convenerunt filii Israel ad Moysen & Aaron, & universi in seditione...
... Israel contra Dominum & sanctificatus est in eis.

f. XXI'. DOMINICA III POST EPYPHANIAM.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XXXVII. 19-26.) Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego assumam filios Israel de medio nationum...
... sanctificationem meam in medio eorum & in perpetuum, dicit Dominus omnipotens.

f. XXII. DOMINICA IV POST EPIPHANIAM DOMINI.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XXXIII. 14-22.) Hæc dicit Dominus Deus : Ecce dies venient & suscitabo verbum meum...
... & levitas ministros meos, dicit Dominus omnipotens.

[*In margine :* DOMINICA SEPTUAGESIMÆ. *Require supra folio* XIX.]

f. XXII'. DOMINICA IN SEXAGESIMA.

Lect. REQUIRE DIE I DE LETANIIS, AD SANCTUM SIMPLICIANUM : Convertimini ad me. (Iohelis II, 12-21.) f. XCII'.

f. XXII'. DOMINICA IN QUINQUAGESIMA.

Lectio Zachariæ prophetæ. (VII. 5-14 ; & VIII. 1-3.) Hæc dicit Dominus Deus : Loquere ad omnem populum terræ & ad sacerdotes dicens...
... & mons Domini exercituum, mons sanctificatus, dicit Dominus omnipotens.

f. XXIII'. DOMINICA IN CAPITE QUADRAGESIMÆ.

Lect. require DIE II LETANIARUM, AD SANCTUM DIONISIUM. (Esaiæ LVII, 21 ; & LVIII. 1-12.) Non est gaudere impiis... f. CII.

f. XXIII'. FERIA II. EBDOMAD. I. DE QUADRAGESIMA.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XXXIV. 10-17.) Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse requiram oves meas & visitabo illas...
... & pascam illas in iudicio & iustitia dicit Dominus omnipotens.

f. XXIV. FERIA III.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LV. 6-11.) In diebus illis Locutus est Esaias propheta dicens : Quærite Dominum dum inveniri...
... & prosperabitur in his ad quæ misi illud, ait Dominus omnipotens.

f. XXIV'. FERIA IV.

Lectio libri Exodi. (XXIV. 12-18.) In diebus illis Dixit Dominus ad Moysen : Ascende ad me in montem...
... & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

f. XXV. FERIA V.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XVIII. 1-9.) In diebus illis Factus est sermo Domini ad me dicens : Quid est hoc quod inter vos...
... hic iustus est vita vivet, ait Dominus omnipotens.

f. XXVI. IN VIGILIA PRIMA.

I. Lectio libri Deuteronomii. (I. 3-11.) In diebus illis. Locutus est Moyses filiis Israel omnia quæ præceperat illi Deus ut diceret eis. Postquam percussit...
... multa milia & benedicat vos sicut locutus est vobis Dominus Deus noster.

f. XXVI'. *II. Lectio libri Regum.* (I Reg. XII. 1-11.) In diebus illis : Locutus est Samuhel ad universam domum Israel, dicens : Ecce audivi vocem vestram...
... & habitastis confidenter : quia protexit vos Dominus Deus noster.

f. XXVII'. *III. Lectio libri Exodi.* (III. 1-12.) In diebus illis : Pascebat Moyses oves Iethro...
... Cum eduxeris populum meum de Egypto, immolabis Deo super montem istum.

f. XXVIII'. *IV. Lectio libri Regum.* (III Reg. 5-14.) Apparuit Dominus Salomoni per somnium nocte dicens : Postula quod vis ut dem tibi...
... sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.

f. XXIX. SABBATO I DE QUADRAGESIMA.

Require DOMINICA I DE ADVENTU. *Lect.* (Esaiæ LI. 1-9.) Audite me, audite populus meus. (f. I.)

f. XXIX'. DOMINICA I DE QUADRAGESIMA.

Lectio libri Exodi. (XX. 1-25.) In diebus illis : Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te... non habebis deos...
... veniam ad te & benedicam tibi dicit Dominus omnipotens.

f. XXX'. FERIA II. EBDOMAD. II.

Lectio Danihelis prophetæ. (IX. 15-19.) In diebus illis : Oravit Danihel dicens : Domine Deus noster qui eduxisti populum tuum...
... quia nomen tuum invocatum est super civitatem hanc & super populum tuum, Domine Deus noster.

f. XXXI. FERIA III.

Lectio libri Regum. (III Reg. XVII. 8-16.) In diebus illis : Factum est sermo Domini ad Heliam Thesbitem...
... nec lechitus olei est imminutus juxta verbum Domini quod locutus est in manu Heliæ.

f. XXXII. FERIA IV.

Lectio libri Hester. (XIII. 9-17.) In diebus illis : Oravit Hester ad Dominum dicens : Domine Deus rex omnipotens in tua ditione...
... & ne perdas ora canentium te Domine Deus noster.

f. XXXII'. FERIA V.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XVII. 5-11.) Hæc dicit Dominus : Maledictus homo qui confidit in homine...
... & juxta fructum adinventionum suarum dicit Dominus omnipotens.

f. XXXIII. IN VIGILIA II.

(I) Lectio libri Regum. (III Reg. XVIII. 21-40.) In diebus illis : Accedens Helias ad omnem populum ait : Usquequo claudicatis in duas partes...
... duxit eos Helias ad torrentem Cison & interfecit eos ibi.

f. XXXIV'. *II. Lectio libri Levitici.* (XXVI. 2-13.) Locutus est Dominus ad filios Israel dicens : Ego sum Dominus Deus vester. Si in præceptis meis...
... Et eduxi vos cum honore, dicit Dominus omnipotens.

f. XXXV. *III. Lectio libri Regum.* (I Reg. II. 26-35.) In diebus illis puer Samuhel proficiebat atque crescebat &...
... & ambulabit coram Christo meo cunctis diebus, dicit Dominus omnipotens.

f. XXXVI. *IV. Lectio Deuteronomii.* (V. 1-22a) In diebus illis : Vocavit Moyses omnem Israelem & dixit ad eum : Audi Israel cerimonias...
... & universa quæ illius sunt. Hæc verba locutus est ad omnem synagogam vestram Dominus Deus noster.

f. XXXVII'. SABBATO II DE QUADRAGESIMA.

Lect. require DIE I DE LETANIIS : AD SANCTUM MARTINUM. (Isaiæ. XXXI. 9 & XXXII. 1-8.) Hæc dicit Dominus Deus : Beatus homo qui habet semen... (f. XCVII.)

f. XXXVII' DOMINICA II.

Lectio libri Exodi. (XXXIV. 1-10.) In diebus illis. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Fac tibi duas tabulas...
... opus Domini terribile quod facturus sum ego dicit Dominus omnipotens.

f. XXXVIII'. FERIA II. EBDOMAD. III.

Lectio libri Regum. (IV Reg. V. 1-15.) In diebus illis. Naaman princeps militiæ...
... Vere scio quod non est alius Deus in universa terra, nisi tantum Dominus Deus Israel.

f. XL. FERIA III.

Lectio libri Regum. (IV Reg. IV. 1-7.) In diebus illis. Mulier quædam clamabat ad Heliseum prophetam dicens : Servus tuus vir meus mortuus est...
... tu autem & filii tui vivite de reliquo.

f. XL'. FERIA IV.

Lectio libri Exodi. (XX. 12-24.) Hæc dicit Dominus Deus : Honora patrem tuum & matrem tuam...
... in quo memoria fuerit nominis mei, dicit Dominus omnipotens.

f. XLI'. FERIA V.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (VII. 1-8.) In diebus illis : Factum est verbum Domini ad me dicens : Sta in porta...
... quam dedi patribus vestris a sæculo & usque in sæculum dicit Dominus omnipotens.

f. XLII. IN VIGILIA III.

Prima. Lectio libri Regum. (XVI. 1-13.) In diebus illis. Locutus est Dominus ad Samuelem dicens : Usquequo tu luges Saul.
... & directus est Spiritus Domini in David a die illa & in reliquum tempus.

f. XLIII. *II. Lectio Deuteronomii.* (VI. 3-20.) In diebus illis. Locutus est Moyses ad omnem cetum filiorum Israel dicens : Audi Israel...
... omnes inimicos tuos coram te sicut pollicitus est tibi Dominus Deus noster.

f. XLIV. *III. Lectio libri Regum.* (III Reg. VIII. 22-30.) In diebus illis. Stetit Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel...
... & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, propitius eris Domine Deus noster.

f. XLIV'. *IV. Lectio libri Deuteronomii.* (IV. 1-9.) Locutus est Moyses ad omnem catervam filiorum Israel dicens : Audi Israel præcepta...
... Custodi igitur temetipsum sollicite & animam tuam...

f. XLV'. SABBATO III IN QUADRAGESIMA.

Lect. require DIE PRIMO DE LETANIIS : AD SANCTUM VINCENTIUM. f. XCVII'. (*Ezechielis*, XX. 2-11.) Factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis loquere senioribus...

f. XLV'. DOMINICA III DE QUADRAGESIMA.

Lectio libri Exodi. (XXXIV. 23-35, XXXV. 1.) In diebus illis. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Tribus temporibus...
... Hæc sunt præcepta quæ iussit fieri Dominus Deus noster.

f° XLVI'. FERIA II. EBDOMAD. IV DE QUADRAGESIMA.

Lectio libri Regum (III. Reg. III. 16-28.) In diebus illis. Venerunt due mulieres meretrices ad regem Salomonem...

... videntes sapientiam Dei esset in eo ad faciendum iudicium.

fº XLVII'. FERIA III.

Lectio libri Exodi. (XXXII. 7-14.) In diebus illis. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Descende de monte quia peccavit...
... & misertus est populo suo Dominus Deus noster.

fº XLVIII'. FERIA IV.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XXXVI. 23-28.) Hæc dicit Dominus Deus : Sanctificabo nomen meum magnum ut sciant gentes...
... & ero vobis in Deum : dicit Dominus omnipotens.

fº XLIX. FERIA V.

Lectio libri Regum. (IV. Reg. IV. 25-38.) In diebus illis. Venit mulier Sunamitis ad Heliseum virum Dei in monte Carmeli...
... Tulitque filium suum & egressa est. Heliseus vero reversus est in Galgala.

fº L. IN VIGILIA IV.

I. Lectio libri Regum. (I. Reg. XII. 1-14.) In diebus illis. Locutus est Samuhel ad universum Israel dicens : Ecce audivi vocem vestram...
... & rex qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum.

f. LI. *II. Lectio libri Exodi.* (XXXIII. 11-23.) In diebus illis : Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut loqui solet homo ad amicum suum...
... faciem autem meam videre non poteris, dicit Dominus omnipotens.

f. LII. *III. Lectio libri Regum.* (IV. Reg. IV. 8-38.) In diebus illis. Cum transiret Helysæus per Sunamitem. erat autem ibi mulier magna...
... tulitque filium suum & egressa est, Helysæus vero reversus est in Galgala.

f. LIV'. *IV. Lectio libri Deuteronomii.* (XXVII. 4-26, XXVIII. 1-11.) In diebus illis. Locutus est Moyses ad omnem synagogam filiorum Israel dicens : Cum transieris Israel Iordanem...
... & habundare faciet te omnibus bonis Dominus Deus noster.

f. LV. SABBATO IV.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XI. 15-20.) In diebus illis. Factum est Verbum Domini ad me dicens : Filii hominis fratris tui viri propinqui...
... faciantque ea ut sint mihi in populum & ego sim eis in Deum, dicit Dominus omnipotens.

f. LV'. DOMINICA IV DE QUADRAGESIMA.

Lectio libri Exodi. (XIV. 14-31.) In diebus illis. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel ut proficiscantur...
... Timuitque populus Dominum & crediderunt Domino & Moysi servo eius.

f. LVII. FERIA II. EBDOMAD. V.

Lectio Ionæ prophetæ. (III. 1-10.) In diebus illis. Factum est verbum Domini ad Ionam prophetam secundo dicens : Surge & vade...
... conversi sunt de via sua mala & misertus est populo suo Dominus Deus noster.

f. LVII'. FERIA III.

Lectio Danihelis prophetæ. (XIV. 28-42.) In diebus illis. Congregati sunt Babylonii ad regem & dixerunt ei : Trade nobis Danihelem...
... qui liberavit Danihelem de lacu leonum.

f. LVIII'. FERIA IV.

Lectio libri Levitici. (XIX. 11-19.) In diebus illis. Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Ego sum Dominus Deus vester : Non facies furtum...
... Leges meas custodite. Ego enim sum Dominus Deus vester.

f. LIX. FERIA V.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XVII. 13-19.) In diebus illis. Dixit Yeremias : Domine omnes qui te derelinquunt confundentur...
... induc super eos diem afflictionis & duplici contritione contere eos Domine Deus noster.

f. LIX'. IN VIGILIA VI. (*sic*) (1)

(1) Oscitanter forte παρασκευήν hanc Sabbati in traditione symboli « sextam » computavit amanuensis, qui, re verâ, « quintam » scribere debuit, ut antecedentium dierum ordinem breviter perstringenti patebit. Ita procedit ordo :

Dominica in Capite Quadragesimæ.
Fer. II, III, IV, V, ebdomadæ I de Quadragesima.
In Vigilia I.
Sabbato I de Quadragesima.
Dominica I de Quadragesima. (de Samaritana.)
Fer. II, III, IV, V, ebdomadæ II de Quadragesima.
In Vigilia II.
Sabbato II de Quadragesima.
Dominica II de Quadragesima. (de Abraham.)
Fer. II, III, IV, V, ebdomadæ III de Quadragesima.
In Vigilia III.
Sabbato II de Quadragesima. (de Cæco.)
Dominica III de Quadragesima (de Cæco.)
Fer. II, III, IV, V, ebdomadæ IV de Quadragesima.
In Vigilia IV.
Sabbato IV. (de Lazaro.)
Dominica IV de Quadragesima (de Lazaro.)
Fer. II, III, IV, V, ebdomadæ V de Quadragesima.
In Vigilia (V).
Sabbato (V) (in Ramis olivarum, in Traditione Symboli).
Dominica (V) in Ramis olivarum.
Hebdomada (VI) Authentica.

Huius occasione schematis, abs re non erit hic animadvertere modum olim usitatum, ambrosiano more,

(*I*) *Lectio Deuteronomii.* (VIII. 1-7.) In diebus illis. Locutus est Moyses ad omnem populum Israel dicens ad eum : Audi Israel omne mandatum quod ego...
... Ipse enim introducet te in terram bonam, sicut locutus est tibi Dominus Deus noster.

f. LX. *II. Lect. require* IN PRIMA VIGILIA QUADRAGESIMÆ : In diebus illis. (f. XXVI. *Deuteron. I. 3-11.*)

f. LX. *III. Lectio libri Regum.* (III. Reg. XVII. 9-24.) In diebus illis. Factus est sermo Domini ad Heliam Thesbitem dicens : Surge & vade in Sarrepta...
... & verbum Dómini in óré tuo vérúm est.

f. LXI'. *IV. Lectio libri Exodi.* (IV. 10-20.) In diebus illis. Locutus est Moyses ad Dominum dicens : Obsecro, Domine. non sum eloquens...
... mortui sunt enim omnes qui quærebant animam meam.

f. LXII. SABBATO IN TRADITIONE SYMBOLI.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XXXVI. 22-28.) Hæc dicit Dominus Deus. Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum...
... & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum : dicit Dominus omnipotens.

f. LXII'. DOMINICA IN RAMIS OLIVARUM.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LIII. 1-12.) In diebus illis. Locutus est Esayas ad Dominum dicens : Domine quis credidit auditui nostro...
... & pro transgressoribus rogavit ut non perirent, dicit Dominus omnipotens.

f. LXIII'. FERIA II IN AUTENTICA.

Lectio Esaiæ prophetæ. (L. 5-10.) In diebus illis. Dixit Esaias : Dominus Deus aperuit michi aurem, ego autem non contradico...
... Speret in nomine Domini & innitatur super Domino Deo suo.

f. LXIV. FERIA III IN AUTENTICA.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XI. 18-20.) In diebus illis. Dixit Yeremias : Domine demonstrasti michi & cognovi...
... tibi enim revelavi causam meam.

f. LXIV. FERIA IV IN AUTENTICA.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LXII. 11-12, LXIII. 1-7.) Hæc dicit Dominus Deus : Dicite filiæ Syon : ecce Salvator tuus veniet...
... laudem Domini super omnibus quæ reddidit nobis Dominus Deus noster.

f. LXIV'. FERIA V. IN AUTENTICA.

Lectio I. Require DIE III DE LETANIIS : AD SANCTAM EUFIMIAM : (*Danihel.* XIII. 1-64.) Erat vir habitans in Babilone & nomen ei Ioachim. (f. CXI.)

f. LXIV'. *II. Lectio libri Sapientiæ.* (II. 1, 12-25, III. 1-8.) In diebus illis. Dixerunt impii Iudei ad semetipsos : Circumveniamus virum iustum...
... & dominabuntur populis & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

f. LXV'. EADEM DIE. AD MISSAM, QUANDO CHRISMA CONFICITUR.

Lect. require DIE II DE LETANIIS (f. CIV) AD SANCTUM STEPHANUM. (Ion. I-IV.) Factum est Verbum Domini ad Ionam filium Amathi dicens...

f. LXV'. FERIA VI. MANE.

I. Lectio Esaiæ prophetæ (L. 24-26, LI. 1-11.) Hæc dicit Dominus Deus. Si quis captivum duxerit gigantem, accipiet spolia...
... in doloribus dormietis : dicit Dominus omnipotens.

f. LXVII. *II. Lectio Esaiæ prophetæ.* Hæc dicit Dominus Deus : Ecce levo ad populum manum meam (Esaiæ XLIX. 22), & auferam iudicium meum quia dum extenderint ad me manus suas, non exaudiam eos, quia manus eorum sanguine pollutæ sunt. Clamore magno insurrexerunt super me, & velut leo in silva dederunt super me voces suas. Virum dolorum (Esaiæ LIII. 3-8.)... & de iudicio sublatus est. Post hæc induam cælum tenebris (Esaiæ L. 4.), & lapides movebuntur de loco suo. Et conteram portas æreas, & vectes ferreos confringam (Esaiæ XLV. 2). Et convertam faciem meam ad gentes, & extendam manum meam & liberabo eos, & eripiam de manibus malorum, dicit Dominus omnipotens.

f. LXVII'. *III. Lectio Zachariæ prophetæ* (XI. 12-17, XII, XIII. 1-9). Hæc dicit Dominus Deus. Si bonum est in oculis vestris afferte mercedem meam...
... Et probabo eos sicut probatur aurum. Ipse invocabit nomen meum & ego exaudiam eum. Dicam : Populus meus es : & ipse dicet Dominus Deus noster.

f° LXIX'. AD VESPERUM.

(*I.*) *Lectio Danihelis prophetæ* (III. 1-24.) In diebus illis. Nabuchodonosor rex fecit statuam auream...
... & ambulabant in medio flammæ laudantes Deum & benedicentes Dominum.

ferias ordinandi, non equidem a Dominica præeunte cæteros hebdomadæ dies pronuntiando sed ad subsequentem, quod utique, labentibus annis, tandem obsolevit, nova consuetudine pervulgata scilicet Dominicam in Capite Quadragesimæ cæteris adnumerandi, ipsamque proinde « primam » denominandi, & ita porro. Iuxta vero rationem antiquam ferias in ordine ad Dominicam subsequentem recensendi, προεόρτια diei Dominicæ magis arcte sibi cohærent, id est omnino connectitur Vigilia, sive parasceve Sabbati cum Sabbato, Sabbatumque cum Dominica, quod quantum antiquitatem sapit nemo non videt.

f° LXXI'. *II. Sequentia Danihelis prophetæ.* (III, 91-100.) Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit & surrexit propere & ait obtimatibus suis Nonne tres viros...
... & potestas eius in generationem & generationem.

f° LXXII'. IN SABBATO SANCTO. MANE.

Prima. Lectio libri Geneseos. (VI, 9-22. VII, 6, 11-14, 18-21, 23-24. VIII. 1-31, 6-12, 15-21.) Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis...
... odoratusque est Dominus odorem suavitatis.

f° LXXV'. *II. Lectio libri Genesis.* (I. 1-31, II. 1-3). In principio creavit Deus cœlum & terram...
... & benedixit diei septimo & sanctificavit illum.

f° LXXVII'. *III. Lectio libri Genesis* (XXII, 1-19.) In diebus illis. Temptavit Deus Abraham & dixit ad eum : Abraham...
... abierunt que Bersabee simul & habitaverunt ibi.

f. LXXVIII'. (*IV.*) *Lectio libri Exodi.* (XII 1-12.) In diebus illis. Locutus est Dominus ad Moysen & Aaron in terra Ægypti : Mensis iste vobis principium...
... est enim Phase, id est Transitus Domini.

f. LXXIX'. *V*[*I*]. *(in margine legitur : Hic venit V Lectio quæ est in folio sequenti).*

Lectio Esaiæ prophetæ. (XXXIV. 17 b. XXXV. 1-11). Hæc dicit Dominus Deus. Hæc est hæreditas servorum meorum & iustitia eorum apud me...
... sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo dicit Dominus omnipotens.

f. LXXX'. *V. Lectio libri Exodi.* (XIII. 18-22, XIV, 1-9.) In diebus illis : Armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti...
... filii autem Israel proficiscebantur in manu excelsa.

f. LXXXI. *VII. Lectio Esaiæ Prophetæ* (I. 16-20.) Hæc dicit Dominus : Lavamini, mundi estote. Auferte malum cogitationum vestrarum...
... si volueritis & audieritis me bona terræ comedetis : dicit Dominus omnipotens.

f. LXXXI'. POST BAPTISMUM, AD MISSAM, IN ECCLESIA HYEMALI. (*In margine : Secundicerius legit istam Lectionem*).

Lectio Actuum Apostolorum. (II. 22-28.) In diebus illis. Aperiens Petrus os suum dixit : Viri Israelitæ...
... notas mihi fecisti vias vitæ, & replebis me iucunditáte cum facie tua.

f. LXXXI'. IN ECCLESIA ÆSTIVA.

Lectio Actuum Apostolorum. (II. 29-38.) In diebus illis. Dicebat Petrus ad plebem : Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David...
... in resurrectione peccatorum vestrorum & accipietis dónum Spiritus Sancti.

f. LXXXII'. DIE DOMINICO SANCTÆ PASCHÆ. IN ECCLESIA HYEMALI.

Lectio Actuum Apostolorum. (III. 1-9.) In diebus illis. Petrus & Iohannes ascendebant ad templum ad horam orationis nonam...
... ambulans & exiliens & collaudans Dominum.

f. LXXXIII. DOMINICA IN PASCHA.

Lectio Actuum Apostolorum. (I. 1-8.) Primum quidem sermonem feci de omnibus, o Theophile...
... sed accipietis virtutem supervenientis in vos Spiritus Sancti.

f. LXXXIII'. FERIA II. IN ALBIS.

Lectio Actuum Apostolorum. (VIII. 26-40.) In diebus illis. Angelus Domini locutus est ad Philippum dicens : Surge & vade contra meridiem...
... ibat enim per viam suam gaudens & conlaudans Dominum.

f. LXXXIV. FERIA III.

Lectio Actuum Apostolorum. (III. 25-26, IV. 1-10.) In diebus illis. Stans Petrus in medio plebis & dixit : Vos estis fratres filii prophetarum...
... quem Deus suscitavit a mortuis in hoc iste stat coram vobis sanus.

f. LXXXV. [*In margine :* IN ECCLESIA ÆSTIVA. *Lectio libri Regum.* (IV Reg. V. 1-15.) In diebus illis Naaman princeps militiæ regis Syriæ erat vir magnus coram... *Require in* EBDOM. II. IN QUADRAG. IN FERIA II. f. XXXVIII'.]

f. LXXXV. FERIA IV.

Lectio Actuum Apostolorum. (V. 12.) In diebus illis. Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe.

f. LXXXV'. [*In margine :* IN ECCLESIA ÆSTIVA. *Lectio libri Regum.* (IV. Reg. VI. 1-7.) In diebus illis. Dixerunt filii prophetarum ad Heliseum... *Require retro :* IN VIGILIA EPIPHANIÆ, f. XVIII.]

f. LXXXV. FERIA V.

Lectio Esaiæ prophetæ. (VI. 1-8.) In diebus illis. Locutus est Esaias propheta dicens : In anno quo mortuus est Ozias...
... & peccatum tuum mundabitur : dicit Dominus omnipotens.

f. LXXXVI. [*Additamenta jam non apparent in margine, nisi forte verba :* In diebus illis. Aperiens Petrus..., *cæteris abrasis.*]

f. LXXXVI. FERIA VI.

Lectio libri Genesis. (XIV. 18-24.) In diebus illis Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum...
... & Schol & Mambre isti accipient partes suas.

f. LXXXVI'. SABBATO ALBIS DEPOSITIS.

Lectio Actuum Apostolorum. (III. 12-17.) In diebus illis. Aperiens Petrus os suum dixit : Viri Israelitæ, quid admiramini in hoc...
... dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

f. LXXXVII. [*In margine :* IN ECCLESIA ÆSTIVA. (*Lectio Esaiæ* LXI. 10.) In diebus illis. Dixit Esaias : Gaudens gaudebo in Domino... *Require retro* IN FESTIVITATE SANCTI STEPHANI. f. XII'.]

f. LXXXVII. DOMINICA [IN] ALBIS.

Lectio Actuum Apostolorum. (IV. 8-24.) In diebus illis. Stans Petrus in concilio & repletus Spiritu Sancto aperuit os suum & dixit : Principes...
... unanimiter levaverunt vocem & glorificabant Deum.

f. LXXXVIII. DOMINICA II POST ALBAS.

Lectio Actuum Apostolorum. (IX. 19-31.) In diebus illis. Fuit Paulus cum discipulis qui erant Damasci per dies aliquot...
... & consolatione sancti Spiritus replebatur.

f. LXXXVIII'. DOIMINCA III.

Lectio Actuum Apostolorum. (V. 33-42.) In diebus illis. Insurrexerunt principes sacerdotum adversus Apostolos & cogitabant interficere illos...
... docentes & evangelizantes Dominum Ihesum Christum.

f. LXXXIX'. DOMINICA IV.

Lectio Actuum Apostolorum. (IV. 32-37, V. 1-11.) In diebus illis. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una...
... & factus est timor magnus in universa ecclesia & in omnes qui hæc audierunt.

f. XC'. DOMINICA V.

Lectio Actuum Apostolorum. (IX. 32-42). In diebus illis. Factum est ut Petrus pertransiret universos devenerit ad sanctos qui habitabant
... per universam Yopen & crediderunt multi in Dominum Ihesum Christum.

f. XCI. IN ASCENSIONE DOMINI.

Lectio Actuum Apostolorum. (I. 8-14.) In diebus illis. Locutus est Dominus Ihesus discipulis, precipiens eis & dicens : Vos eritis mihi testes...
... in oratione cum mulieribus & Maria matre Ihesu & fratribus ipsius.

f. XCI'. DOMINICA POST ASCENSIONEM DOMINI.

Lectio Actuum Apostolorum. (I. 15-26.) In diebus illis. Exsurgens Petrus in medio fratrum dixit : Viri fratres : Oportet impleri Scripturam...
... & annumeratus est cum undecim Apostolis.

f. XCII'. DIE PRIMO DE LETANIIS.
AD SANCTUM SIMPLICIANUM.
(*In margine :* « *Secundicerius* »)

Lectio Iohelis prophetæ. (II. 12-21.) Hæc dicit Dominus Deus : Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio...
... quoniam magnificavit ut faceret opera sua Dominus Deus noster.

f. XCIII. AD SANCTUM CARPOFORUM.

Lectio Esaiæ prophetæ. (XLIII. 1-6.) Hæc dicit Dominus Deus : Creans te Iacob & formans te Israel...
... & filias meas ab extremis terræ : dicit Dominus omnipotens.

f. XCIII'. AD SANCTUM PROTASIUM IN CAMPO.
(*In margine :* « *Lector.* »)

Lectio Epistolæ beati Iacobi apostoli. (I. 2-12). Karissimi. Omne gaudium existimate. cum in tentationes varias incideritis...
... accipiet coronam vitæ quam repromisit Deus diligentibus se.

f. XCIV. AD SANCTUM VICTOREM AD ULMUM.
(*In margine :* « *Notarius.* »)

Lectio Danihelis prophetæ. (IV. 1-14.) In diebus illis. Ego Nabuchodonosor quietus eram in domo mea...
... & cuicumque voluerit dabit illud.

f. XCV. AD SANCTUM VICTOREM AD CORPUS.
(*In margine :* « *Primicerius Lectorum.* »)

Lectio sequentiæ visionis Danihelis prophetæ. (IV. 15-34). In diebus illis. Hoc somnium vidi ego rex Nabuchodonosor...
... & ambulantes in superbia potens est humiliare.

f. XCVII. AD SANCTUM MARTINUM.
(*In margine :* « *Notarius.* »)

Lectio Esaiæ prophetæ. (XXXI, 9, XXXII. 1-8.) Hæc dicit Dominus Deus : Beatus homo qui habet semen in Syon & domesticos in Yerusalem...
... & ipse super duces stabit : dicit Dominus omnipotens.

f. XCVII'. AD SANCTUM VINCENTIUM.
(*In margine :* « *Lector.* »)

Lectio Ezechielis prophetæ. (XX. 2-11.) In diebus illis. Factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis, loquere senioribus...
... & iudicium meum ostendi eis quæ faciat homo & vivat in eis dicit Dominus omnipotens.

f. XCVIII'. AD SANCTUM AMBROSIUM.
(*In margine :* « *Notarius.* »)

Lectio Ezechielis prophetæ. (XXXIII. 7-17.) In diebus illis. Factum est verbum Domini ad me dicens : Tu, fili hominis, speculatorem...
... iudicium & iustitiam fecerit, vita vivet : dicit Dominus omnipotens.

f. XCIX'. AD SANCTUM VITALEM
(*In margine :* « *Lector.* »)

Lectio Esaiæ prophetæ. (XLVIII. 12-21). Hæc dicit Dominus Deus : Audi me Iacob, & Israel quem

ego voco, ego ipse, ego primus & ego novissimus...
... & bibit populus meus & satiatus est.

f. C. AD SANCTAM VALERIAM.

(*In margine : « Notarius. »*)

Lectio Yeremiæ prophetæ (Baruch, II. 9-15.) Justus est Dominus in omnibus viis suis...
... qui nos adduxerunt, ut sciat omnis terra quia tu es Dominus Deus noster.

f. C'. AD SANCTUM NABOREM.

(*In margine : « Lector. »*)

Lectio Esaiæ prophetæ. (LXV. 13-19.) Hæc dicit Dominus Deus : Ecce servi mei comedent & vos esurietis...
... & gaudebo in populo meo : dicit Dominus omnipotens.

f. CI. AD SANCTUM VICTOREM AD THEATRUM.

(*In margine : « Notarius. »*)

Lectio Esaiæ prophetæ. (XLIV. 21-24.) In diebus illis. Locutus est Esaias dicens : Memor esto horum Iacob & Israel quia puer meus es tu...
... & Israel magnificabitur : dicit Dominus Deus omnipotens.

f. CI'. AD MISSAM.

(*In margine legitur nota : « Lector », licet abrasa.*)

Lectio Esaiæ prophetæ. (XLII. 5-10.) Hæc dicit Dominus Deus : Ego sum Dominus creans cælos & extendens eos...
... laus eius ab extremis terræ : dicit Dominus omnipotens.

f. CI'. DIE II DE LETANIIS.

AD SANCTUM FIDELEM.

(*In margine : « Notarius. »*)

Lectio Esaiæ prophetæ. (LVI. 1-8.) In diebus illis. Dixit Esaias : Custodite iudicium & facite iustitiam quia iuxta est salus...
... domus orationis vocabitur cunctis gentibus : dicit Dominus.

f. CII. AD SANCTUM DIONYSIUM.

(*In margine « Lector. »*)

Lectio Esaiæ prophetæ. (LVII. 21, LVIII. 1-12). Non est gaudere impiis, dicit Dominus. Clama ne cesses...
... fundamenta generationis suscitabis : dicit Dominus omnipotens.

f. CIII'. AD SANCTUM ROMANUM.

(*In margine : « Notarius »*)

Lectio Ezechielis prophetæ. (XXXVI. 22-28.) Hæc dicit Dominus : Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter sanctum meum...
... & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.

f. CIV. AD SANCTUM STEPHANUM.

(*In margine : « Primicerius Lectorum. »*)

Lectio Ionæ prophetæ. (I-IV.) In diebus illis. Factum est Verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens : Surge & vade in Niniven...
... quid sit inter dexteram & sinistram suam & iumenta multa.

f. CVII. AD SANCTUM CALIMERUM.

(*In margine : « Notarius. »*)

Lectio Esaiæ prophetæ. (XXXIII. 2-10.) In diebus illis. Oravit Esaias ad Dominum dicens : Domine, miserere nostri & libera nos, in te enim...
... nunc exaltabor, nunc glorificabor. dicit Dominus omnipotens.

f. CVII'. AD SANCTAM AGATHAM.

(*In margine : « Lector »*).

Lectio Esaiæ prophetæ. (LXI. 10-11, LXII. 1-3.) In diebus illis. Dixit Esaias : Gaudens gaudebo in Domino...
... & diadema regni in manu Domini Dei tui.

f. CVIII. IN BASILICA APOSTOLORUM.

(*In margine : « Notarius »*).

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XV. 15-21.) In diebus illis. Oravit Yeremias ad Dominum dicens : Domine memor esto mei & visita me...
... & eripiam de manibus malorum : Dicit Dominus omnipotens.

f. CVIII'. AD SANCTUM ALEXANDRUM.

(*In margine : « Lector »*).

Lectio Yeremiæ prophetæ. (VII. 2-7.) In diebus illis. Factum est verbum Domini ad me dicens : Sta in porta domus Israel & prædica...
... in terra quam dedi patribus vestris, a sæculo & usque in sæculum, dicit Dominus omnipotens.

f. CIX. AD SANCTUM IOHANNEM AD CONCAM.

(*In margine : « Notarius »*).

Lectio Epistolæ beati Apostoli et Evangelistæ Iohannis. (I. 1-10, II. 1-17.) Quod fuit ab initio, quod audivimus...
... Qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum.

f. CX'. AD MISSAM.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (Isaiæ LI. 1-9.) Hæc dicit Dominus Deus : Audite me, audite populus meus, & reges ad me intendite...
... & iustitia mea in generationes generationum. dicit Dominus.

f. CXI. DIE III.

AD SANCTAM EUFIMIAM.

(*In margine : « Notarius. »*)

Lectio Danihelis prophetæ. (XIII. 1-64.) In diebus illis. Erat vir habitans in Babylone & nomen eius Ioakim...
... Daniel autem factus est magnus in conspectu populi a die illa & deinceps.

f. CXV. [*In margine :* STATIO AD SANCTUM CELSUM. *Lectio Hieremiæ quæ est infra. f. CXXIX' :* Constantes estote... *« Lector »*].

f. CXV. AD SANCTUM NAZARIUM IN CAMPUM.
(*In margine : « Notarius »*).

Lectio Yeremiæ prophetæ. (III. 22-25, IV. 1-2). Hæc dicit Dominus Deus : Convertimini, filii, revertentes & sanabo contritiones...
... & benedicent eum gentes ipsumque laudabunt dicit Dominus omnipotens.

f. CXV'. *Lectio Actuum Apostolorum.* (III. 12-17). In diebus illis. Aperiens Petrus os suum dixit : Viri Israelitæ, quid miramini in hoc aut nos quid intuimini...
... dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium nostrum.

f. CXVI. AD SANCTUM EUSTORGIUM.
(*In margine : « Primicerius Lectorum »*).

Lectio Danihelis prophetæ. (III. 34-45). In diebus illis. Oravit Azarias ad Dominum dicens : Domine fac misericordiam propter nomen tuum, & ne...
... & sciant quia tu es Dominus Deus solus & gloriosus super omnem terram.

f. CXVI'. AD SANCTUM LAURENTIUM.
(*In margine : « Notarius »*).

Lectio Danihelis prophetæ. (IX. 14b-19). In diebus illis. Oravit Danihel ad Dominum dicens : Iustus es, Domine Deus noster, in omnibus...
... quia nomen tuum invocatum est super civitatem & super populum tuum, Domine Deus noster.

f. CXVII. AD SANCTUM SIXTUM.
(*In margine : « Lector »*).

Lectio Epistolæ beati Iacobi apostoli. (I. 17-25). Karissimi. Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est...
... sed factor operis hic beatus in suo facto erit.

f. CXVII'. AD SANCTUM VITUM.
(*In margine : « Notarius »*).

Lectio Esaiæ prophetæ. (XXX. 15b-18). Hæc dicit Dominus Deus Sanctus Israel : Si revertimini ad me filii Israel, & quiescatis...
... quia Deus iudicii Dominus, beati omnes qui expectant eum.

f. CXVIII. AD SANCTAM MARIAM AD CIRCULUM.
(*In margine : « Lector »*).

Lectio Esaiæ prophetæ. (LXIII. 15-19, LXIV 1-5a). In diebus illis. Oravit Esaias ad Dominum dicens : Domine attende de cælo & vide de habitaculo...
... Occurristi lætanti & facienti iustitiam, & viarum tuarum recordabuntur servi tui.

f. CXIX. AD SANCTUM QUIRICUM.
(*In margine : « Notarius »*).

Lectio Ezechielis prophetæ. (XVIII. 1-9). In diebus illis. Factus est sermo Domini ad me dicens : Quid est quod inter vos parabolam vertitis...
... hic iustus est, vita vivet, ait Dominus omnipotens.

f. CXIX'. AD SANCTUM GEORGIUM.
(*In margine : « Primicerius Lectorum »*).

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XXXI. 31-34). Hæc dicit Dominus Deus : Ecce dies veniunt & feriam domui Israel & domui Iuda...
... & peccati eorum non ero memor amplius dicit Dominus omnipotens.

f. CXX. AD SANCTUM SEBASTIANUM.
(*In margine : « Notarius »*).

Lectio Yeremiæ prophetæ. (*Ezechielis* XIV. 4-11). In diebus illis. Factus est sermo Domini ad me dicens : Tu, fili hominis, loquere ad filios populi mei & dices ad eos : Hæc dicit Dominus Deus : Homo homo de domo Israel qui posuerit...
... sed sint mihi in populum, & ego ero eis in Deum, dicit Dominus omnipotens.

f. CXX'. AD SANCTAM MARIAM BERTRADE.
(*In margine : « Lector »*).

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XXXI. 8-14.). Hæc dicit Dominus Deus : Ecce adducam ego filios Israel de terra Aquilonis...
... & populus meus bonis implebitur : dicit Dominus omnipotens.

f. CXXI'. AD MISSAM.

Lectio Malachiæ prophetæ. (IV. 2-5). Hæc dicit Dominus Deus : Orietur vobis qui timetis nomen meum sol iustitiæ...
... præcepta & iudicia mea dicit Dominus omnipotens.

f. CXXI'. IN VIGILIA PENTECOSTES.

[*I*]. *Lectio Esaiæ prophetæ.* (XI. 1-9). Hæc dicit Dominus Deus : Egredietur virga de radice Iesse...
... & non occident in universo monte sancto meo : dicit Dominus omnipotens.

f. CXXII. *II. Lectio libri Genesis.* (XXVIII. 10-22). In diebus illis. Egressus Iacob de Bersabe pergebat Aram...
... cunctorumque quæ dederis michi decimas offeram tibi Domine Deus meus.

f. CXXIII. *III. Require retro :* IN VIGILIA EPIPHANIÆ. *Lectio libri Regum.* (*IV. Reg.* II. 1-12). Cum levare vellet Dominus Heliam per turbinem... (f. XVI).

f. CXXIII. *IV. Require retro :* IN PRIMA VIGILIA DE QUADRAGESIMA. *Lectio libri Regum.* (*III. Reg.* III. 5-14). Apparuit Dominus Salomoni per somnium in nocte dicens... (f. XXVIII').

f. CXXIII. DOMINICA IN PENTECOSTEN.

IN ECCLESIA HYEMALI. *Require retro :* IN PASCHA. *Lectio Actuum Apostolorum.* (III. 1-9). In diebus illis. Petrus & Iohannes ascendebant... (f. LXXXII').

f. CXXIII'. IN ECCLESIA ÆSTIVA.

Lectio Actuum Apostolorum. (II. 1-12). Dum complerentur dies Pentecostes erant omnes pariter discipuli in eodem loco...

... audivimus loquentes eos nostris linguis magnalia Dei.

f. CXXIV. DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

Lectio Actuum Apostolorum. (XI. 34-48). In diebus illis. Aperiens Petrus os suum dixit : Viri patres & fratres in veritate comperi quia non est personarum acceptio...
... & iussit eos baptizari in nomine Domini nostri Ihesu Christi.

f. CXXV. DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LXVI. 5-14a). Hæc dicit Dominus Deus : Audite sermonem Domini qui timetis verbum eius : Dixerunt fratres vestri...
... Videbitis & gaudebit cor vestrum : dicit Dominus omnipotens.

f. CXXV'. DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XVII. 5-26). Hæc dicit Dominus Deus : Maledictus homo qui confidit in homine & ponit carnem...
... & vivetis coram me in æternum & in sæculum sæculi.

f. CXXVI'. DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

Lect. require retro : IN LETANIIS. AD SANCTUM QUIRICUM. (Ezechielis XVIII. 2-9). In diebus illis. Factus est sermo Domini ad me dicens : Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium. f. CXIX).

f. CXXVII. DOMINICA V.

Lect. require retro : IN LETANIIS. AD SANCTUM FIDELEM. (Esaiæ LVI. 1-8). Custodite iudicium & facite iustitiam. (f. CI').

f. CXXVII. DOMINICA VI.

Lect. require retro : IN LETANIIS. AD SANCTUM SEBASTIANUM. (Ezechielis XIV. 4-11). Tu fili hominis loquere ad filios populi... f. CXX).

f. CXXVII. DOMINICA VII.

Lect. require retro : IN LETANIIS. AD SANCTAM MARIAM BERTRADE. (Hieremiæ, XXXI. 8-14). Ecce adducam ego filios Israel de terra Aquilonis... (f. CXX').

f. CXXVII. DOMINICA VIII.

Lect. require : IN LETANIIS. AD SANCTUM SALVATOREM (1). (Isaiæ, XXX. 15 b-18). Si revertimini ad me filii Israel & quiescatis... (f. CXVII').

f. CXXVII. DOMINICA IX.

Lect. require : IN LETANIIS. AD BASILICAM APOSTOLORUM. (Hieremiæ, XV. 15-21). Domine memor esto mei & visita me & tuere. (f. CVIII).

f. CXXVII. DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XXXIV. 1-17). In diebus illis. Factum est verbum Domini ad me dicens : Fili hominis, prophetiza de pastoribus Israel...
... & pascam eos in iudicio & iustitia : dicit Dominus omnipotens.

f. CXXVIII'. DOMINICA XI.

Lect. require retro : IN LETANIIS. AD SANCTUM EUSTORGIUM. (Danihelis III. 34-45). Oravit Azarias ad Dominum dicens : Domine fac misericordiam. (f. CXVI).

f. CXXVIII'. DOMINICA XII.

Lect. require retro : AD SANCTUM VITALEM. (Isaiæ XLVIII. 12-21). Audi me Iacob & Israel quem ego voco. (f. XCIX').

f. CXXVIII. DOMINICA XIII.

Require IN LETANIIS (DIE III). AD SANCTUM CELSUM (2). (*Yeremiæ*, III. 22-25, IV. 1-2). Convertimini filii revertentes & sanabo... (f. CXV).

f. CXXVIII'. DOMINICA XIV.

Lectio Ezechielis prophetæ. (XXV. 1-7). In diebus illis. Factus est sermo Domini ad me dicens : Fili hominis pone faciem tuam...
... & perdam te de terris & conteram. & scies quia ego sum Dominus Deus omnipotens.

f. CXXIX. DOMINICA XV.

Lect. require retro : IN LETANIIS. AD SANCTUM LAURENTIUM. (Daniel. IX. 14b-19). Oravit Danihel ad Dominum dicens : Justus es Domine Deus... (f. CXVI).

f. CXXIX. DOMINICA XVI.

Lect. require retro : IN LETANIIS. AD SANCTUM NABOREM. (Isaiæ, LXV. 13-19). Ecce servi mei comedent & vos esurietis... (f. CVIII').

f. CXXIX'. DOMINICA XVII.

Require retro Lectionem : DE LETANIIS. AD SANCTUM ALEXANDRUM. (Hieremiæ VII. 2-7). Sta in porta domus Domini & prædica ibi verbum istud... (f. CVIII').

(1) Quantæ vetustatis sit hæc rubrica demonstrat ipse titulus « S. Salvatoris », tempore Beroldi, sæc. XII, propemodum antiquatus : « In Ecclesiam S. Salvatoris quæ modo S. Viti appellatur », ait ille (BEROLDUS... *ed.* Magistretti, Mediolan. MDCCCXCIV, p. 98. Cf. Muratori : *Antiq. Ital. med. ævi*, tom. IV, col. 889.) Bona fide, sed inconsulto, veterem titulum hic amanuensis ex archetypo suo descripsit, immemor certe quod iam in Letaniis recentiorem, scilicet AD S. VITUM, ipse notaverat. Cæterum infra, (DOM. XIII POST PENTECOST), archetypi codicis ætas superior iterum se prodit, ubi S. CELSUM pergit inconsiderate librarius exscribere, quasi diligentior in Letaniis ipse S. NAZARIUM IN CAMPUM, ordine stationum inverso, non scripsisset.

(2) Ecce quod innuimus in nota præcedenti.

f. CXXIX'. DOMINICA XVIII.

Lectio DE LETANIIS. *Require retro.* AD SANCTUM KALIMERUM. (Esaiæ, XXXIII. 2-10). Oravit Esayas ad Dominum dicens : Domine miserere nostri & libera... (f. CVII).

f. CXXIX'. DOMINICA XIX.

Lect. require retro. DE LETANIIS. AD SANCTUM GEORGIUM. (Hieremiæ, XXXI. 31-34). Ecce dies veniunt, & feriam domui Israel & domui Iuda... (f. CXIX').

f. CXXIX'. DOMINICA XX.

Lectionem require retro : DE LETANIIS. AD SANCTAM MARIAM AD CIRCULUM. (Isaiæ, LXIII. 15-19, LXIV. 1-5a) Oravit Esaias ad Dominum dicens : Domine attende de cælo.

f. CXXIX'. DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (Baruch, IV. 21-29.) In diebus illis. Dixit Ieremias : Constantes estote, filii, & proclamate ad Deum...
... inducat in vos æternam iocunditatem. cum salute vestra : dicit Dominus omnipotens.

f. CXXX'. DOMINICA XXII.

Lectionem require retro : DE LETANIIS. AD SANCTAM VALERIAM. (Baruch, II. 9-15.) Iustus est Dominus in omnibus operibus suis quæ mandavit... (f. C.).

f. CXXX'. DOMINICA I POST DEDICATIONEM ECCLESIÆ. *Lectionem require :* DE LETANIIS. AD SANCTUM AMBROSIUM. (Ezechielis, XXXIII. 7-17.) Factum est verbum Domini ad me dicens : Tu fili hominis... (f. XCVIII'.)

f. CXXX'. DOMINICA II POST DEDICATIONEM ECCLESIÆ. *Require in* DOM. II POST PENTECOSTEN. (Isaiæ, LXVI. 5-14). Audite sermonem Domini qui timetis verbum eius... (f. CXXV).

f. CXXX'. DOMINICA III POST DEDICATIONEM ECCLESIÆ. *Lect. require :* DE LETANIIS. AD SANCTUM MARTINUM. (Isaiæ XXXI. 9. XXXII. 1-8.) Beatus homo qui habet in Syon semen & domesticos in Yerusalem... (f. XCVII).

f. CXXX'. IN NATIVITATE
SANCTI IOHANNIS BAPTISTÆ.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (I. 4-19.) In diebus illis. Factum est verbum Domini ad me dicens : Priusquam te formarem...
... quia ego tecum sum ut liberem te : dicit Dominus omnipotens.

f. CXXXI'. IN VIGILIA SANCTI PETRI.

Lectio Actuum Apostolorum. (XII. 1-11.) In diebus illis. Misit Herodes rex manus ut affligeret quosdam de Ecclesia...
... & de omni exspectatione plebis Iudeorum.

f. CXXXII'. IN VIGILIA SANCTI LAURENTII.

Lect. require retro : AD SANCTUM CARPOFORUM. IN LETANIIS. (Isaiæ, XLIII. 1-6.) Creans te Iacob & formans te Israel... (f. XCIII.)

f. CXXXII'. IN DEPOSITIONE SANCTI SIMPLITIANI.

Lectio libri Sapientiæ. (Ecclesiastici, XLIV. 16a, 17, 20, 22a, 25-27, XLV. 3, 8, 19, 20.) Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo...
... & offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.

f. CXXXIII. IN SANCTÆ MARIÆ.

Lectio libri Sapientiæ. (Ecclesiastici, XXIV. 11b-20.) In omnibus requiem quæsivi...
... quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris...

f. CXXXIV. IN DECOLLATIONE
SANCTI IOHANNIS BAPTISTÆ.

Lectio Esaiæ prophetæ. (XLVIII. 22, XLIX. 1-6.) Hæc dicit Dominus Deus : Non est pax impiis. Audite insulæ & adtendite populi de longe...
... ut sis salus mea usque ad extremum terræ : dicit Dominus omnipotens.

f. CXXXIV'. IN NATIVITATE SANCTE MARIÆ. *Require in f. CL'* (Cant. VI. 8-9, Eccli. XXIV. 24-28.) Hæc dicit Sapientia : Una est matris suæ.

f. CXXXIV'. IN DEDICATIONE
SANCTI MICHAEL ARCHANGELI.

Lectio Apocalypsis beati Iohannis apostoli. (XI. 19.) XII. 1-12.) In diebus illis. Apertum est templum Domini in cœlo & visa est arca testamenti...
... Propterea lætamini cœli & qui inhabitatis in eis.

f. CXXXV. IN NATAL. UNIUS APOSTOLI.

Lectio libri Sapientiæ. (Sap. X. 10-14.) Iustum deduxit Dominus per vias rectas & ostendit...
... & dedit claritatem æternam : Dominus Deus noster.

f. CXXXVI. IN NATAL. PLURIMORUM APOSTOLORUM.

Lectio libri Sapientiæ. (V. 1-5.) Stabunt iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt...
... & inter sanctos sors illorum est.

f. CXXXVI'. IN NATAL. UNIUS MARTYRIS.

Lectio libri Sapientiæ. (Sap. IV. 7-15.) Iustus si morte aliqua præoccupatus fuerit, in refrigerio erit...
... & misericordia in sanctos eius & respectus in electos illius.

f. CXXXVII. ALIA. *retro* (Sap. X. 10-14.) Iustum deduxit Dominus per vias rectas... (f. CXXXV.)

f. CXXXVII. IN NATAL. PLURIMORUM SANCTORUM.

Lectio libri Sapientiæ. (Sap. III. 1-8.) Iustorum animæ in manu Dei sunt & non tanget illos tormentum mortis...
... & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

f. CXXXVII'. ALIA. *Require retro :* IN APOSTOLORUM. (Sap. V. 1-5.) Stabunt iusti in magna. (f. CXXXVI.)

f. CXXXVII'. IN NATAL. CONFESSORUM.

Lectio libri Sapientiæ. (Ecclesiastici, XXXIX. 6-13.) Iustus cor suum tradit ad vigilandum diluculo... ... & nomen eius requiretur a generatione in generationem.

f. CXXXVIII. ALIA.

Require retro : IN SANCTO SIMPLICIANO. (Ecclesiastici XLIV. 16 a, 17, 20, 22 a, 25-27, XLV. 3, 8, 19, 20.) Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis... (f. CXXXII'.)

f. CXXXVIII. IN NATAL. VIRGINUM,

Lectio libri Sapientiæ. (Ecclesiastici LI. 13-17.) Domine Deus meus exaltasti super terram habitationem meam...
... Propterea confitebor & laudem dicam nomini tuo, Domine Deus noster.

f. CXXXVIII. ALIA DE VIRGINUM.

Lectio libri Sapientiæ. (Ecclesiastici LI. 1-13.) Confitebor tibi, Domine rex, & conlaudabo Deum salvatorem meum...
... & liberas eos de manu gentium, Domine Deus noster.

f. CXXXIX. IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (Baruch. III. 24-37). In diebus illis. Dixit Yeremias : O Israel quam magna est domus Domini & ingens locus possessionis eius...
... & dedit illam Iacob puero suo & Israel electo suo.

f. CXXXIX'. ALIA.

Lectio Apocalypsis beati Apostoli et Evangelistæ Iohannis. (XXI. 9b-27.) In diebus illis. Venit Angelus & locutus est mecum dicens : Veni ostendam...
... nisi qui scripti sunt in libro vitæ & Agni.

f. CXLI. IN HONORE OMNIUM SANCTORUM.

Lectio libri Sapientiæ. (X. 17-20.) Reddidit iustis Deus mercedem laborum suorum, & deduxit illos...
... & vitricem manum tuam laudaverunt pariter Domine Deus noster.

f. CXLI'. [IN CONSECRATIONE ALTARIS.]

Lectio Yeremiæ prophetæ. (Isaiæ XVIII. 7, XIX. 4, 19, 21, 22, 24-25.) Hæc dicit Dominus Deus : In die illa defertur munus Domino exercituum...
... Benedictus populus meus & opus manuum mearum hæreditas mea Israel : dicit Dominus omnipotens.

f. CXLI'. PRO ITER AGENTIBUS.

Lectio libri Genesis. (XXIV. 7.) In diebus illis. Locutus est Abraham dicens : Domine Deus cæli qui tullit me de domo patris mei & de terra nativitatis meæ qui locutus est & iuravit dicens : Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum coram te.

f. CXLII. PRO PACE.

Lectio libri Sapientiæ. (Ecclesiastici XXXVI. 1-10.) Miserere nostri Deus omnium & respice in nos & ostende nobis lucem miserationum tuarum...
... festina tempus & memento finis : ut enarrent mirabilia tua : Domine Deus noster.

f. CXLII'. PRO TRIBULATIONE.

Lectio libri Hester. (XIII. 9-17.) In diebus illis. Oravit Hester ad Dominum dicens : Domine Deus omnipotens, in tua ditione cuncta sunt posita...
... & ne perdas nos, ora canentium te, Domine Deus noster.

f. CXLIII. PRO SERENITATE.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (Threni II. 19, III-56.) In diebus illis. Locutus est Yeremias dicens. Consurge Yerusalem & lauda in nocte...
... Vocem meam audisti, ne avertas aurem tuam a singultu meo Domine Deus meus.

f. CXLII'. PRO PLUVIA.

Lectio Yeremiæ prophetæ. (XIV. 19-22.) In diebus illis. Locutus est Yeremias ad Dominum dicens : Domine, numquid proiciens abiecisti Iudam?...
... Nomen tuum est, Domine Deus noster, quem expectavimus. Tu enim fecisti omnia hæc : Domine Deus noster.

f. CXLIV. IN PROCESSIONE.

Lectio Esaiæ prophetæ. (XLIV. 21-23.) In diebus illis. Locutus est Esayas dicens : Memor esto horum Iacob & Israel, quia puer meus es...
... & omnia ligna quæ in ipsis sunt, quia redemit de Iacob & Israel magnificabitur, dicit Dominus omnipotens.

f. CXLIV.

Lectio libri Sapientiæ. (Ecclesiastici XXIV. 23-31). Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris...
... qui elucidant me vitam æternam habebunt.

f. CXLIV.

Lectio libri Sapientiæ. (Proverb. XXXI. 10-31). Mulierem fortem quis inveniet...
... & laudent eam in portis opera eius.

f. CXLV'. PRO UNO DEFUNCTO.

Lectio libri Iob. (XIV. 13-16.) In diebus illis. Locutus est Iob dicens : Quis michi hoc tribuat Domine ut in inferno protegas me...
... Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

f. CXLVI. PRO DEFUNCTI ANNIVERSARII.

Lectio libri Iob. (XIX. 20-27). In diebus illis.

Locutus est Iob dicens : Pelli meæ, consumptis carnibus...
... Reposita est hæc spes mea in sinu meo.

f. CXLVI'. IN PLURIMORUM DEFUNCTORUM.

Lectio libri Machabeorum. (II Machab. 43-46.) In diebus illis. Vir fortissimus Iudas, collatione facta duodecim milia drachmas...
... sacrificium pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.

f. CXLVII. IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LX. 11-21.) Hæc dicit Dominus Deus : Aperientur Yerusalem portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur...
... Germen plantationis meæ opus manus meæ glorificabitur : dicit Dominus omnipotens.

f. CXLVIII. UNDE SUPRA.

Lectio libri Regum. (III Reg. VIII. 22-30.) In diebus illis. Stetit Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel...
... & cum exaudieris, propitius eris.

f. CXLVIII'. UNDE SUPRA.

Lectio Apocalypsis beati Iohannis apostoli. (XXI. 2-5.) In diebus illis. Vidi civitatem sanctam Yerusalem novam descendentem de cœlo a Deo paratam...
... & dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia.

f. CXLIX. UNDE SUPRA.

Lectio Esaiæ prophetæ. (LIV. 14.) In diebus illis. Dixit Esaias : Ecce requiem dabit nobis Dominus in loco isto & in die illa cantabitur...
... & multitudinem pacis filiis tuis. Et in iustitia fundaberis : dicit Dominus omnipotens.

f. CXLIX'. IN ASSUMPTIONE SANCTÆ MARIÆ.

Lectio libri Sapientiæ. (Cant. III. 11, VI, 9.) Egredimini & videte filiæ Syon regem Salomonem in diademate...
... terribilis ut castrorum acies decorata.

f. CL'. IN NATIVITATE SANCTÆ MARIÆ.

Lectio libri Sapientiæ. (Cant. VI. 8-9, Ecclesiastici XXIV. 24-28.) Hæc dicit Sapientia : Una est matris suæ electa genitricis suæ...
... memoria mea in generationes sæculorum.

f. CLI'. IN CATHEDRA SANCTI PETRI.

Epistola beati Petri Apostoli. (I Petr. I. 1-7.) Petrus apostolus Ihesu Christi electus advenis dispersionis...
... inveniatur in laudem & gloriam & honorem in revelationem Ihesu Christi Domini nostri.

[*Quæ sequuntur Lectiones, affixæ scilicet feriis II, V et VI in Albis, additamentum aliquod esse videntur, cuius complementum jam superius notatur in margine foliorum* LXXXIV *et* LXXXV, *ubi, feriis III et IV in Albis, ad missas in utraque Ecclesia, Lectiones assignantur.*]

f. CLII. FERIA II IN ALBIS. IN ECCLESIA HYEMALI.

Lectio Actuum Apostolorum. (III. 17-24.) In diebus illis. Aperiens Petrus os suum dixit : Viri fratres, scio quia per ignorantiam fecistis...
... Et omnes prophetæ a Samuhel & deinceps qui locuti sunt annuntiaverunt dies istos.

f. CLII'. FERIA V. IN ECCLESIA HYEMALI.

Lectio Actuum Apostolorum. (II. 38-47.) In diebus illis. Aperiens Petrus os suum dixit : Baptizetur unusquisque vestrum fratres...
... Dominus autem augebat cottidie in Ecclesia qui salvi fierent.

f. CLIII. FERIA VI. IN ECCLESIA HYEMALI.

Lectio Actuum Apostolorum. (VII. 1-10.) In diebus illis. Aperiens Stephanus os suum dixit : Viri fratres & patres, audite : Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ...
... & eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius : Dominus Deus noster.

[*Præter secundam et tertiam Lectionem (i. e Epistolam et Evangelium), primæ Lectionis vice, quam plerumque Scripturarum codex subministrabat, — quod hactenus cuique planum est, — antiquitus Passiones seu Depositiones Sanctorum ad missas aliquando recitari solitum erat. Hunc etiam ritum, veterem profecto, non autem in Metropolitana basilica Mediolanensi prorsus obsoletum, hic exprimit Codex Lectionumi huc usque descriptus, cujus ideo testimonium, ut iacet, candide Lector, libenter accipe.*]

f. CLIV. DEPOSITIO BEATÆ MEMORIÆ CONFESSORIS ET ABBATIS BENEDICTI.

Per idem tempus quo vir Dei beatus Benedictus...
... quod destructa ara Apollinis ipse construxit. Ad laudem & gloriam nóminis súí qui cúm Pátré ét Spíritú Sánctó vivít & régnát ín sæcúlá sæcúlórum. Amen.

f. CLV.

PASSIO TRIUM PUERORUM DE YERUSALEM IN BABYLONIA CAPTIVORUM.

Anno tertio regni Ioachim regis Iuda venit Nabuchodonosor rex Babylonis Iherusalem & obsedit... (*Daniel,* I. *totum.*) Post hæc autem Nabuchodonosor fecit statuam auream... (*Daniel.* III. 1-12.) Tunc Nabuchodonosor in furore & ira præcepit ut adducerentur... (*Daniel.* III. 13-50.) Tunc hii tres quasi ex uno ore laudabant... (*Dan.* III. 51-90.) Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit & surrexit propere & ait optimatibus suis : Nonne tres viros misimus in medio ignis compeditos. Qui respondentes dixerunt... mirabilia eius quia fortia & regnum eius regnum sempiternum & potestas eius in generationem & generationem. (*Dan.* III. 91-100.)

[*Officio « Trium puerorum..., etc. » cujus antiphonæ, psalmelli, psallendæ etc., proxime lectioni Danielis succedunt, quodque feria V in albis ad Vesperas, et postridie, feria VI, Mediolanenses solemni cultu prosequebantur, nec non et denariorum inter lectores per annum dividendorum albo transcribendis juxta codicem, eo loci, supersedemus.*]

f. CLXIII.

PASSIO BEATISSIMÆ VIRGINIS ET MARTYRIS AGNETIS.

Hæc cum tredecim annorum esset...

f. CLXIII'.

PASSIO BEATISSIMORUM MARTIRUM CYRICI ET JULITÆ.

Apud Antiochiam, &c.

[*Tandem in appendice chartaceo legitur :*

PASSIO BEATISSIMÆ VIRGINIS ET MARTYS TECLÆ, *hoc modo :*]

Lectio prima : Apud Seleuciam... &c.


Lectio secunda : Sequenti die... &c.

Ad Vesp. sic intonantur Lectiones :




Ad missam leguntur ambæ lectiones.

Ad missam sic intonatur passio :



Ad missam sic finitur :



II

INDICULUS SEU CAPITULARE

EPISTOLARUM S. PAULI PER ANNI CIRCULUM,

Iuxta veterrimum Ambrosianum ritum, legendarum.

Hunc Indiculum Josephus Maria Thomasius, anno 1691, primus vulgavit in opere cui titulum fecerat : *Antiqui Libri Missarum Romanæ Ecclesiæ,* pag. 137, « ex Codice membranaceo vetustissimo Epistolarum... S. Pauli, quadratis sive uncialibus (ut aiunt) litteris, ac per cola & commata distinctis versibus (1), annis abhinc circiter mille descripto ; qui olim Reginæ Suetiæ fuit, notatus 8. nunc vero est Bibliothecæ Vaticanæ » n. 9.

Eumdem recusit post Thomasium eruditus Georgius, tom. III *Liturg. Rom. Pont.*, pag, 227, sqq. Thomasianam editionem postremo Vezzozius, tomo V venerabilis Cardinalis operum, p. 424, denuo vulgari curavit, verba saltem notando quæ Georgius aliter ac Thomasius legerat. « Codex enim, ait Vezzozius, quum temporis incuria, eraso sæpe atramento, difficillime haud raro legi queat ; hinc e re nostra & discrimina notaturi sumus, quibus Georgius a Thomasio distat. »

Thomasianam hanc editionem, Vezzozii curis ultimis ornatam, nos, præmisso Georgii monito, rursum damus, eiusdem Georgii variantes lectiones in scholiis notando, quæ vero seorsum Thomasius coniectarat, uncinis includendo.

MONITUM
IN SEQUENTEM INDICULUM

(Ex opere Dominici Georgii : *De Liturgia Romani Pontificis* Tom. III. Appendix Monumentorum, p. 225.)

Miræ vetustatis Codex Epistolarum S. Pauli olim inter pluteos Reginæ Suecorum, n. VIII nunc inter Vaticanos Codices eiusdem Reginæ, n. IX. Sæculo VIII. forte scriptus, initio Indiculum Epistolarum quæ in Missa legebantur, nullo tamen inscripto titulo nisi : *Epistolæ Pauli,* exhibet. Hunc Indiculum edidit eximius Cardinalis Josephus Maria Thomasius inter antiquos libros Missarum pag. 137, adiectis nonnullis eruditis adnotatiunculis ; atque Epistolas per eum Indiculum in Missis iuxta Ambrosianum ritum designari arbitratur. Nos Codicem illum (2) cum editione Thomasiana contulimus, & ad Thomasii sententiam, quod ad Ambrosianum ritum huiusmodi Indiculus spectet, confirmandam, nonnulla de Sanctis, qui in Kalendariis Ambrosiani ritus coluntur, hic subiicimus. Mabillonius, se vidisse narrat in Ambrosiana Bibliotheca inter Antiquiores illius Bibliothecæ Codices : *Antiphonarium de universis festivitatibus anni circuli Mediolanensis Ecclesiæ,* quod incipit a festo S. Martini. Exstant ibi officia de Sanctis, nempe : *Idibus Novembris S. Antonini; XIV Kal. Decembris Romani sacerdotis, et martyris; X easdem Kal. translatio S. Cæciliæ;* die sequenti *Natalis S. Clementis : Pridie*

(1) Videsis harum distinctionum specimen, ex hoc Codice, tomo I, pag. 287 sqq., Ven. Thomasii operum.

(2) « ...Quoniam vetustiorem aliis, quos hactenus viderimus, esse ducimus... » (*Georgius*, op. laud., Tom. II. Dissert. II, p. CLXXX.)

